
V
B
J
C
36489
I

Manuum propriam

EVERSIO ATHEISMI,

SEU

Pro Deo contra Atheos libri duo.

PRIMUS LIBER

Continet Tractatus tres.

IN PRIMO.

Fundamenta, quibus Atheiſmus innititur, recenſentur, ac evertuntur.

IN SECUNDO.

Propoſitiones quædam, velut Principia ſtatuuntur, conducentes ad everſionem Atheiſmi.

IN TERTIO.

Argumenta ſupra quadraginta proponuntur, Atheiſmi everſiva.

SECUNDUS LIBER

Itidem TRACTATUS TRES complectitur.

IN PRIMO.

Expenduntur ad Veritatis lancem Argumenta, quibus Theodorus Abucaras, Divus Anſelmus, Antonius Perez, Eſparza, Morinus, & Carteſius, ſubruere nituntur Atheiſmum.

IN SECUNDO.

Doctiſſimorum novem Veterum Philoſophorum.

IN TERTIO.

Sapientiſſimorum duodecem Patrum Rationes validæ referuntur, Atheiſmi everſivæ.

AUCTORE

R. P. GEORGIO GENGELL Societatis JESU Theologo.

BRUNSBERGÆ, Typis Collegij S.J. Anno DEi Hominis 1716.

Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Joannis c. 17. v. 3.*

EXCELLENTISSIMO
Sangvine, meritisq;
ILLUSTRISSIMO
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. THOMÆ
FRANCISCO
CZAPSKI

Abbati Peplinensi S. O. C. ejusdemque Ordinis per utramq; Poloniam, Prussiam, Litvaniam, Commissario & Vicario Generali, &c.

DOMINO ET PATRONO FAVENTISSIMO.

ÆTernis damnatæ noctibus Atheorum mentes, ut in Veritatis lucem deducerentur planiùs, AVITUM ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ, Primæ magnitudinis sidus accendi erat conveniens, *REVERENDISSIME DOMINE*. Facilè Numinis Regiam poterunt

vestigare densis involutæ tenebris animæ, si CZAPSCIORUM CYNTHIA præferet facem, aliter lucere nescia, nisi suo semper affixa Cœlo; primos Domûs splendores Divinis Ædibus communicando. Fugabit Vespertilionum gregem in prima exortûs pagina splendor iste, cui natura est, errorum noctes depellere, Orthodoxæ Fidei nutrire lumen. Ut verò istæ terris invisæ talpæ, perstringantur vibrantiùs, facilè ab Aquinatico sole lumen mutuabimus, lumen illud, quod nomine, pectore, mente, THOMAS integrum comprehendis, & geminato jubare assurgere facis in meridiem. Perstringet oculorum aciem densissima errorum obductam caligine CISTERCIENSIS serenum POLI, in quo numerosa millia siderum, illata Cœlo, solem vincunt: è sacerrima enim ista Familia Sanctorum numero adscripta Nomina amplissimam phalangem armatam constituunt, honorem Numinis à culpata Atheistarum inscitia, veræ confessione Fidei vindicantem. E Religiosis item Divi *Bernardi* umbris, numerosissima radiant serie Prima Ecclesiæ Romanæ Capita, in honorum augem se attollentia. EUGENIUS III, ADRIANUS IV, ALEXANDER III. GREGORIUS VIII, URBANUS IV, BENEDICTUS XII. His, ex iisdem Divi BERNARDI umbris succedunt sacrâ Romanâ Purpurâ decori, quadringenti viginti septem Patres: Patriarchæ quatuordecem: Archiepiscopi octingenti: Episcopi mille quadringenti: & Cœlestem instruunt aciem dimicaturam adversus

versus Gigantes novos, impotentiùs eò, quò audacius supremi adita Numinis impugnantes. Quid si fulgoribus commistos tantis, CZAPSCIANÆ GENTILITIÆ LUNÆ splendores scrutemur penitiùs? Tot parelia, tot in execrandum Atheismum fulgura, quot Lechici Cæli decora spectantur illustriora. Stat pro Aris, Cælo inaugurata KOSTKANÆ sanctitas Domus, & ubi arctiori Naturæ nexu colligata, sacerrimo Tuam REVERENDISSIME Mecænas CYNTHIAM accendit jubare, Numinis Majestatem meridiano sole clarius demonstrat. Jam DZIALYNSCIORUM, KOSORUM, GNINSCIORUM, KONOPACCIORUM, RUDNICCIORUM, HUMIENECCIORUM, BYSTRAMORUM, SZYDLOWSCIORUM, ZAKRZEWSCIORUM, BAKOWSCIORUM, & millena juratæ pro DEO, legibus Patriis, fortitudinis Agnomina gestorum immortalitatem, ac debitum Cælorum Domino honorem, aut cruento toties exarârunt ferrô, aut pinxerunt sangvine. Etiam hactenus vivunt mortuales inter Cineres igniti pectoris grandiores scintillæ, in Phænice Lechici Orbis MERITISSIMO PARENTE TUO FRANCISCO, MARIÆBURGENSI SUCCAMERARIO, erumpunt ardores illi, quos exortus ab Aquilone turbo ampliaverat, zelo Veritatis orthodoxæ excitaverat adeo, ut ocyùs in ipsa rueret pericula, pretiosum sangvinem, Patriæ, superum Regiæ, in victimam litaret sæpius, nisi clementior Provi-

 dentia

dentia Cæli, ſæculis dignum communem egenorum Patrem, diutius reſervaret. Achilles adoleverit in fortitudinis prodigium leonum enutritus medullis, quem non incutiet metum imbelli Atheiſtarum pectori Altiſſimæ MATERNO ex ſangvine VON HOLTEN FAMILIÆ gentilitius LEO ENSIFER, cui pro DEO militaſſe ingenium, & Majores Achille Propugnatores Orthodoxæ Fidei educaſſe, natura eſt. Adeo RELIGIOSA GULDENBALK dicta PROSAPIA, ut in Poſteris tantis Aureo Trabium Ternione, in fulcrum Fidei abiiſſe legatur. Vivit, ſuperſtite gloria victurus ſemper SENATOR, retròactis ſæculis invidendus, ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS PETRUS CZAPSKI, CULMENSIS Caſtellanus, Tuus REVERENDISSIME MECÆNAS, & naſcendi meritô & æmulâ virtutum copiâ Frater, Romanæ ac ſupremæ Cælorum, Poteſtatis Vindex & Aſſertor vivit. Vixiſſet utinam & ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS DOMINUS JOANNES CZAPSKI, ELBINGENSIS CASTELLANUS, & nobilior Numa, Regni Tribunalis Judex, ut pluribus admirandâ; ſic paucioribus imitanda dexteritate Cælorum partes tueretur. Indolet hodie Patria, ingemiſcunt ARÆ, ad vindicis ſui fatum. Et jam tanti jacturam Viri non facile temporum ſerie reparandam cenſeret, niſi longæva EMERITISSIMORUM incolumitas FRATRUM, auguſta ſimul Genitoris ſoboles, ADAMUS,

CA-

CANONICUS VLADISLAVIENSIS, Infulis, Trabeis natus: FRANCISCUS, Terrarum Prussiæ ENSIFER, hostibus Patriæ formidandus: IGNATIUS, vice Colonellus S. R. M. ipsi spectandus MARTI: JOSEPHUS, in Eloquentiæ campis Olympia decurrens gloriæ; temperaret dolorem: & cumulatiores AVITO SIDERI SPLENDORES præberet illa, hæc polliceretur. En, quanta in projectas Atheismi tenebras luminum magnitudo! quanta in Fidem perosos, fulmina! Metuat, metuat Cælorum hostis, ILLUSTRISSIMÆ CZAPSCIORUM DOMUS PLANETAM talibus semper minacissimum, ad exortum sideris tanti: in recessus nemorum se præcipitent feroces belluæ. Quilibet hic SPLENDIDISSIMÆ radius Lunæ, lethalis vesano pectori ictus est, ubi in Cælorum Regiam, quilibet concentratur. Amat disjecta ejusmodi luminum semina Augustum Numen, quæ Templorum Occasum evehunt in meridiem. Surgit è cineribus Mogilnensis cænobii ædes in faciem venustiorem, sed CZAPSCIANA, TUA scilicet liberalissime Domine, plusquam aurea manu, se erigente. Obryzo radiant Peplinenses ARÆ, assurgunt in prodigium & in Superum delicias gratissima abeunt Majestate. Consummata Pogutkowiæ Numinis Regia, Fundatoris sui in polito marmore exarat munificentiam, toto tectorum fastigio attollit pietatem. Adeo primus dexteræ Tuæ labor in Cænobia, atq; templa profusum esse, cujus pectori unicum nego-

negotium, Numen quærere ſolicitè, feliciter invenire. Hæc Religionis, Fidei, Zelatori magno fundit Encomia calamus: Hæc Patrono Societatis Polonæ Ampliſſimo, in Paginam ducit devinctus ſemper animus, in Societatis JESU Collegio Gedanenſi illo, quod REVERENDISSIMI ANTONII HACKI ABBATIS Olivenſis aſſurrexit auro; pretioſiſſimo, æſtimatiſſimo tuo etiam conſervandum eſt, quin & augendum favore. Stat moles, victura tempora, ſtabitq; eò magnificentius, quò plura TIBI Trophæa erigit in Everſo Atheiſmo. Utinam & opima ſpolia animarum, impietati, ac erebo ereptarum huc deducantur, Religioſa Janua, in Triumphalem Portam, TIBI, Totiq; Glorioſiſſimo Ciſtercienſium Ordini abeat. Hæc ex animo Vota depromo

EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO

NOMINI TUO

Devinctiſſimus

GEORGIUS GENGELL
Societatis JESU.

CENSURA

A Celsissimo Principe Domino THEODORO POTOCKI Episcopo Varmiensi & Sambiensi, Terrarum Prussiæ Præside commissum mihi Volumen, Duos libros complectens, quod inscribitur: Eversio Atheismi &c. ab Admodum Reverendo Patre Georgio Gengell Societatis JESU, Rectore Collegij Gedanensis, Eximio per multos annos Theologiæ Scholasticæ Professore, pari ingenij laude ac pietatis meritò concinnatum, ac elaboratum, attentè legi; & cùm nihil in eo repererim, quod Catholicæ Fidei adversetur, illud Volumen, tanquam utile, ac præsertim his corruptis temporibus perquam necessarium, dignum judico, ut typis mandetur. Datum Frauenburgi ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem. Die 23. Novembris Anno 1715.

ISIDORUS CAIETANUS MAGNANINI
Canonicus Varmiensis.

FACULTAS
R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur: *Eversio Atheismi, &c.* à Patre Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse, probaverint; potestate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino, Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur; si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu meâ firmatas, sigillôque munitas dedi, Cracoviæ 12. Martii, Anno 1715.

RAPHAEL TACZANOWSKI
Societatis JESU.

PRÆ-

PRÆMUNITIO TOTIUS OPERIS.

In qua declaratur necessitas contra Atheos scribendi: Objicientium rationes in contra, dissolvuntur; & indicatur, quomodo Volumen hoc, ab Atheis etiam, fructuosè legi possit.

TRitheitæ & novi Ariani (ut memorat Eminentissimus Bellarminus Præfat: in lib. 1. de Christo) exposuerant publico spectaculo tabulam, in qua visebatur expressa penicillô Ecclesia Catholica ad normam ampli ædificij: in cujus culmine tecti, Lutherus considebat suis cum asseclis, tegulas lateresq; longè disjiciebat: inde spoliatô ædis fastigiô, Zvinglianæ Sectæ Coryphæus cum Sacramentariorum phalange, parietum molem, summa vi demoliri parabat: tum verò ad subruendum Fundamentum, atq; adeo Domum integram prosternendam, ipsi Tritheitæ ac Neo-Ariani, malleis, ligonibus, universâque vulcaniâ supellectile armati, omni ope desudabant. Qua nefanda picturæ arte, Ariana rabies denotare mente agitabat, minora dogmata fidei Catholicæ, à Lutheranis invadi: à Zvinglianis & Calvinistis, majora oppugnari: à se verò ipsum subrui Fundamentum, dum Sanctissimæ *Triados* Mysterium convellere moliuntur. Ast supra Universos Ecclesiæ oppugnatores, Vexilla extulerant, sola sui, aliorumq; pernicie triumphaturi, qui absolutè negant *Numen*: exinde nuncupati, Athei: id est, absq; DEo: componitur enim ea vox, ex α, seu Alpha privativo, & voce, Θεοσ, seu Deus. Hi

Ariani, Fundamẽtum Ecclesiæ Orthodoxæ subruere nituntur.

Athei verò, Fundamentum omnis prorsus Religionis, & virtutis subruunt.

Hi enim non tantùm Catholicæ Religionis, imò cujuscunque, ut clarum est; sed omnis honesti, Virtutisq; fundamentum depopulantur: ut constat ex hujus lib: 1. Tract: 2. cap: 2. Unde si contra hæreticos, erroris convincendos, atq; in defendenda Ecclesia, duo Sæcula immediatè retroácta, pænè innumeros, certè numerosiores anteactis, à Christi incunabulis, per mille quingentos Annos, dabant, dantq; Athletas, libris pro Veritate Orthodoxa depugnantes: quidni æquitati consonum, ut contra Atheos idem fiat?

1mò, Adversùs Volumen istud proponuntur Objectiones quatuor.

At jam hac in arena consistentem, lacesset quispiam telo quadruplici. *1mò.* Plurimos dicet jam in hac materia desudâsse, palmamq; pænè retulisse: quid nova bella? *2dò.* Prolixitatem Voluminis fastidiet. *3tiò.* Styli florentioris desiderabit delicias. *4tò.* Cui bono contra Atheos in hoc Volumine sæpè allegatur Scriptura Sacra, seu Verbum DEI scriptum? Ast hoc telum multiplex. *1mò.* Universali[illegible] invado, Duce Clemente Alexandrino. *Nulla scriptura* (resp[illegible]ondet ille lib. 1. Strom:) *ita fortunata prodit, cui nullus omnino contradicat.* Sedulius item ejusmodi Oppugnatores: *Proferant* (inquit) *sua, qui carpere nituntur aliena, promptius est judicare, quàm facere.* Præsertim verò solenne est, ut carpant doctissima scripta, illi, quorum altum est supercilium: ut notat S. Hieronymus Præfatione in Esdram libro 3tio. Lucilius quoque dicere consueverat; Scripta mea à doctissimis, suô solô judiciô: neq; ab indoctissimis, legi volo; quòd hi, nihil; illi, nimiùm sapiant.

Respondetur ad eas. 1mò. Universaliter.

2dò respondetur ad singulas.

2dò, ad singula, oppono telum. Ad 1mum. Non latet me equidem immediatis his sæculis superioribus geminis, à numerosissimis Philosophis atq; Theologis prodiisse plurima Volumina, quibus tractatur de Numinis Existentia, ut ferè ab ipso Orbe condito, exclusivè ad illa duo sæcula, de ejusdem materiæ dignitate, non plura emanâsse, credam: attamen, quod olim

Ad 1mum.

olim Sancto Hieronymo visum, dicenti: *Sacerdotes multi, Sacerdotes pauci*; intelligendo, multos equidem existere, quò ad numerum, paucos tamen, præstantiæ officij sui correspondere: idem mihi ferè censendum esse assero *Scriptores multos*, si numerem: *Scriptores* tamen *paucos*, qui nec nimiùm compendiosè, adeòq; minimùm clarè, ac fundamentaliter: nec ex uno aut altero tantummodò fonte, sed ex plurimis, distinctè item, & enucleatè referant Argumenta, unà cum subversione fundamentorum, quibus inniti cernitur Atheismus Longè adhuc pauciores illos assero, qui efficiant id uno Volumine separato. Ordinariè enim hæc materia de Existentia DEi, in vastis voluminibus Philosophicis & Theologicis, conjuncta cum alijs speculativis, plurimùm sæpè arduis materijs, continetur, quæ primo illicò intuitu, non solùm à se repellere videntur ignaros Philosophiæ ac Theologiæ: verùm etiam ipsâ suâ vastitate, quandoq; & profunditate, quodammodo deterrent etiam licèt doctiores alios à legendo, alios verò à coëmendo. Addo: hujus materiæ tantam esse dignitatem, ac præstantiam, ut posteris, etiam aliquid novi addendum supersit. Imò, universalius loquendo: rarum librum nancisceris (nec meos libros, inter rara monumenta repono) inveniréq; post queas, ita adamussim conscriptos, aut conscribendos, ut omninò nihil sit, quod in illis desideretur. Quare, cur non juvet obtinere plures in eadem materia, qui supplere possunt in alijs, quod in alijs desideres? Ab alijs longè melius hoc idem Argumentum pertractatum esse, non dubito. At quid exinde? *Non omnia contemnenda sunt*, (verbis loquor Beati Hildeberti, in epistola ad Henricum primum Regem Angliæ) *quibus multa possunt reperiri meliora: ex aqua, plures, quàm ex mulso, sitis ardorem extinxisse invenies. Nec propterea tacere debui* (Magni Augustini ore loquor, libro 1mo de Trinitate cap: 3.) *quia non tam*

Demonstratur, nil obesse, quòd plurimi antea impugnârunt scriptis suis, Atheos.

 expe-

expeditè ac dilucidè, quàm alij (in talibus rebus, quæſtionibusq; verſati) eloqui potui: neq; enim omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt: & fieri poteſt, ut nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in iſtos ſaltem incidant: ideoq; utile eſt, plures à pluribus fieri, diverſo ſtylò, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eisdem, ut ad plurimos res ipſa veniat, ad alios ſic; ad alios autem ſic.

Ad 2dam Objectionē reſpondetur, defendendo Voluminis hujus prolixitatem.

Jam ad 2dum telum infringendum, procedo. Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens, idemq; ſcientiâ ac eruditione eximius, Cardinalis Baronius, cùm prolixiori ſermone de Diviniſſima egiſſet Thecla, in Notis Martyrum: ad 23. Septembris, ſubjungit. *Aliquibus fortaſſe, hæc prolixiora: ſed Theclam impenſiùs amanti, pauca videri poſſunt.* Idem potiori jure eloquar: Libri hi duo mei contra Atheos conſcripti, prolixiores quibuſdam: ſed DEum ac veritatem impenſiùs amanti, rectèq; perpendenti, quanti noſtri intereſt, ut nunc, tot ex erebo erumpentibus Atheis, notitia de Exiſtentia DEI, firmiſſimè mentibus hominum inſideat, breves & pauci videri poſſint. *At, eſt gratior multis* (ſubſcribo cum Plinio 2do ad Tacitum, epiſtolâ 19.) *actio* & ſermo *brevis?* eſt. *Sed inertibus, quorum deſidiam, quaſi judicium reſpicere, ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatiùs eſt, breviter dicere: ſed omnino non dicere.* Et ibidem: *Plerisq;, longiore tractatu, vis quædam & pondus, accedit; utq; corpori, ferrum; ſic oratio, animo, non ictu magìs, quàm mora imprimitur. Prævaricatio eſt, tranſire dicenda; prævaricatio etiam curſim & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda.* Plura docere eligo, quàm dicere: verborum corpora reſpuo; Abeſſe ea in Volumine volo, quæ primæ literæ Diplomatum conſimilia ſint, multa varietate ſplendidæ, unâ tamen clauditur. Magnus Suarez

arez in ſua Metaphyſica, unam tantummodò probationem E-xiſtentiæ DEI, quàm fusè pertractat! Minimè cenſetur nimia prolixitas, multorum judiciô, ſi etiam ter denis agitetur quæ-ſtio hæc folijs. Quid ſit & quomodo fiat Ens rationis? Vel: cui identificetur negatio? aut, Ens eſtne Univocum? tran-ſcenditne differentias? ſimileſq; , imò minoris momenti quæ-ſtiones, quæ difficultatis habent plurimùm, utilitatis verò ſo-lidæ, retinent exiguum. In iſta verò noſtra materia, adeo gra-vi, adeo proficua, proh dolor! prolixitas videbitur, cùm non nimis concisè pertractatur? *Infelix homo*, (exclamat Divus Auguſtinus lib. 5to Confeſſ. cap. 4.) *qui ſcit illa omnia* (illas etiam vermiculatas quæſtiones, & ſimilia) *Te autem, ô Domine, neſcit.* Legi, ore prompſiſſe quempiam: *Melius eſt dicere fusè, quàm confusè.* Et alium: *Dum brevis eſſe volo, obſcurus fio* Ad-do è Divi Hilarij mente lib. de Synod: *Fallit* (inquit) *plerumq́; audientes, & docentes brevitas verborum, & compendiô ſermo-num aut non intelligi poteſt, quod requiritur: aut etiam cor-rumpitur, quod ſignificatum magis, quàm enarratum rationis abſolutione non conſtat.*

3tiæ ſatisfit Objectioni incuſanti ſtylū, quòd non ſit floridus.

Tertia Objectio concidit ex eo. Quia in hoc Volumine conſcribendo, Theologum Scholaſticum egi, adeoque ſtylum admovi: id eſt, non horridum quidem, ſed nec exquiſitè cul-tum, & floreſcentibus amœnitatibus facundiæ, delicioſum. Nec certè ejuſmodi vernans ſtylus comperitur in Aquinatici Angelici Doctoris voluminum hortis Divi Thomæ; Docto-ris Seraphici, Divi Bonaventuræ; Subtilis Scoti: primæ Magni-tudinis Theologorum, Cajetani, Bellarmini, Suarez, Vaſquez, aliorumq; . Accedit, quòd ſumptuoſæ materiæ, ut verum auri decus, argentiq; ac margariti, inveſtigetur etiam informius, ac ſine arte placeat rerum æſtimatori æquo: & quis ſibi dis-plicere præferat Volumen hoc, quòd ſtyli arte non ſplendeat?

Ad 4. Ostenditur, rectè hic adhiberi Scripturã Sacram etiam contra Atheos.

Quartum Adversarij telum (non diffiteor) foret validum, si in eodem hoc Volumine non demonstrarem, Librum Scripturæ Sacræ, apud quoscunq; etiam Infideles prudentes mereri majus sui pretium, & auctoritatem, quàm mereatur liber cujuscunq; profani Historici; ut Herodoti, Livij, Plutarchi, Curtij, Taciti, & similium, etiam simul sumptorum. Ast quia id fusè demonstratum continetur hìc in Tractatu 2do libri 1mi. cap: 3tio, ideo telum illud esse omnino invalidum, in comperto est.

2dò itidẽ. Objectiones tres proponuntur, ne disputetur contra Atheos.

Et hoc quadruplici Objectionis retusô telô, universalius fortè oppugnantibus, respondendum erit. Non esse (inquient alij) dimicandum contra Atheos, ob rationum sequentium dignitatem. *Primò. DEUS Mundum tradidit disputationi eorum*, id est hominum: ut ait Salomon Ecclesiastæ 3tio. Ergo non se ipsum. Et idem præmonet Proverb: 26. versu 5to. *Non respondeas stulto*: quid autem aliud, quàm stultus censeatur, omnis Atheus, juxta illud Psalmi 13. *Dixit insipiens in corde suo: non est DEus:* potiusq; immanis illa Atheorum impietas, scelestiori ausu in Gigantonomachiam provecta, quâ non montes, sed mentes blasphemas, verbaq; dementia jactat, potiùs inquam, lapideis impetenda argumentis, armisq; durioribus subigenda: aut in umbra mortis sedentibus Atheis, cõvenientior est flamma, & rogus ad illustrandam Existentiam DEI, quàm ut illorum obcœcatus animus demonstrationibus dirigatur.

2dò, Depromes Clementis Alexandrini lib: 1. Strom: ajentis, effatum. *Sunt* (inquit ille) *quæstiones quædam dignæ, quæ puniantur: cujusmodi est, quærere probationes an sit Providentia* (multò magis, quòd sit DEus) *cùm sit manifesta Divina Providentia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum, quæ arte consistunt, & sapientiâ constant*. Arnobium illi adjunges,

ges, ſublimis Eloquentiæ & Eruditionis Præceptorem Lactantij, lib: 1. contra Gentes, hæc exarantem. *Dicunt ſana ſentientes, contradicere rebus ſtultis, ſtultitiæ eſſe majoris; nec quidquid refert, aut diſcrepat, DEumne neges, an aſſeras: cùm in eadem culpa ſit, & aſſertio DEI* (id eſt conquiſitio Argumentorum, quibus probetur, DEum eſſe) *& abnegatio refutatoris increduli.*

3tio, Addes Ariſtotelem 1. Top. cap: 9. dicentem. *Non oportet omnem Propoſitionem conſiderare, ſed cùm dubitabit aliquis eorum, qui ratione egent, & non pœnâ, vel ſenſu: nam qui dubitat, Utrum oporteat Deos honorare & Parentes diligere, an non pœnâ indiget? qui verò, an nix alba, an non ſenſu? Neq; quorum propinqua eſt demonſtratio; nam illa non habent dubitationem.* Eundem, primo Phyſic: textu 8. aſſerentem. *Contra negantem principia, non eſt diſputandum.* Atheus autem negat Principium omnium Primum.

At his reſpondetur ipsâ ſuprà dictorum claritudine; deinde praxi continuâ innumerorum Sapientum: eſſe nimirum ſaluberrimum, erroris Atheos convincere. Naturâ denique comparatum eſt, Rationi non obeſſe ſermonem rationis & *ſemper ventilata veritas* (ut loquitur Conſul Romanus, Caſſiodorus libro 1. de Incarnat. cap: 6to) *plus rutilat.* Quæ in contra allatæ rationes, ruinam referunt. *Propoſitæ Objectiones tres ſolvuntur*

Primæ enim Rationi negatur Conſequentia. Affirmatio etenim unius, non eſt Negatio alterius; maximè cùm hæc Negatio, principaliorem Theologiæ partem demoliretur, partemq; magnam Philoſophiæ: imò hac ipſa Scripturæ parte, pugnandum eſt contra Voluminis hujus Oppugnatorem, oppoſitumq; inferendum. An enim Diſputationes de Mundo, non nectuntur neceſſariò cum Diſputationibus de Attributis, atq; Exiſtentia DEI, utpote cauſa productiva & conſervativa

Mun-

Mundi? Rectè proinde Diviniſſimus Hieronymus cum alijs, citatum Scripturæ locum explicando, diſſerit: quòd DEus hanc homini occupationem ſcrutandi res in Mundo à ſe creatas dedit, ut eâ honeſtè occupatus, DEum Creatorem agnoſceret, amaret, & laudaret. Salomon admonet ſapienter; *Non reſpondeas ſtulto, ut ei aſſimileris*, videlicet ſtultè reſpondendo. Reſpondendum nihilominus ſtulto ita, ut illi ſua demonſtretur ſtultitia, quâ visâ, limam adhibeat. Unde annectit, verſu ſequenti. *Reſponde ſtulto, juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Lapis, non debet eſſe terminalis Atheiſmi, aut rogus, ſed præmitti debent ad converſionem media leniora & efficacia, inter quæ, ſunt etiam Argumenta in his libris contenta: quæ ſi non ſortirentur ſucceſſum, utendum eſſe non diffiteor illis, quæ aſſeruntur.

Secundæ depromptæ Rationi: Animô dubitandi de Exiſtentia DEI, vel improbandi communia Argumenta, ferè omnium Doctorum conſenſu approbata: & quærere probationes novas, ſubtiles, non ſolidas: ſubſcribo, non vacare culpâ, imò pœna digniſſimum, affirmo: Secùs, minimè. Hi enim etiam ipſi citati Auctores probant ſuis in Voluminibus Numinis Exiſtentiam.

Tertiæ Objectioni deſumptæ ex Ariſtotele, ipſum reſponſurum Ariſtotelem reddo: ait ille ad ſummum, de propinqua demonſtratione petenda ab Inductione, Experimento, ſenſuum aſſvetudine: aliàs ſibi ipſe contradiceret: nam Exiſtentiam DEI, plurimis ipſemet probat. Illo autem primo Phyſicorum textu, intelligendus eſt loqui de primis Principiis lumine naturæ notis, quibus innititur omnis recta Diſputatio. Talia ſunt: *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe. Quodlibet eſt vel non eſt.* Qui enim negat ejusmodi Principia, quæ ſunt velut fundamentum Scientiæ, ac Diſputationis, nihil ponit.

Omnis

Omnis autem Diſputatio fit ex quibuſdam poſitis. Quanquam & Principiorum talium veritas, ut magis evidenti in luce pateat, & Argumenta oppoſita diſſolvantur, quandoq; etiam illa in Diſputationem ſumere convenit. Unde coáctus eſt ipſe Ariſtoteles in ſua Metaphyſica, veritatem probare illius Principii: *Non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe:* quod quidam Philoſophorum veterum, ſcilicet Heraclitus, teſte eodem Ariſtotele 11. Metaph. cap: 3. auſus eſt pernegare. Item in ſua Phyſica comprobavit, Corpora locô moveri: ut Zenonis Sophiſmata, ſatis ardua enuclearet. Accedit: quòd ut doctiſſimè in Hiſtoria Concilij Tridentini lib: 7. cap: 14. notat Cardinalis Pallavicinus: certum quandoq; eſt, quænam quæſtionis pars, veritati conſonet, ſed quænam ex adductis rationibus, eam efficaciter comprobet, certum non eſt: quare talium quæſtionum Diſputatio, ad comprobandam legitimam probationem, etiam utilis eſt. Unde ad ingens emolumentum, Doctores Scholaſtici, accuratè pertractant illam quæſtionem: An DEus ſit? quæ utpote ex ipſa rei natura, ſua ſponte certiſſima, poſſit videri ſupervacanea, nihilominus ob noſtræ phantaſiæ craſſitudinem, ſupra terreſtria ægrè aſſurgentis noſtrarumq; depravationem appetentiarum, refugientium vindicem eorum facinorum, à quibus abſtinere detrectant, ſummè neceſſaria eſt iſtis temporum tempeſtatibus dolendis, in quibus non ſolùm in corde, ut olim inſipiens, ſed etiam palam, ore blasphemo non pauci profari haud verecundantur: Non eſt DEus. Utinam verò illis ipſis, qui ex animo acriter impugnant neceſſitatem diſputandi contra Atheos, non ſit ejuſmodi Diſputatio, ſummè perneceſſaria.

Libros hos duos conſcripſi, & prælo mandavi: tum ut verus Chriſtianus Lector in iſto principali Religionis articulo, magis ac magis confirmetur, habeatq; in promptu Argumen- *Cur Volumen hoc contra A-*

theos conscriptum? menta, ad convincendos erroris Atheos, repellendaq; contraria veritati huic tentationum pericula, quibus persæpè, illuminatæ etiam animæ jactantur. Tum, ut si fortunâ aliquâ, libri hi in manus alicujus, saltem in actu primo proximo Athei, deveniant, is ab errore nefando faciliùs revocari queat. Porrò istud posterius, ut efficaciter præduce Numinis favore fiat: observanda illi sunt hæc. *1mò*. Ante lectionis arreptam voluntatem ulteriorem, tantisper saltem exuat se persuasione erroneâ, ponatq; se in æquilibrio, atquè in eo statu, ac si modo primùm hæc quæstio: Existitne DEus? proponeretur, ipseq; primò mente volveret, quid respondendum foret. *2dò*. Erigat in se flammans desiderium, id, quod lecturus est, penetrandi; cùm aggrediatur rem gravissimi momenti: nec simul plura legat, quàm valeat, ruminando concoquere: nec è contra, more canum ad Nilum bibendo, moras non trahentium, lambentium simul & mox fugientium (ne à Crocodilis capiantur: ut scribit Plinius lib: 8. Historiæ Naturalis, cap: 11mo) festinet legendo: sed simul arenti & immoranti veritatem exhauriat ore. Signum malè constituti ventriculi est, fercula plura delibare, & nulla digerere, ac nullo refici. Indicem si legat, aut in marginibus annotata, non simul se penetrasse omnia sibi persuadeat: multa enim reperiet legendo Volumen istud integrum, quod hucusq; ignoravit. *3tiò*. Removeat se aliquantum à negotiorum strepitu aliorum; *qui enim à medio communium rerum strepitu non recedit, DEI cognitionem assequi minimè potest*: teste Sancto Isidoro Pelusiota lib: 1. epist: 404. Mansuetudini deinde animum inclinet. Hæc enim virtus, judicio Divi Thomæ 2. 2. q. 157. art: 1. *præparat hominem ad cognitionem DEI, removendo impedimentum dupliciter. 1mò, faciendo hominem compotem sui per diminutionem iræ: alio modô, quòd homo man-*

Illud, ut fructuosè legat etiã Atheus, quidnam ei præstandum?

manſuetus non contradicat Veritati: hoc enim plerumq; fit ex commotione iræ. Unde Eccleſiaſtici 5. legitur. *Eſto manſuetus ad audiendum verbum DEI, ut intelligas.* Et Stagyrita 7. Ethic: cap: 6. ait: *Ira nunquam perfectè rationem audit.* 4tò. Quòd in maximis poni vellem: abſtineat ſaltem aliquo temporis intervallô à gravioribus criminibus, maximè à quacunq; ſpecie luxuriæ. *Ejice,* (inquit Muſonius apud Ariſtidem) *quod eſt in anima mortuum, & DEUM cognoſces.* Nam ut aſſerit Dio Chryſoſtomus Orat: 12. *Nebulæ ex vitijs aſſurgentes, intercludunt hominibus divinorum cognitionem.* Et Sanctus Auguſtinus ſerm: 2. de Aſcenſione, qui eſt 175, de tempore, ait: *DEUM videre vis* (etiam nunc in ænigmate) *priùs cogita de corde mundando.* Aliàs illud Oſeæ 6. verificabitur. *Non dabunt cogitationes, ut revertantur ad DEUM ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum eſt.* Denique expromat vocem: Si es aliquod Supremum Numen: ſi aliquis cæli terræq; Conditor, ac Rector, Te invoco: illuſtra, quæſo, efficaciter mentem meam. Noverim Te, noverim me. *In cælo enim ille Cathedram habet, qui corda hominum docet.* ut loquitur Sanctus Auguſtinus in Epiſt: Joann: Tractatu 3. & ſicut Solem hunc viſibilem, ipſo nonniſi ſole adjuti, cernimus, ita nec ſolis Conditorem, ſummamq; illam Lucem, ſinè illius adjumento ſpectare valemus: quòd minimè denegabit taliter expoſcenti, & ſe diſponenti DEUS Optimus, juxta illud Sancti Præſulis Hypponenſis, lib: 3. de libero arbitrio, cap: 13. *Nulli homini ſublatum eſt, ſcire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & ſimiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti, ille ſubveniat, qui non errat, dum ſubvenit.* Item juxta illud Axioma, à Theologis & Divo Thoma, tum alibi, tum in ſecundum ſentent: Diſtinct: 28. q: 1. art: 1. ab annis plùs quàm trecentis, approbatum, Divinæq; maximè congru-

gruum Bonitati. *Facienti, quod in se est, DEUS non denegat gratiam*: Et illud Psalmi 20. *Clamabit ad me, & ego exaudiam.* Utinam verò ex lectione hujus Voluminis, prælucente ac adjuvante Divino Lumine, vel saltem aliqui, desumptâ inde clariore DEI notitiâ, ad ejus amorem, ut par est, efficaciter excitarentur! Item, utinam vel unus Atheus resipisceret seriò, ac ita salvaretur: non tantùm inexplicabile mihi hinc promanaret solatium: verùm Amor ille, resipiscentia illa salutifera, incomparabiliter omnis laboris mei in hoc Volumine conscribendo suscepti, excessiva foret merces & munus: nam ut ipsa Fides docet Orthodoxa, & Sanctus Chrysostomus Orat: contra Judæos profatur. Salus animæ, majus quid est, quàm Mundus hic universus, quantus quantus undiq; patet oculis: plusquè DEUM laudat unus Sanctus in cælo, quia per æternitatem, quàm omnes homines in terra ab initio Mundi usquè ad finem ejus. Non denega id Lector Benevole, quod non sine tuo etiam ingenti commodo, tam ardenter desidero, supplexquè à te postulo. Vale.

Auctoris desideriũ.



LIBER I.

PRO DEO CONTRA ATHEOS.

Fronti totius hujus Voluminis præfixi titulum: *Everſio Atheiſmi*: quare congruum duxi, ut ſtatim in ipſo limine hujus I̅mi Libri, ſit, qui ſequitur:

TRACTATUS PRIMUS.

FUNDAMENTA, QUIBUS ATHEISMUS INNITITUR, RECENSENTUR, & EVERTUNTUR.



Icut Tribunalibus non deſunt quandoq; Cauſidici, qui licèt evidenter norint, nullum ineſſè pondus cauſæ, ad æquitatis libram expendendæ, totamq; rerum gerendarum molem, facilè disjiciendis ſuffultam fundamentis vacillare; attamen ſi pretioſa ſpes lucri affulgeat, contentionibus implent forum, Tribunalium æquitatem appellant, implorant Judicum benevolentiam, rationes undiq; petunt, ſuæ patrocinaturas liti: ſicut item pleriſq; uſuvenit, ut nihil non audeant, juramentiq; vinculò ſe adſtringere non formident, dummodo ſe metu pœnarum, meritò infligendarum liberent; ita aliqui reperiuntur, qui ut vetitas Mundi illecebras, ſibi magis condiant, ne auri copia, alienis erepta gazis, ſuam conſcientiam gravet, & tandem ne à tergo inſtet Ultor, ſcelerum immanitatem debitô affecturus ſuppliciô, Supremum Vindicem DEUM, & Cælo & Mundo exulare facit impietas, dum nullum eſſe confingit. Quâ arte clamantis conſcientiæ non obſtruuntur ora? quâ ſollicitudine non conquiruntur fundamenta, quibus Atheiſmus innitatur,

Athei ſimiles quibusdam perverſis Cauſidicis

Cur quidã ſibi perſuadere conantur, non eſſe DEum?

tur, ac si nova Babylon exstruenda foret? Verùm hæc quænam sint, & quàm levia, jam videamus.

CAPUT I.

Fundamenta Atheistarum recensentur.

Primum Fundamentum.

Imũ Fundamentum Atheorum est, quia nullo sensu percipitur Deus.

ATheistarum præsertim rudiorum est: *Deus, nec visu, nec ullo sensu percipitur. Ergo non est.* Unde Sanctus Augustinus sermone 147, ait: *In homine carnali* (quales utiq; solent esse præsertim Athei?) *tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi: quod solent videre, credunt, quod non solent, non credunt.* Et Gregorius Magnus lib: 4. Dialogi cap: 1. *Carnales quiq;, quia illa invisibilia* (nempe esse cælestem Patriam, Angelos, addo, DEUM) *scire non valent per experimentum, dubitant* (imò & negant aliqui) *utrúmne sit, quod corporalibus oculis non vident.*

2dum Fundamentum.

2dũ. Quia bonis, adversa; impijs evenire solent prospera.

In hac vita, Probi sunt sæpè infelices: improbi, felices. Moriuntur quandoq; miserè & citò boni; vivunt diu & fortunatè, impij. Ergo Deus non est Providus & Justus: proinde simpliciter non est. Sic argumentari Atheos constat ex dicto illius impij:

> Marmoreô Licinus tumulô tegitur: Cato parvô:
> Pompejus Nulllo: credimus esse Deos?

Et Ovidius in morte Tibulli ait:

> Cùm rapiant mala fata, bonos, ignoscite fassô,
> Sollicitor, nullos esse putare Deos?

Martialis item, Epigrammatum libro 4to refert de Selio.

> Nullos esse Deos, inane cælum
> Affirmat Selius, probatq;, quòd se
> Factum, dum negat hæc, videt beatum.

Diagoras quoq; Democriti discipulus, cùm fuerit priùs cultui Deorum addictissimus, ast cùm injuriâ ab aliquo affectus esset, qui pejeraverat, & tamen nihil propterea passus fuerat, quin prosperè vixerat, eò deductus est, ut diceret: non esse DEUM; aliosq; abducebat

à

à Numinis cultu. Quin & de Christianis quibusdam in Atheismum prolapsis, scribit Sanctus Basilius, sermone: Quod DEUS non sit Auctor malorum: ferè ab initio. *Siquid calamitosum acciderit, instantem in rebus adversis dolorem non ferentes, mox secum perplexi dubitant, an sit DEus: an singula videat, utrum cujusq; meritis respondeat: deinde ubi se ipsos viderint* (vel etiam alios, quos putant esse bonos) *in ijs, quæ nolunt, diu detentos, pravum illud dogma inter se confirmant, & in suis cordibus ita decernunt: Non est Deus.* Lucas etiam Opalinius, Mareschalcus Curiæ Regni Poloniæ, in suis doctissimis Prolegomenis librorum de Officiis ait: *Dum bonis, mala: & malis, bona vident quidam evenire, de Providentia primùm queruntur, mox dubitant, & demum illam, atq; DEum unà tollunt.*

3tium Fundamentum.

In Mundo fiunt tot mala. Ergo Deus utpote non excludens mala, vel non est summè bonus, vel non est Omnipotens: proinde non est Deus. Meminit hujus Fundamenti, Sextus Empyricus libro 1mo Pyrronicarum Hypotyposίton cap: 1. & Divus Thomas 1. p. q. 2. art: 3. dum Argumentum ex Persona Atheorum, tale ponit. *Si unum contrarium, fuerit infinitum, totaliter destruetur aliud. Sed hoc intelligitur in hoc nomine, Deus, scilicet, quòd sit quoddam Bonum infinitum. Si ergo Deus esset, nullum malum inveniretur. Invenitur autem malum in Mundo. Ergo Deus non est.* Simile Argumentum refert Subtilis Scotus in lib: 1. Sent: Distinct: 2. q. 1. Et illustrat exemplô solis, qui si esset infinitè calidus, nihil relinqueret frigidum in Universo.

3tiū. Quia universaliter, mala reperiuntur in Mundo.

4tum Fundamentum.

Natura rerum visibilium, seu Mundus, nequaquam divinitus, seu à Deo est productus. Ergo non est Deus. Consequentia probatur? Quia præcipuum Argumentum, DEI existentiæ probandæ, desumi solet ex productione Mundi visibilis. Antecedens etiam probatur. Quia Natura rerum visibilium scatet pluribus defectibus physicis. Magnam enim partem terræ occupant entia inutilia, ut montes, sylvæ, rupes, paludes, mare. In Mundo item sunt multa venenosa, & horrifica animalia &c. Sic argumentatur nomine Atheorum, & suo, Lucretius libro 5to inquiens:

4tū. Quia nullus est Auctor Mundi: siquidē hic scatet defectib9 pluribus physicis.

Quod si jam rerum ignorem primordia, quæ sunt;
Hoc tamen ex ipsis cæli rationibus ausim
Confirmare, aliisq; ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum: tantâ stat prædita culpâ;
Inde avidam partem montes, sylvæq; ferarum
Possêdêre: tenent rupes, vastæq; paludes,
Et mare, quod latè terrarum distinet oras.
Præterea genus horriferum natura ferarum
Humanæ genti infestum, terraq; mariq;.
Cur alit, atq; auget?

Hoc fundamentum 4tum coincidit cum fundamento 3tio, nisi quòd in quarto, enumerentur, judiciô Lucretii & quorundam aliorum impiorum, particularia mala.

5tum Fundamentum.

5tum. Critias Athe9 blaterat, confictum Numen esse, ad populos coërcendos.

Legislatorum id commentum est de Existentia Dei, & politicum artificium, quô Reges & Principes populum sibi subjectum contineant sub imperio suo, vel ad bella urgeant. Ita sensit impius Critias (erat is unus è triginta Tyrannis Atheniensibus, à Lacedæmoniis impositus, qui Athenienses nefandè oppressit. *Mihi* (inquiebat ille, ut refert Sextus Empyricus in Examine Scientiæ Physicæ cap: 1.) *videtur, vir aliquis ingeniosus & prudens cognovisse, quòd operæ pretium faceret, si inter mortales invenisset; quemadmodum malis metus esset incutiendus, etiamsi clam agerent, aut dicerent, aut cogitarent: hinc Deum introduxit.* Statius verò Poëta Satyricus, dum cælo fulmina caderent, tunc primùm ab hominibus confictos fuisse Deos censuit, inquiens; Primus in Orbe Deos fecit timor.

6tum Fundamentum.

6tum Fundamentũ. Quia omnia possunt refundi in Naturam.

Absq; Deo possunt omnia sat benè refundi in ipsam Naturam. Ita communiter Athei. Unde & Lucilius Vaninus, Medicinæ in speciem Professor, homo mediocris ingenij & eruditionis, Anno 1619 Tolosæ in Gallia ob atheismum combustus, scripsit librum infamem, cui titulum præfixit: de Arcanis Naturæ: in quo libro probare nitebatur, Natu-

Naturam, rerum omnium esse Deam, nullumq; dari supremum Numen omniscium, Omnipotens.

7mum Fundamentum.

Dei Natura perfectè cognosci non potest. Ergo non est Deus. Hinc nunquam satis laudatus Lucas Opalinius, locô suprà citatô scripsit: *Quòd negant quidam, vel non ut oportet, adfatentur DEum, fit primùm ingenij protervià & petulanti acrimonià, quæ ratiocinando antecedere Principium frustra conatur, cùm illud, nulla antecedentia habeat, si enim haberet, Principium non esset* (intellige primò primum) *dum ergo ex antecedentibus non colligit, cur, & quomodo DEus sit, ne esse quidem putat.* *7mū. Quia non potest comprehēdi Natura Dei.*

8vum Fundamentum.

Non demonstratur, nec potest demonstrari Existentia Dei. Ergo Deus non existit. Hoc, inter alia, esse fundamentum Atheorum, testatur Joannes Baptista Morinus in Præfatione suæ Astrologiæ, asserens ideo fieri plerosq; Atheos, quòd putent, Existentiam Dei non probari demonstrativè. Reverendus quoq; Pater Ignatius Franciscus Zapolski, meus olim in Philosophia doctissimus Professor, dein, post Theologicam Cathedram,& Regimen Collegii Torunensis, in Persiā, Apostolici Spiritûs,Missionarius,ubi etiam in laboribus decessit Anno 1703, hic inquam zelosissimus Pater, per literas quæsitus à me, quænam fundamenta sui Atheismi, Casimirus Lyszczyński habuerit: in suis ad me responsoriis datis Szenvaldiâ, Anno 1698. 19. Novembris, scribit sic: *Supponendum, quòd Atheus ille Dominus Lyszczynski, omnia in Naturam derivabat. Fundamentum erroris illius Athei, erat Negativum, & Positivum. Negativum: Dicebat enim, & hoc fusè probabat in suis Scriptis, quæ ego legi, & ex mandato Serenissimi Regis Joannis III, compendiavi Grodnæ: quòd nulla sit, & esse possit Demonstratio DEI: conabaturq; solvere illas, quæ communiter solent adferri. Positivum fundamentum erat, quòd esse DEI, quod à nobis asseritur, involvat implicantias in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & in actibus DEI liberis.* *8vū. Quia evidenter deduci non potest, existere Deū.*

9num Fundamentum.

Esse Dei, quod à Christianis asseritur, involvit implicantias. Dicitur enim DEus esse unus in Natura, trinus in Personis: quæ ta- *9num. Quia Essentia Dei*

à Christianis asserta, involvit contradictionem.

men sunt omnino idem cum Natura. Dicitur, Actus Dei liberos, verbi gratia: Volo creare Mundum. Nolo creare duos soles; realiter Deo identificari; & tamen potuisse absolutè hos actus non esse: quod est implicatorium; siquidem implicat, Deum non esse. Hoc etiam esse Atheorum fundamentum constat ex citata superiùs Epistola.

10mum Fundamentum Atheorum est.

10. demum Fundamẽtum Atheorum est. Quia admissô Deô, non possèt satisfieri multis quæsitis.

Posito, quòd Deus esset, sufficienter non posset responderi ad multa quæsita. verbi gratia, hæc: Si fuit Deus ab æterno, Cur Mundum non creavit ab æterno? Cur non plures? Ubi fuit, antequam produceretur Mundus? Cur tot homines sine agnitione sui vera, esse permittit? Cur tot damnantur? & alia innumera. Ergo Deus non est. Unde Carthesius in Præfatione Opusculi, cui titulus: Meditationes de prima Philosophia, ait: *Generaliter dicam, ea omnia, quæ vulgò jactantur ab Atheis ad Existentiam Dei impugnandam, semper ex eo pendere, quòd vel humani affectus, Deo affingantur; vel mentibus nostris tanta vis & sapientia arrogetur, ut quidnam Deus facere possit, ac debeat, determinare ac comprehendere conemur; adeo, ut modò tantùm memores simus, mentes nostras considerandas esse ut finitas, Deum autem ut incomprehensibilem & infinitum, nullam ista difficultatem sint nobis paritura.*

CAPUT II.

1. & 2dum Fundamẽtum Atheorum evertitur.

Primum & 2dum Fundamentum Atheorum superiùs positum, convellitur per Propositiones sequentes.

Prima Propositio.

Dantur multa, quæ non videntur. Imò nulla visibilia, nisi per invisibilia videntur ab homine.

Certum enim est multa dari, quæ non videntur oculis corporeis.

PRima pars Propositionis est evidens. Quia, ut rectè ait Lactantius lib: 7. cap: 9. Instit: divi:. *Quoniam DEus ab homine videri non potest, ne quis tamen putaret ex eo ipso DEum non esse, quia mortalibus oculis non videretur: inter cætera institutorum suorum miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, substantia tamen non videtur: sicut est vox, odor, ventus; ut harum rerum argumentô & exemplo, etiam Deum, licèt sub oculos non veniret, de sua tamen vi & effectu & operibus cernere*

 nere

neremus. Sapienter proinde in Regno Cochinchinensi, Anno 1700, Antonius Ki, natione Cochinchinensis, cujus Genitor fuit Dux, & Christianus, persecutionem movente in Christianos Rege, captus, atq; gravi è cannis indicis vinculô onustus, rogatus, me præsente (scribit Pater Joannes Antonius Arnedo, Societatis JEsu, ibidem Missionarius) à militibus, cur DEum crederet, quem nunquam vidisset? *Hisce* (respondit) *oculis sanè non vidi, sed isto corde, jam à longo vidi tempore, vidi profectò, & gavisus sum.* Sapientissimè & Divus Augustinus de Symb: ad Cateh: cap: 3. dicit: *Non videtur DEus noster oculis carnis, sed videtur oculis cordis. Cor immundum & tenebris peccatorum obvolutum, quærit DEum videre? Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Nunquid quia cæcus non videt, ideo lux non lucet? si nosses ô infidelis, dicere DEO vero: Illumina oculos meos, videres nobiscum nunc per speculum in ænigmate, ut posses videre facie ad faciem.*

Secunda etiam pars Propositionis patet, & Probatur verbis & Argumentô Magni Gregorij, libro 4to Dialogi, cap: 5to. [Ecce enim ,cuncta corporea oculus tui corporis aspicit: nec tamen ipse corpore- ,us oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorperea ad vi- ,dendum acuerit. Nam tolle mentem, quæ non videtur, & in cassum ,patet oculus, qui videbat: Subtrahe animam corpori, remanent pro- ,culdubio oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant: cur di- ,scedente anima nihil vident? Hinc ergo collige, quia ipsa quoq; vi- ,sibilia, nonnisi per invisibilia videntur. Ponamus quoq; ante oculos ,mentis ædificari domus, immensas moles levari, pendere magnas in ,machinis columnas, quis (quæso te) hoc opus operatur, corpus visi- ,bile, quod illas moles manibus trahit: an invisibilis anima, quæ vivi- ,ficat corpus? Tolle enim quod non videtur in corpore, & mox im- ,mobilia remanent cuncta, quæ moveri videbantur, sicut visibilia cor- ,pora metallorum. Qua ex re pensandum est, quia in hoc quoq; Mun- ,do visibili, nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest.] Hucusq; Sanctus Gregorius.

Imò, nihil visibile, nisi per invisibile videt homo.

2da Propositio.

Dantur multa, quæ nullo sensu externo immediatè, ut sunt in se, percipiuntur.

Certum item, dari

PRobatur. Quis enim aliquo sensu externo immediatè unquam per- cepit

multa, quæ nullo externo ſenſu immediatè percipiuntur.

cepit viſionem etiam ſuam propriam, alioſq; actus ſenſuum externorum ac internorum? Quis ſpiritus vitales, aut animales in ſuo vel alieno corpore vivente? licèt ſint materiales, utpote ab exhalatione ſanguinis benignioris & aëris inſpiratu geniti, ad univerſas corporis functiones obeundas neceſſarii. Quis actus memorativos, Intellectiones, volitiones? Animas rationales, Angelicas ſubſtantias? Majora dico. Nullum Compoſitum ſubſtantiale etiam materiale, ullo ſenſu externo immediatè percipimus unquam. Unde Ariſtoteles 2. de Anima dicit: *Nulla ſubſtantia per ſe ſenſibilis eſt.* Sub ſenſus enim externos immediatè non cadit materia prima, nec ulla forma ſubſtantialis vel unio, ex quibus conſtituitur compoſitum ſubſtantiale: ut certum apud Philoſophos Claſſicos. Nonniſi accidentia ſola, & quidem non omnia, tantummodò certa aliqua, ſenſibus externis immediatè percipiuntur; ſcilicet ſenſu viſûs, percipitur ſolùm immediatè Lux, Color, & probabiliter etiam Ubicatio, ſeu præſentia rei: Auditu, ſonus & ejus præcipua ſpecies, vox: Odoratu, odor: Guſtu, ſapor: Tactu, qualitates primæ: ut Calor, frigus, humiditas, ſiccitas, & quædam etiam ſecundæ: ut Durities, mollities, impetus, gravitas, levitas.

3tia Propoſitio.

Non derogat hoc Divinæ Juſtitiæ, Providentiæ, & Bonitati, quòd in hac vita, communia ſint bona ac mala pluribus juſtis & impijs. Imò quòd plerumq; eveniant mala Juſtis, bona impijs.

Rationes validæ afferuntur, cur DEO diſponente, bona & mala temporalia, cõmunia ſunt bonis ac malis: imò plerũq; proſpera

PRæter dicenda in Tractatu tertio Libri hujus Imi, ubi ex hac ipſa inæqualitate, eruitur efficax Argumentum pro Exiſtentia Dei & immortalitate animæ. Nam hæc ipſa humanarum rerum ſortiumque inæqualitas, planè demonſtrat, eſſe aliam vitam, in qua, omnia ad æqualitatem reducenda ſunt ab aliquo Supremo Judice. Veritas Propoſitionis tertiæ probatur. Tum quia, ut rectiſſimè libro I. de Civit: Dei, cap: 8. Sanctus Auguſtinus ait: *Placuit Divinæ Providentiæ, præparare in poſterum* (non in hac vita) *bona, Juſtis, quibus non fruentur injuſti: & mala, impijs, quibus non excruciabuntur boni: iſta verò temporalia bona, & mala, utriſq; eſſe voluit communia: ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur: nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumq; afficiuntur.* Tum quia, *Electis ſuis* (lo-

quor

quor verbis Sancti Gregorii lib: 23. Moralium cap: 24.) *ad se pergentibus, Dominus, hujus Mundi iter asperum facit, ne, dum quisq; vitæ præsentis requie, quasi viæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet: ne, dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in Patria.* Tum quia tali ratione instruimur, quòd præsens vita, non sit propriè locus & tempus remunerationis, sed certaminis laborisq;: item ejusmodi malorum tolerantiâ augentur merita: momentaneum enim & leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur: admissaque, sine quibus non vivitur, peccata levia eluuntur. Tum quia sic Virtus probatur & exercetur, quæ enim Virtus esset, sectari ea, quæ etiam in hac vita semper, vel ferè semper afferunt delectationem ac prosperitatem? nullumq; sic esset discerniculum inter Virtutis & voluptatis; DEI, & proprii commodi, amatores. Item manifestatur sic DEI Omnipotentia, amara, reddens suavia. Unde à Patribus, tribulatio Justorum, appellatur Antiperistasis quædam spiritualis, Virtutem augens & roborans: Cos, ferrum exacuens: Lima, poliens, mundans ærugines: Malleus dilatans & extendens: Absynthium, pueros ablactans, avellensq; ab uberibus illecebrarum Mundi. E contra, impiis, aliqua bona dantur hìc à DEO, vel in præmium aliquod paucorum bonorum, quæ agunt, cùm sint postea, æternùm puniendi: vel ut talibus beneficiis illos ad se alliciat: vel ut demonstret quàm parvi DEus æstimet temporalia bona conferendo ea hostibus etiam suis. Lex præcipit, ut damnati ad mortem, antequam illam subeant, refocillentur: & damnandis æternùm, quòd aliquod refrigerium detur per bona temporalia, vitionè vertemus DEO?. Imò dum continuò ac multùm prosperatur impius, si saperet, exclamaret cum Sancto Augustino: *Hic ure, hìc seca, modò in æternum parcas.* Nam ut idem Sanctus rectissimè Serm: 37. de Verbis Domini, ait: *Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò, flagellô dignetur castigare.* Item Sanctus Bernardus Serm: 42. in Cantica. *Tunc magis irascitur DEus, cùm non irascitur: Misereamur inquit (Isaiæ 26.) impio, & non discet facere Justitiam. Misericordiam hanc ego nolo* (addo felicitatem, opitulentiam) *super omnem iram, miseratio ista, sepiens mihi vias Justitiæ. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via: illud nobis, tua benigna animadversio parit; hoc formidolosa*

eveniunt impiis, adversa Justis.

 nutrit

nutrit dissimulatio: cùm enim sentio Te iratum, tunc maximè confido propitium. A Domino (inquit Sanctus Paulus 1. ad Corinth: 11.) *corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur.* Et ipse Dominus Apoc: cap. 3. *Ego, quos amo, arguo, & castigo.*

Gentilis Philosophus Seneca, libro de Providentia, cap. 4. quærit. *Quare DEus* (inquit ille) *optimum quemq;, aut mala valetudine, aut luctu afficit?* Et respondet. *Quare in castris quoq; periculosa, fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui horis nocturnis hostes aggrediantur insidijs, aut explorent iter, aut præsidium, loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: malè de me, Imperator meruit. Sed: Benè judicavit. Idem dicent, quicunq; jubentur pati timidis ignavisq; flebilia. Digni visi sumus DEO, in quibus experiretur, quantum Natura humana posset pati.* Lege totum Librum Gentilis Senecæ de Providentia, & obmutesces Athee, qui ex eo, negas DEum, quòd plerumq; boni, mala patiantur.

Pater Sebastianus Viera Societatis JESU, qui inter Japones fuerat tempore persecutionum, testatus est, se tunc supra quatuor millia Japonum, Confessiones excepisse, & in nullo peccatum invenisse mortale. Ut refert Nierembergius, 2do Theo-Politici cap: 11. Sic persecutio à peccando cohibet bonos.

CAPUT III.

3tium & 4tũ Fundamẽtum Atheismi subruitur.

3tium & 4tum Fundamentum Atheorum suprà annotatum, subruitur à Propositionibus, quæ sequuntur.

4ta Propositio.

Non derogat Bonitati Divinæ, quòd mala esse permittat in Mundo, quem gubernat.

Ex multiplici capite congruit Bonitati & Providentiæ Di-

PRobatur. Quia, *sicut pictura* (inquit Sanctus Augustinus libro 11. de Civit. cap. 23.) *cum colore nigro, loco suo posita; ita universitas rerum, si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamvis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet.* Imò maleficia ipsa, quæ permittit DEus, sunt medium efficax ad demonstrandam Existentiam DEI, sicq; homines perditissimos ab Aheismo revocandi, ut infrà patebit in Tractatu 3tio sub Argumento 32. & in Tract. 2do cap. 6to.

San-

Sanctus Thomas Opusc: 2do Compendii Theologiæ cap. 142. rationes solidas tres allegat, cur DEus permittat mala in Mundo. imò quidem (inquit) quia Providentiæ non est, naturam gubernatorum perdere, sed salvare: requirit autem hoc perfectio Universi, ut sint quædam, in quibus malum non possit accidere: quædam verò, quæ defectum mali, pati possint secundùm suam naturam: si igitur malum totaliter excluderetur à rebus, Providentiâ Divinâ non regerentur res secundùm earum naturam, quod esset major defectus, quàm singulares defectus, qui tollerentur. 2dò. Quia bonum unius, non potest accidere sinè malo alterius: sicut videmus, quòd generatio unius non est sinè corruptione alterius: & nutrimentum leonis, non est sinè occisione alterius animalis: & patientia Justi, non est sinè persecutione injusti: si igitur malum totaliter excluderetur à rebus, sequeretur, quòd multa etiam bona tollerentur. Non igitur pertinet ad Divinam Providentiam, ut malum totaliter excludatur à rebus, sed ut mala, quæ proveniunt, ad aliquod bonum ordinentur. 3tiò. Quia ex ipsis malis particularibus commendabiliora redduntur bona, si cum eis comparantur: sicut ex obscuritate nigri, magis declaratur claritas albi; & sic per hoc, quòd permittit mala esse in Mundo, Divina Bonitas magis declaratur in bonis, & Sapientia, in ordinatione malorum ad bonum. Hæc Doctor Angelicus. Qui etiam ad tertium fundamentum & Argumentum Atheistarum relatum suprà capite 1mo, ex Sancto Augustino respondet 1. p. q. 2. a. 3. Ad infinitam Bonitatem DEI pertinere, ut esse permittat mala, & ex eis eliciat bona. Subtilis verò Scotus in lib. 1. Sent. Distinct. 2. q. 2. respondet. Quòd causa infinita activa, ex necessitate naturæ, non compatitur sibi aliquod contrarium. DEus autem est liberè & voluntariè agens respectu omnium, quæ sunt extra ipsum, & ideo compatitur ad extra; licèt essentialiter excludat à se omne malum, & imperfectionem.

vinæ, ut permittat mala in Mundo.

5ta Propositio.

Magna est necessitas & utilitas montium, sylvarum, rupium, paludum, maris.

Multifaria est necessitas & utilitas.

PRobatur. Præterquam, quòd prædicta plurimùm conducant, & ad Universi ornatum, & amænitatem prospectûs. Montium est multiplex necessitas. Rabiem enim ventorum coërcent, ne maria & flumina

Montium. na grandia, suis diluvionibus devastent terram, efficiunt. Terreni globi molem stringunt, uti circinis dolia stringuntur, ne dissolvi queat: & quod ossa, in parvo Mundo, id est Homine; hoc in magno mundo, structura montium facit. Sunt item necessarii ad fontium fluviorumq; propaginem: ad herbarum, arborum, plantarumq; varietatem, quarum multæ sine montibus, aliàs non provenirent, producendam: ad æstum solis temperandum, aërisq; salubritatem. Sunt metallicorum corporum & multorum mineralium, velut fornaces: magnorum Regnorum Provinciarumq; velut limites.

Sylvarum. Sylvæ, in usum hominum suppeditant ligna, quorum multifariam necessitatem, & utilitatem, quis nisi cæcus non videat. Rupium item multiplex necessitas utilitasq; in comperto est. *Paludum.* Paludes, sunt ordinariè fluminum subsidia, unde nec longè ab ipsismet fontibus sitæ sunt plerumq; , ut, si fortè ipsi deficiant, aquarum copiam, quæ in iis non secùs, ut adversùs famem, frumentum in horreis, quasi thesaurus coàcervatur, ad tempus aliquod subministrent. Paludes insuper amplæ, piscibus refertæ esse solent, & amænissimæ. Maris pulchra species (loquor verbis Sancti Ambrosij lib. 3. Hexàëmeron) vel cùm surgentibus albescit cumulis, ac verticibus undarum, & cautes nivea rorant aspergine: vel cùm æquore crispanti, clementioribus auris, & blandò serenæ tranquillitatis purpurascentem præfert colorem, qui eminùs spectantibus frequenter offunditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit littora, sed velut pacificis ambit & salutat amplexibus; quàm dulcis sonus! quàm jucundus fragor! quàm grata & consona resultatio! Bonum mare, primùm, quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occultè succum quendam, haud inutilem subministrat. Bonum mare tanquam hospitium fluviorum: fons imbrium: derivatio alluvionum: invectio commeatuum: quô sibi distantes populi copulantur: quô præliorum removentur pericula: quô barbaricus furor clauditur: subsidium in necessitatibus: refugium in periculis: gratia in voluptatibus: salubritas valetudinis: separatorum conjunctio: itineris compendium: transfugium laborantium: subsidium vectigalium: sterilitatis alimentum. Ex hoc, pluvia in terras transfunditur: siquidem de mari, aqua, radiis solis hauritur, & quod subtile ejus est, rapitur: deinde quantò altius elevatur, tantò magis etiam nubium obumbratione frigescit, & imber fit, qui non solùm terrenam temperat

Ex Sancto Ambrosio, desumpta Descriptio: quænam utilitas & necessitas maris.

sicci-

ſiccitatem, ſed etiam jejuna arva fæcundat. Hucuſq; S. Ambroſius.

Salſum Mare, ut à putredine præſervaretur: ut nimia humiditas piſcium marinorum grandium temperaretur: fæcundiorq; ad productionem & vitam piſcium, denſiorq; redderetur aqua & gravior, ſicq; magis apta, ingentibus navium oneribus ferendis. Provenit probabiliter hæc ſalſedo ex eo, quòd in rerum exordio ſimul mari permiſcuit DEUS ſalem: vel quia in maris fundo producti ſalini montes.

Mare cur ſalſum ?

Unde provenit hæc ſalſedo ?

6ta Propoſitio.

Venenatorum noxiorumq; animantium multiplex eſt utilitas.

PRobatur enumeratione utilitatum. Prima utilitas, quia (ut ait Sanctus Auguſtinus libro primo contra Manichæos cap. 16.) *illis vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam iſtam multis periculis & laboribus ſubditam, ſed aliam meliorem, ubi ſecuritas ſumma eſt, diligamus & deſideremus, & eam nobis, pietatis meritis comparemus.* 2da quia (ut dicit Sanctus Baſilius Homilia 9. Hexaëm.) *Fidei ſanè ſunt demonſtrationes tales feræ* & eximiæ Sanctitatis: plurimis enim Sanctis, Viperæ, Serpentes, Tigrides, nihil nocuerunt. 3tia. Quia eluceſcit ex illis magis aliorum bonitas. Oppoſita enim penes ſe poſita, magis eluceſcunt. 4ta. Quia Univerſi hujus integritas tali ratione completur omnibus rerum generibus. 5ta. Quia terra ipſa ſic purgatur à venenoſis qualitatibus: venenoſorum enim animalium terreſtrium proprium eſt (ut cum aliis docet Pater Kircher in ſua China illuſtrata, folio 204.) omne, quod in terreſtribus globis virulentum eſt, in ſe, velut in burſas quaſdam vivas attrahere. Unde ubicunq; terrenum fuerit ex ſe & natura ſua, à venenoſis qualitatibus alienum, ſerpentes ſine veneno ſunt, ſicut in Samo & Lemno Inſulis, ac in Provinciis Chekiang & Caraiam: ejuſmodiq; ſerpentum carnes venduntur in cibum, nam libenter illis veſcuntur illi homines; ſicut etiam in Provincia Xenſi, Regni Sinenſis, carnes veſpertilionum, ferculis gallinarum longè præferuntur. Certum item, quòd araneæ, noxios quoſq; halitus, qui alioqui nobis officerent, ad ſe, ſumma cum ſui incolumitate, trahunt. 6ta utilitas. Quia ad medicinas varioſq; alios uſus proficua ſunt. Neq; ferè quidquam ars medica, niſi illorum ope, hominum ſaluti conferre poſſet. Ex viperis fit theriaca, ex ſerpentum cobra de Capelos, aliorumq; ſimili nomine, lapides intra ſe generantium portio-

Animantium venenatorum utilitas multiplex recenſetur.

Lapides de Cobra unde?

tionibus, conficiuntur lapides de Cobra, qui ad venena extrahenda, sunt præsentissima remedia: & fel quorundam serpentum, morbidis oculis, canisq; morsibus, ac aliis morbis sanandis, perutile. Immeritò proinde Galenus, libro de fœtuum formatione, cap. 6, scripsit. *Nunquam adduci potui, ut crederem, Scorpiones, phalangia, muscas, culices, viperas, vermes lumbricos, pytilas ab eadem* (id est ab Anima Mundi vel Deo) *fingi ac formari; propè ad impietatem accedere hanc opinionem ratus.* Non est mi Galene, Opinio, sed omnino scientifica Veritas, producta esse à DEO ut Prima Causa, etiam ejusmodi animantia: siquidem in fabrica eorum, quò ad organa sensuum, viscera, dispositionem membrorum &c: summa elucet Sapientia & Potentia, quin & Bonitas. Vide dicta infrà in Tractatu 2do, capite 10mo: & in Tractatu tertio sub Argumento 26to.

Galeni error corrigitur, de causa productiva venenatorum, & aliorũ quorundã animantium.

CAPUT IV.

5tum & 6tum Fundamentum convellitur Propositionibus, quæ succedunt.

7tima Propositio.

Atheorum Fundamẽtum 5tum & 6tũ convellitur.

Graviter erroneum est dicere cum impio Critia, quòd aliquis vir prudens confinxerit esse Deum ad coërcendos homines à peccando.

Nam convincitur Critias impietatis & insipientiæ, dicendo: Deum esse introductũ ad coërcendos homines à peccando.

PRobatur. Quia illud dictum Critiæ, merum insanæ mentis delirium est, & meris fictitiis conjecturis, nulli fundamento innixum. Edissere enim Critia, quisnam ille vir prudens fuerit? quo seculo vixerit? quibusnam populis id primùm persuaserit? Ad hæc & similia quæsita, impius Critia nihil aliud respondet, nisi *Ita mihi videtur.* Ast, innumeris & Sapientissimis ac Sanctissimis, tuum illud Critia, videtur, meritò videtur impiissimum: recta enim ratio docet, solida evidentia Argumenta evincunt (quorum multa & in hoc Volumine continentur) dari aliquod Supremum Numen, à quo cuncta producta sunt, reguntur, ac conservantur. *Mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus & factum se esse, & nonnisi à DEO ineffabiliter atq; invisibiliter magno, & ineffabiliter atq; invisibiliter pulchro fieri se potuisse, proclamat.* Ut Divus Augustinus libro 11. de Civit: capite 4. pluribusq; aliis

aliis in locis, testatur: eiq; assentiuntur universi, quibus ingens malitia oculos non velavit, ac nefanda non obstruxerunt aures, scelera.

Accedit. Tum quia si ipso tuo judicio, Critia impie, ille vir prudens fuit, qui introduxit Deum. Ergo tu verè insipiens es, qui DEum pernegas, & secretum hoc manifestas, quod omnino occulcandum erat, ut evitarentur clancularia præsertim scelera. Tum quia eo ipso, quòd persuasio de Existentia DEI, adeo necessaria est ad evitanda scelera, sequitur, eam esse veram. Non enim prudenter præsumitur, Genus universum humanum non posse benè regi, nisi prius erret gravissimè, in illoq; gravissimo errore perseveret.

Non primùm, Timor, dum fulmina de cælo caderent, Opinionem de Deo (ut dixit Statius) impressit hominibus: verùm præter alia, ipsa Corpora cælestia, dum conspiciuntur ingerunt Mortalibus ratione utentibus, notitiam DEI. *Cæli enim enarrant gloriam DEI.* id est, ut explicat Sanctus Chrysostomus versum illum Psalmi 18, alios etiam instruunt, & pro discipulis habent universum Genus humanum, & in medio propositâ scholâ librorum ac literarum locò, naturæ suæ pulchritudinem, idiotis, sapientibus, & omnibus contemplandam præbent: & tanquam in libro, insidentem ipsis, de DEI sapientia ac virtute doctrinam. Cùm enim apud se quis perpenderit, quanta sit diei utilitas, quanta noctis, & quo pacto, hæc, illi succedit, & varietatis vicibus, velut in choro quopiam, alternatim sibi succedentes, nostrum Genus conservant; quamvis omnium quis stupidissimus sit, excitatâ sua ratione, Summi Opificis DEI Sapientiam nosse poterit, quam per diem ac noctem ostendit, dum illam nobis ad operationem: hanc ad laborum relaxationem attribuit. Confirmat id ipsum sequens Historia, quam Balthasar Fernandez in libro, cui titulus: *Expeditiones Lusitanorum in novum Orbem*, refert. Circa Annum (inquit) Salutis 1597, Navis Lusitana, vi tempestatis ad unam è desertis Insulis, quæ ultra Caput Bonæ spei versus Australem plagam, Oceano interjacet, applicuit, ibique juvenem viginti circiter Annorum, ab infantia inter feras illius loci educatum, reperit, omnis loquelæ, & consuetudinis humanæ prorsus expertem. Hic, ubi aliquot mensium studiô, artem loquendi didicit, mentis suæ ratiocinia, quæ à primo rationis usu, de mira rerum creatarum dispositione, ac qualitatibus apud se formabat, aperire cæpit. Nimirum, quoties Maximum

Non timor fulminum, fecit Deum

Historia notabilis, de Juvene educato inter feras, undenam ille cognovit esse Deum?

ximum cæli Lumen (ſolem ita vocabat) ſtatis temporibus emergere de ſub Oceáno adverteret, toties ſibi unius Supremi rerum mundialium Gubernatoris imaginem ſiſti ob oculos, exiſtimabat. Quoties, ſerenis noctibus innumeram ſiderum congeriem effulgere cerneret, toties micantes ſupremæ cujuſpiam Majeſtatis ſcintillas, radiare putabat: Æſtus maris quoties jam aſſurgere, jam ſubſidere, Supremi alicujus Numinis potentiam, cujus nutu & arbitriô, cuncta hæc fierent, intueri ſe dicebat. &c. Abductus inde à Luſitanis, cùm poſt brevem paucorum annorum moram, inter homines exactam, ſive depravatos eorum mores non ferens, ſive deſideriô prioris vitæ, cui ab ineunte ætate aſſueverat, in ſuam profugit inſulam: aſſerens longè clariùs ſibi notitiam veri Dei, ipſam aſpectabilem rerum mundialium varietatem prædicare, quàm omnes illos, quos unquam audierat Doctores, Verbiq; Divini Præcones.

8va Propoſitio.

Natura ut contrà diſtincta à Deo, ſeu ab Ente ſummè intellectivo & Omnipotente, non eſt cauſa productiva Solis, Aſtrorum, & Elementorum.

Naturæ nomen ſumiturmultipliciter.

ANtequam illud probem. Noto. Nomen Naturæ, diverſimodè ſumi. *Imò* enim Natura ſumitur pro Deo, Auctore omnium, qui Natura Naturans, & Natura Creatrix dicitur, qui alias Naturas efficit & creat, quæ aliæ naturæ creatæ vocari ſolent: Naturæ naturatæ. Hinc Deus definitur à Chryſippo ſic: *DEUS eſt Vis divina rationalis Natura, & Fatum rerum.* A Democrito autem; *DEUS eſt Natura, & Intelligentia, quæ imagines fundat.* ut refert Minutius in Octavio. *2dò.* Nomen Naturæ ſumitur pro Quidditate & Eſſentia rei definitæ: ſic definitio dicitur: Oratio explicans Naturam rei. *3tiò.* pro collectione rerum creatarum, ita dicitur: Aliquid eſſe vel non eſſe in rerum Natura: id eſt, Intra collectionem omnium rerum creatarum. *4tò.* pro cauſis creatis, præſertim neceſſariis, prout juxta naturalem propenſionem operantibus, ſic dicitur: Quòd Natura horreat vacuum: & quòd nihil fruſtra operetur: item, quòd Natura ſemper faciat optimum, quod poteſt. *5tò.* quandoq; ſumitur pro appetitu innato & exigentia connaturali: in hocq; ſenſu dicit Ariſtoteles; *Perfectum eſt, quod eſt diſpoſitum, ſecundùm Naturam.* *6to.* pro temperamento & complexione viventis, præſer-

ſertim rationalis, ex quatuor humoribus reſultante: eſtq; multiplex, juxta multiplex prædominium unius vel duarũ qualitatum, ſupra alias in eodem miſto; quo ſenſu dicitur: iſte habet naturam Cholericam; hic, ſanguineam; ille, phlegmaticam; hic, melancholicam. *7mò* ſumitur Natura pro capacitate & idoneitate intrinſeca: juxta illud S. Auguſtini cap: 5. de Prædeſtinatione. *Poſſe habere fidem, Natura eſt hominum; habere fidem, gratia eſt fidelium.* *8vò.* Natura deſignat Principium Actûs, ut ait Sanctus Thomas 1. p. q. 39. art: 2. ad 3. Vel Radicem proprietatis: vel Omne id, quod eſt cauſa alterius. Natura enim, dicta eſt, quaſi aliquid naſci faciens: ut dicit Suarez Diſp: 15. Metaph: q. 11. *9nò* pro viventium Generatione & Nutritione. Ultimò tandem ſtrictè Ariſtotelicè, Natura definitur ab Ariſtotele 2. Phyſic: t. 3. *Principium & cauſa motûs & quietis, in quo eſt primùm & per ſe, & non ſecundùm accidens.* In quo ſenſu, Materia, & quælibet Forma ſubſtantialis, eſt Natura. Hoc præmiſſo,

Natura ut contrà diſtincta à Deo, non produxit Solem, Aſtra, &c.

Probatur jam Octava Propoſitio. Quia certum eſt & evidens, tum ex dictis in hoc Capite ſub Propoſitione 7ma: & ex Probatione immediatæ Propoſitionis 9næ: tum ex dicendis paſſim in Tractatu 2do & 3tio tam Libri hujus primi, quàm Libri ſecundi, quòd Natura ſumpta pro temperamento vel generatione & nutritione viventium: vel pro rebus creatis, vel cauſis iis, quæ ſub aſpectum noſtrum cadunt: ut ſunt Elementa, Plantæ, Animalia: vel Natura, ſumpta pro quacunque materiali bruta & cœca forma, aut materia, non ſint cauſa productiva ſolis aſtrorum & cæli. Certum item, à nullo hominum ea eſſe producta. Si enim nullus mortalium vi ſua naturali, curſum aſtrorum ſiſtere poteſt, ut per ſe patet. Quis, niſi planè demens, aſſerat, ab homine illa eſſe cauſata? Ergo reſtat, ut dum dicitur: A Natura eſſe producta Corpora cœleſtia: per vocem, Natura, intelligi debet, Natura Naturans: ſeu, DEUS, qui eſt ſumma Natura.

9na Propoſitio.

Non poſſunt omnia refundi in Naturam ut contrà diſtinctam à Deo.

PRopoſitionis Veritas conſtat tum ex dictis; Tum quia ut ſapienter Niceta apud Sanctum Clementem lib: 8vo Recognitionum, ait: *DEUS ergo eſt, qui fecit omnia, & ipſe à nemine factus eſt: qui autem Naturam,*

turam, pro Deo nominant, & per Naturam, facta esse cuncta testantur, latet eos appellationis suæ error. Si enim Naturam irrationabilem putant, stultissimum est, rationabilem facturam, ab irrationabili Factore progredi. Si verò, Ratio est, per quam constat facta esse Universa, superfluè nomen immutant, ubi de Conditoris ratione profitentur.

Illustrat Veritatem eleganter apud Lactantiũ lib: 2. Instit: cap:9. Seneca, hic enim *Omnium Stoicorum acutissimus, vidit nihil aliud esse Naturam, quàm Deum. Ergo Deum (inquit) non laudabimus, cui Naturalis est Virtus? nec enim illam didicit ex ullo: imò laudabimus: quamvis enim Naturalis illa sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa Natura est. Cùm igitur ortum rerum, tribuis Naturæ, ac detrahis Deo: in eodem luto hæsitans, versuram solvis; à quo enim fieri negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine confiteris.* Idem Seneca lib: 4. de beneficiis cap: 7. & 8, scripsit hæc: [Cùm dicis; Natura hæc mihi præstat. Non intelligis, te mutare nomen Deo. Quid enim aliud est Natura, quàm Deus, & Divina Ratio, toti Mundo & partibus ejus inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc Auctorem rerum nostrarum compellare, & Jovem illum Optimum ac Maximum, ritè dices, & Tonantem, & Statorem, qui non (ut Historici tradiderunt) ex eo, quòd post votum susceptum, acies Romanorum fugientium, stitit, sed quòd stant beneficiô ejus, Omnia, Stator, Stabilitorq; est. Hunc eundemq;, & Fatum, si dixeris, non mentieris. Nam cùm Fatum, nihil aliud sit, quàm series implexa causarum. Ille est Prima omnium Causa, ex qua cæteræ pendent. Quæcunq; voles, illi nomina propriè aptabis vim aliquam, effectumq; cælestem continentia. Tot appellationes Ejus possunt esse, quot munera. Hunc, & Liberum Patrem, & Herculem, & Mercurium nostri putant. Liberum Patrem, quia Omnium Parens sit, quòd ab eo primùm inventa seminis vis est, consultura per voluptatem; Herculem, quia vis ejus invicta sit, cumq; lassata fuerit operibus editis in ignem recessura. Mercurium, quia ratio penes illum est, numerusq; & Ordo, & Scientia. Quocunq; te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat. Opus suum ipse implet. Ergo nihil agis ingratissime Mortalium, qui te negas Deo debere, sed Naturæ: quia nec Natura sine Deo est, nec Deus sine Natura: sed idem est utrumq;, nec distat. Officium si quod à Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, sed nomen.

Quoniam ſive pronomen ejus, ſive nomen dixiſſes, ille tamen idem eſſet: ſic hunc, Naturam voca, Fatum, Fortunam: Omnia ejuſdem Dei nomina ſunt, variè utentis ſua poteſtate.] Hucuſq; Seneca.

7mū Fundamētum Atheorum concidit. Siquidem non comprehendūtur ab hominibus plurimæ naturæ rerum creatarum.

CAPUT V.

7mum Fundamentum Atheorum ſubvertit Propoſitio 10ma & 11ma.

10ma Propoſitio.

Homines in hac vita mortali, non perfectè norunt, nec comprehendunt Naturas rerum creatarum.

Ut, natura Continui, tam permanentis, quàm ſucceſſivi, & aliorum plurimorū Entium.

PRobatur. Quia per duo & amplius millia Annorum, magna Philoſophica deſudarunt ingenia, & celebriores Academiæ, in comprehendendo, ex qualibuſnam partibus componatur Continuum, tam permanens, puta· granum papaveris, palea, ala muſcæ; quàm ſucceſſivum, puta: tempus, hora, quadrans, motus; an ex indiviſibilibus? ut ſenſit Zeno, non ille Stoicorum Princeps, ſed potiùs Eleathes, acutiſſimus Philoſophus, cum pluribus ſuis ſequacibus. An ex diviſibilibus in infinitum? ut docuit Ariſtoteles cum innumeris; quibus ſubſcripſit & Sanctus Auguſtinus lib: 11. de Trinit: cap: 10. inquiens: *Ratio docet, minutiſſima etiam corpuſcula, infinitè dividi.* Item, an ex actu nemine cogitante diſtinctis partibus componatur continuum? an ſolùm potentia? Et adhuc de his, præſertim de priore quæſtione, nulla habetur evidens certitudo. Nec ullus ſeſe Philoſophorum teſte Ariagâ, Hurtadô & aliis, non fatetur tantæ difficultatis pondere oppreſſum. Nec ullus, teſte Pontio, famoſo Scotiſta, pro & contra, Argumentis afferri ſolitis, poteſt ſatisfacere. Item, licèt certò falſa ſit, & meritò ex ſcholis noſtris proſcripta Opinio Atomiſtarum, duce Renato de Chartes, ſeu vulgò Cartheſio, & alia Opinio Chymicorum quorundam, de principiis intrinſecis rerum: ut demonſtratur à Peripateticis, P. Mauro, Semeri, & aliis; tamen incertum eſt, & inevidens, apud ipſos Peripateticos; an Materia prima habeat exiſtentiam propriam? An ſit productiva quantitatis? An poſſit exiſtere ſinè omni forma ſubſtantiali, poſſitq; ſimul plures recipere? An ſit ejuſdem ſpeciei Materia ſublunaris, cum Materia Aſtrorum; Cælorum?

An non dentur formæ ſubſtantiales, partiales? An Relatio, Unio, Actio, Duratio, Ubicatio, ſint diſtincta à fundamento & termino, extremis unibilibus, cauſa & effectu, re ubicata, durante; & probabiliter pro, & in contra, in ſcholis diſputatur de his, & aliis quæſitis: ut evidens eſt ipſis Philoſophis, & legenti vel audienti intelligibiliter Philoſophos. ipsâq; tali diſſenſione doctâ, infundatâ gravibus pro & in contra argumentis, monſtratur, non haberi de his perfectam ſcientiam. Cùm ergo quælibet res materialis (exceptô punctô Mathematicô, ſi datur) ſit continuum aliquod; & quodlibet compoſitum materiale ſubſtantiale, conſtet materiâ formâ, & unione, nihilq; planè creatum ſit, quod non dicat relationem, imò non dicat & habeat innumeras ferè relationes, connexiones, & quod non reſpiciat actionem ſui productivam, ubicationem, durationem: vel quod non ſit ipſa relatio, actio, ubicatio, duratio: habetur ex his clarè, quòd nullius rei creatæ, habeamus notitiam perfectam, & ſtrictè comprehenſivam. Ignis natura, maximè quò ad ſui admirandam activitatem & multiplicabilitatem, ita obſcura eſt, quamvis luceat, ut nihil ferè magis ignotum inveniam; dicit eruditiſſimus Pater Cabæus libro 4to Meteor: Pyrii pulveris granulum, (ut experientiâ probatum) accenſam, in orbem, flammam ex ſe ſpargit, quæ centies vicies quinquies millies, & quingenties major eſt ipſo fomite: & ſic flamma producta ex granulo pulveris, ſuam ſementem plùs, quàm centies millies, excedit magnitudine: ut teſtatur Villebrordus apud Merſenum Quæſt: 7. Art: 9. de Comis cometarum. Unde id proveniat, quis novit? Motus cordis, quô alternatim intumeſcit, & detumeſcit: unde oriatur, adhuc non omninò certum. Alij, motum cordis fieri docent à cerebro, influente animales ſpiritus per nervos. Alij à ſangvine influente in cor copiosè: alij à pulmone reſpirante: alij ab ipſa Anima, per ſpiritus, vel per qualitatem, tanquam per inſtrumentum cauſari hunc motum aſſerunt. Cartheſiani, ſpiritum aliquem vivificum, à ſemine partibus inſitum, totius motûs, Auctorem prædicant. &c.

Quod ipsū comprobat Salomon. Comprobat Veritatem Propoſitionis noſtræ, Sapientiſſimus Rex Salomon, Eccleſiaſtæ 11. *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritûs* (id eſt via Animæ, ingredientis in parvulum) *& qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera DEI, qui Fabricator eſt omnium.* *Divus Thomas.* Et Sanctus Thomas Opuſc. 6. in Expoſ: Symboli, ſcripſit: *Cogni-*

gnitio nostra est adeò debilis, quòd nullus Philosophus potuit unquam perfectè investigare naturam unius muscæ. Unde legitur, quòd unus Philosophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret naturam apis. Eximius Theologus Pater Lessius, libro 4to de summo Bono, cap: 2do, habet hæc: Nullus est Sapientum hujus Mundi, qui vel centesimam partem secretorum, quæ latent in una formica, vel musca (ut mihi facilè esset ostendere) possit investigare. Quod si in rebus infimis ita cæcutimus, quantò magis in summis & Divinis, nostram cæcitatem & ignorantiam fateri debemus. Hæc Lessius. Addo. Nec Angelus, etiam Supremus, ex defacto existentibus, scit perfectè, comprehensive, aliquod Opus DEI. Aliàs enim clarè & distinctè cognosceret naturaliter infinities infinitas rerum species, & in qualibet specie, infinita infinities individua: siquidem ad hæc potentiam habet obedientialem quodlibet Opus DEI, vel ea efficiendi partialiter, vel saltem terminandi.

Pater Lessius.

Quin, nec Angelus ullus, perfectè comprehendit naturam alicujus Entis creati.

Hujus ejusdemq; Propositionis 1mæ Veritas, fusiùs adhuc probatur in libro meo, cui titulus: *Gradus ad Atheismum.*

IIma Propositio.

Stultum est, alicui Enti possibilitatem, vel existentiam, ex eo negare, quòd ratione & discursu percipere non possis, quomodo se habeat, qualisvè ipsius natura & proprietates, modusq; agendi & similia.

Proinde insipientis est, negare Existentiã vel possibilitatem alicui Enti, quòd illud comprehẽdere nequeas.

HUjus Propositionis Veritas evidenter patet ex probata Propositione 1ma. Aliàs enim pluribus rebus, imò omnibus, quæ defacto existunt, deberet negari existentia. Quin & ipse Atheus deberet negare se existere: siquidem nec se, nec aliorum Naturam comprehendit: ut constat ex dictis. Hinc meritò explosus est à Sapientioribus, Zeno, contendens nil moveri, sed omnia conquiescere, contra communem hominũ sensum: ideo tantùm, ut ait Sanctus Thomas 8. Physic: Lect: 5, quia nesciebat solvere rationes Sophisticas contra claram sensuum ipsorum experientiam, quibus rationibus probatur, nil moveri. Multoq; Propositio hæc evidentior est in nostro intento; cùm Deus sit infinitus in omni genere, & infinities excedens omnem creaturam, & scientiam: Unde dicitur Job 36. *Ecce DEus magnus, vincens scientiam no-*

Quod ipsũ multis, probatur, & illustratur

nostram. & cap: II. *Forsitan vestigia DEI comprehendes, & usq; ad perfectum, Omnipotentem reperies?* Jeremiæ item 32. *DEus incomprehensibilis cogitatu:* incomprehensibilis item locô, tempore, amore. Rectissimè Divus Augustinus de Trinit: lib: 5. cap: 1. dicit: *Quo intellectu DEum capiat homo, qui ipsum intellectum suum, quô eum vult capere, nondum capit.* Et S. Bernardus: *Ex me ipso* (imò ex quacunq; re creata) *cognosco, quòd DEus incomprehensibilis est: quia me ipsum* (imò qualemcunq; creaturam) *non comprehendo.* Et certè si Deum comprehendere mens humana posset, eo ipso, non esset Deus; foret enim terminis circumscriptus, siquidem limitaretur ad imperfectum, limitatumq; modum nostrum concipiendi; ac sic non esset infinitus in omni genere perfectionis, & ob hoc ipsum non esset DEus. Conveniunt jure merito Atheis illa Angeli verba, dicta ad Auctorem libri 4. Esdræ, cap: 4. *Tu, quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere: & quomodo poterit Vas tuum* (id est, intellectus tuus) *capere Altissimi viam?* & ex eo, quod non possis capere, negare Existentiam DEO. Sicut insipientis est, negare, dari Oceanum, ex eo, quòd non possis eum exhaurire: sic multò magis insipientissimi est, negare Existentiam DEI, eò quòd habens intellectum finitum, limitatum, non possis comprehendere Illius Naturam incomprehensibilem, illimitatam, abyssalem, & in omni genere perfectionis, infinitam: nec investigare possis fines, propter quos, hæc vel illa facta sint, vel fiant á DEO: Benè monuit Angelus, quondam Augustinum.

Mente haurire DEum frustra Augustine laboras.
Nam cochleari infans hauriet antè, mare.

Sapienter Cassiodorus de Anima cap: 12. ait: *Quid de singulari DEI potentia conjiciamus? quando nec illud comprehendere modò sufficimus, quod ei parere posse, minimè dubitamus.* Cælestia & Divina, quò magis sunt à nobis, sensibusq; nostris remota, eò sunt scitu difficiliora. Unde Aristoteles, Intellectum nostrum ad Substantias immateriales, id est, ad DEum, & Intelligentias (quæ, manifestissima omnium, vocat) relatum, comparat vespertilionum oculis, qui clarum diei lumen, nonnisi nictando possunt videre. *Quemadmodum* (inquit ille 2. Metaph: cap: 1. t. 1. *vespertilionum oculi ad lumen diei se habent: ita & intellectus Animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.* Porrò, ideò DEUS, & Intelligentiæ, vocantur, manifestissima, quia cùm habeant maximam

ximam Entitatem atq; Actualitatem, habent etiam ex se maximam cognoscibilitatem.

CAPUT VI.

8vum Fundamentum Atheorum nullatenus subsistere, evincit Propositio 12ma & 13tia.

8vum Fundamĕtum Atheorum non subsistit.

12ma Propositio.

Existentia DEI, non solùm absolutè in hoc statu, intellectui rectè disposito evidenter demonstrari potest (quæ enim in hoc vera contradictio?) *sed etiam defacto demonstratur.*

Existentia enim DEI demonstrari potest, & demonstratur intellectui rectè disposito.

NOmine Intellectûs rectè dispositi, intelligo hominem rationis usum habentem, non semistultum aut indisciplinatè procacem, aut luxuriæ cæno totaliter immersum, aut rerum temporalium curâ nimiùm distractum, ut non possit, aut nolit solidè advertere ad ea, quæ illi proponuntur. Ex eo enim, quòd homo destitutus intellectu rectè disposito, non percipiat vim Demonstrationum, non sequitur, eas non esse in se veras Demonstrationes: sicut non sequitur, solem non esse luminosum, ex eo, quòd cæcus neget eum esse talem, quia nunquam videt ejus lucem. Proculdubiò etiam plurimæ sunt Demonstrationes, quas homines obtusioris ingenii non percipiunt.

Sic explicatam Propositionem, esse Veritati consonam, Constat, Tum ex Argumentis infrà contentis in Libri hujus Tractatu tertio, Tum ex Rationibus adductis in secundi Libri Tractatu 2do & 3tio, desumptis ex Patribus, & antiquis Philosophis. Unde & Angelicus Doctor quæstione 10ma, de Veritate, Articulo 12. dicit: *DEum esse, rationibus irrefragabilibus etiam à Philosophis probatum est.* Sanctus Nazianzenus Orat: 2. Theol: *Nimis* (inquit) *absurdus & præposterus est, qui non cedit Argumentis naturalibus, & inficiatur, DEum esse.* Item Divus Aurelius libro 2. Confess. cap: 10 ait: *Faciliùs dubitarem, utrum ipsemet vivam, quàm, utrum vivat Veritas illa Æterna, cujus sempiterna Virtus & Divinitas, in suis operibus dignoscitur.* Adeoq; tantus Doctor, certiùs autumat, existere Numen, seu Virtutem creatricem Universi, ac Moderatricem, quàm res ipsas productas existere. Et in Psalmum 73. dicit: *Stulte, ex Operibus Corporis, quia loqueris, quia ambulas, quia operaris, agno-*

agnoscis viventem ; & ex Operibus Creaturæ, non potes agnoscere Creatorem ?

Objectio in contra solvitur. Objiciet quispiam. Si Existentia DEI, evidenter demonstratur. Cur ergo non pauci reperti sunt, & reperiuntur Athei ? Respondetur 1mò indirectè. Quærendo etiam ex Objiciente. Cur Protagoras Philosopus, qui primus esse DEum, in dubium vocavit, cur inquam, negavit illud primum Principium evidens. Impossibile est idem esse & non esse ? hoc & negavit Heraclitus. Cur Epicurus, teste Lactantio, libro de Ira DEI, cap: 6. dixit: Neq; oculos ad videndum esse natos: neq; aures ad audiendum: neq; pedes ad ambulandum ? & Zeno, cur negavit dari motum ? Cur Judæi, in deserto, vitulum adorârunt, inclamando: Hi sunt Dii tui, qui eduxerunt te de terra Ægipti: cùm evidenter id falsum fuerit ? Cur Filius nequam pernegat quandoque suosmet Parentes &c. Respondetur 2dò directè. Factum id est & fieri in plerisq; , quia præjudiciô depravatæ voluntatis claudebant, & claudunt oculos lumini rationis ; nec volunt considerare vim præmissarum & illationis : voluntariè mentem amoventes à Demonstrationibus, quò liberiùs vacare possint sceleribus: sicut peccatores quandoq; etiam fideles amovent mentem à motivis trahentibus ad DEum, & retrahentibus à peccando graviter. Unde Atheismus non sapientibus, sed corruptissimâ morum stultitiâ obcæcatis, in quibus est grandis depravatio naturæ, contingit ; ut notat Sanctus Hilarius in Psalmum 52. Sanctus Augustinus Tractatu 106. in Joannem, Scio equidem, Nominales fuisse quosdam, qui negârunt demonstratam esse Existentiam DEI. Verùm respondeo, illos quò ad hoc vel esse evidenter deceptos: ut dicit Pater Cardenas Tractatu primo de Probabilitate: Vel solùm negârunt, id demonstratum esse demonstratione evidenti metaphysicè ; licèt non negârunt, demonstratum evidentiâ morali: vel quia erroneè credebant, omnes demonstrationes de Existentia DEI, infundari illi Principio: Impossibile est infinitum in creatis. Accedit. Tum quia nulla fatuitas est sine Patrono ; Tum quia nulla ratio est ita evidens ac solida (ut cum pluribus rectè annotavit Pater Comptonus) cujus vim imminuere aliquomodo ullus omnino non audeat, & argutiis quibusdam offundere ei tenebras non possit. Quare meritò incusantur illi, qui communissimo consensu Doctorum approbatas rationes

nes pro ſtabilienda DEI Exiſtentia, ſuis nimiis ſubtilitatibus, verùm minimè ſolidis, labefactare intendunt.

13tia Propoſitio.

Datô non conceſſô hoc Antecedente: *Exiſtentia DEI non demonſtratur, nec demonſtrari poteſt.* Tamen ex illo Antecedente, non rectè infertur: *Ergo DEus non exiſtit.*

Sed admiſſô etiam, quòd Exiſtentia Dei non demõſtretur, tamen inde non ſequitur: Deum non exiſtere.

PRobatur. Tum quia aliàs pari ratione ex hoc Antecedente, Non demonſtratur, nec demonſtrari poteſt, ſeu evidenter probari, aliquem Atheum, eſſe legitimè natum: ad ſummum enim id tantùm probabiliter deduci poteſt: inferretur rectè. Ergo omnes Athei non ſunt legitimè nati, ſeu omnes ſunt ſpurii. Et certè non demonſtratur, nec demonſtrari poteſt, quin nec probabiliter oſtendi ab Atheis: Mundum fuiſſe ab æterno: eumq; factum eſſe ex concurſu fortuito atomorum: Animas humanas poſt mortem evaneſcere: Fatum dari: item dari Negationem Exiſtentiæ DEI: & tamen Athei aſſerunt, veriùs blaterant: Mundum fuiſſe ab æterno: factum caſuali concurſu atomorum: Animas interire: Fatum dari, & non Exiſtentiam DEI. Tum quia aliàs innumeris rebus deberet negari exiſtentia: verbi gratia; deberet negari exſtitiſſe Alexandrum Magnum, fuiſſe Ciceronem &c: utpote de quorum exiſtentia, habetur notitia, infundata ſolùm rationibus probabilibus, vel fidei humanæ. Tum quia, etſi non defuerint quidam etiam Theologi, non contemnendæ omnino Auctoritatis, qui negârunt, evidenter demonſtrari Exiſtentiam DEI; tamen omnes illi firmiſſimè crediderunt, DEum exiſtere. Omnes item Orthodoxi, divina fide, & prudentiſſimè credunt, exiſtere Myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis; licèt fateantur illa Myſteria non poſſe ratione naturali demonſtrari.

Ut pluribꝰ id rationibus deducitur.

Ad meliorem Intelligentiam dictorum, & eruditionis gratiâ.

NOta Imò. Non poſſe pro hoc ſtatu demonſtrari philoſophicè; ſeu (quod idem eſt) Non poſſe ratione naturali certa evidenti, probari Exiſtentiam DEI, docuerunt olim quidam, quos ſinè nomine refert Sanctus Thomas, imo, contra Gentes, cap: 12. *Eſt quædam* (inquit)

Quidã tenuerunt, non poſſe pro hoc ſtatu demonſtrari Deũ.

quit) *aliorum Opinio, qui dicunt, quòd Deum esse, non potest per rationem* (intellige evidentem) *inveniri*; *sed per solam viam fidei & revelationis est acceptum.* Hancq; Opinionem vocat Sanctus Doctor, ibidem: *Errorem.* & quæstione 1ma de Verit: dicit; Eam esse manifestè falsam. Huic, juxta S. Thomam manifestè falsæ Opinioni & Errori adhæsit ex Hetorodoxis, Calvinus, qui lib: imô Instit: cap: 2. rationes, quibus scholastici Theologi usi sunt ad probandum, existere Deum, vocat: *frigidas speculationes*; imò cap: 5. *inanes speculationes.* Hessusius, qui lib: de Erroribus Pontificiorum, doctrinam Romani Catechismi damnat, quòd lumine naturali cognosci possit, esse Deum, & unum esse. Idem, dolendum! ex scholasticis Orthodoxis, opinati sunt Petrus ab Alliaco in 1. q. 3. a. 3. Joannes de Bassolis, Gabriel, Major, hoc se ipso minor: Andreas de novo Castro, Casalius, & alii pauci; quamvis hi scholastici admittant, rationes suadentes, Deum esse, maximam habere probabilitatem, licèt non evidentiam. Ast hæc Opinio malè audit apud omnes ferè Theologos Classicos, ac meritò. Ratio præter dicta in Probatione Propositionis 12mæ, est multiplex. 1ma. Quia Ratione naturali potest demonstrari immortalitas Animæ humanæ: ut definitum in Concilio Lateranensi, sub Leone X. Quid ni multò magis Existentia DEI? præsertim cùm hoc posterius, videtur, juxta explicationem SS. Patrum sufficienter docere Scriptura sacra multis in locis. Psalmo 18. *Cæli enarrant gloriam DEI.* Sapientiæ 13tio: *A magnitudine speciei & Creaturæ* (vel ut legit Sanctus Gregorius 26. Moral. cap: 8. per magnitudinem Creaturæ & speciem) *cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ad Rom: 1. *Invisibilia ipsius* (id est Attributa DEI invisibilia homini mortali) *à creatura Mundi* (id est ab homine, ut exponunt ibi Glossa, Lyranus, Hugo, & alii: item Magist: Sent: 1. dist: 1. Molina p. 1. q. 2. aliiq;; Vel ut explicat Lorinus & quidam, cum Sancto Augustino lib: 8. de Civit: cap: 9. Jam inde à Mundi creatione) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; ejus Virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Sanctus Hieronymus ad illud: *Intellecta conspiciuntur*, addit: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Et Sanctus Augustinus Tract: 2. in Joannem: *DEus potest inveniri per Creaturam evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia ipsius &c.* 2da Ratio. Quia aliàs Natura, vel inimica foret nobis, vel

Quid de hac Opinione sensit S. Thomas

Quid item alij Theologi?

Opinio illa Convellitur à Scriptura sacra

à Patribus

Itē à multiplici Ratione.

vel imbecillis, tribuens vim, naturali demonſtratione cognoſcendi alias veritates minùs neceſſarias: hanc verò Veritatem primam, ſcilicet, Deum eſſe, cujus Cognitio maximè neceſſaria ad vitam honeſtè tranſigendam denegans. 3tia. Quia (ut etiam notârunt alii cum P. Aylevortho) Opinio illa, fores ad omnem prorſus impietatem patefacit hominibus, ſuaptè naturâ proclivibus ad peccandum, & ad liberè agendum ſinè dependentia ab alio, ac ſubjectione ſui. Unde niſi evidenti aliqua ratione demonſtretur Deus, quem timeant ſcelerum Vindicem; difficilè poterunt coërceri ab impietate.

Accedit. Tum quia prædicta Opinio, erroris arguit omnes Sanctos Patres, Theologos & Philoſophos ſummos: quibus videbantur evidentia eſſe Argumenta ab illis allata pro Exiſtentia DEI. Ac ulterius via aperitur ad ſubvertendam vim Argumenti, quod pro Exiſtentia DEI deſumitur ex conſenſu omnium Gentium & Sapientum. Tum quia illa Sententia videtur ſupponere motiva credibilitatis, Religionis Chriſtianæ non eſſe evidentia. Quare meritò prohibitæ ſunt in ſcholis noſtris doceri, aut defendi Propoſitiones hæ:

„Mens noſtra, eò quòd finita ſit, nihil certi de infinito poteſt
„ſcire: proindeq; à nobis diſputari de illo nunquam debet.
„Ratione naturali non demonſtratur Exiſtentia Dei.

Nota 2dò. Id, quod fide Divina creditur, licèt non poſſit demonſtrari ex eodem motivo, ex quo motivo creditur; poteſt tamen ex diverſo. Sicut poteſt dari Scientia abſtractiva atq; etiam intuitiva ejuſdem Objecti ex diverſis motivis: & ita defacto in Beatis, cum Viſione intuitiva DEI, ſtat Cognitio abſtractiva DEI ex creaturis. Poteſt item haberi Cognitio clara & obſcura de eadem re, per diverſa media; ut patet, ſi aliquid diſcam ex relatione alterius, quod antea per experientiam propriam didici. Sic etiam in præſenti, Exiſtentia Divina creditur ex motivo, quia Deus dicit ſe eſſe: demonſtratur autem ex effectuum exiſtentia, diſpoſitione rerum, aliiſq; motivis. Quod ipſum non obſcurè inſinuare videtur S. Præſul Hypponenſis, lib: 50. Homil. in 32. cap: 2. *Intende facta, & quære Factorem: aſpice quæ vides, & quære, quem non vides. Crede in Eum, quem non vides, propter iſta, quæ vides. Et nè ſermone meo te exhortatum putes, Apoſtolum audi dicentem: Inviſibilia enim DEI à Creatura Mundi per ea, quæ*

Id, quod Fide Divina creditur, poteſt ex alio motivo demõſtrari.

quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Illi verò Theologi & Philosophi, qui docent, non posse eandem veritatem ab eodem intellectu esse simul scitam & creditam; dicere solent, quòd, ut quis actu credat aliquam veritatem fidei, verbi gratia hanc: DEus existit: solùm petitur, quòd actu illam evidenter tunc non cognoscat, dum actu credit; ac proinde, si Philosophus Christianus actu non exeat in cognitionem evidentem de Existentia DEI, poterit per fidem assentiri Existentiæ illius.

Creaturæ qualiter sunt improportionatæ Deo?

Nota 3tiò. Creaturæ sunt quidem improportionatæ Deo in ratione Entis finiti: non tamen in ratione effectûs, ut ad Causam æquivocam; adeoq; ex illis potest demonstrari Deus, quod sit, licèt non ad omne, quod est; sicut ex cognitione lucis solaris, ejusq; Existentia, demonstratur existentia solis, licèt non demonstretur ejus omnis quidditas, & omnis modus existendi. Demonstratur ergo Essentia & Existentia DEI, sub aliquibus rationibus, ut Causæ Increatæ, Entis à se, Necessarii in existendo, Entis perfectissimi, Omnipotentis, Omniscii, Æterni; etiamsi non sub ratione Trinitatis, Genitoris, Geniti, Spirantis, Spirati. Sicut evidenter demonstratur, aliquod dari Continuum; quales nam autem partes habeat, & an divisibile sit in infinitum, necdum demonstratum est.

Cur contingentia creaturæ, non obest demonstrationi Causæ Primæ in existendo necessariæ.

Nota 4tò. Quamvis Creaturæ sint contingentes in existendo, ideoq; demonstrant Causam Primam, seu Deum, esse liberrimum in operando; adhuc tamen illam demonstrant necessariam esse in existendo, quia demonstrant, illam esse Ens à se: ex Asseitate verò profluit omnis perfectio simpliciter simplex, adeoq; & necessitas in existendo. Ex imagine quidem existente, non demonstratur determinatè existere actu pictor, sed indeterminatè; scilicet, vel existere, vel extitisse, potuit enim pictor mori, imagine defactò remanente; cùm imago non arguat Pictorem esse Ens à se. Idem dic de aliis pluribus effectibus, respectu suarum Causarum secundarum: è contra, ex Creaturarum existentia, infertur evidenter, Deum esse Ens à se, adeoq; Ens independens ab alio in existendo, proinde semper ab Æterno, & in Æternum essentialiter existens. Unde supposito, quòd Deus saltem semel supponatur existere, impossibile est ut deficiat, tum propter rationem immediatè datam: tum quia aliàs eo ipso non fuisset

Deus,

Deus, quia fuisset Ens imperfectum; non enim existere, est imperfectio.

CAPUT VII.

9num tandem & 10mum Fundamentum Atheorum, Propositiones, quæ succedunt, evertunt.

9num & 10 Fundamẽtum Atheorum evertitur.

14ta Propositio.

Mysterium SS. Trinitatis nullam involvit in se veram contradictionem.

Falsum enim est, quòd MysteriumSS. Trinitatis, involvat contradictionem.

PRobatur. Etsi enim Christiani confiteantur, DEum esse Trinum in Personis, Unum in Essentia (id enim revelavit ipsemet DEus pluribus in locis Scripturæ sacræ; eamq; Veritatem comprobant, tum innumera miracula, patrata in confirmationem hujus Mysterii: tum omnia evidentia motiva Credibilitatis fidei Christianæ) tamen in hoc Mysterio, nulla est vera contradictio: illa omnia enim prædicata contradictoria, quæ juxta fidem verificantur de Natura & Personis, salvantur per infinitudinem Divinæ perfectionis & distinctionem aliquam Naturæ à Personalitatibus: de quo fusè Theologi. Item inter Actus Dei liberos, & Essentiam Divinam, intercedit aliqua distinctio, ut iidem Theologi docent & probant; nempe, vel Distinctio virtualis: ut volunt multi cum Thomistis doctissimis: vel, Formalis ex Natura rei; ut censent Scotistæ Subtilissimi: vel, ut quidam Recentiores magni Nominis sentiunt Theologi, Distinctio realis in tertio, seu inadæquata extensivè: vel aliqua alia.

Anima humana qualiter est expressiva SS. Trinitatis?

Nota. Anima humana est expressiva SS. Trinitatis, ut sapienter annotârunt Patres ac Theologi. Sicut enim Deus Pater per intellectum se cognoscens, producit Verbum, puta, Filium, & eum amando, producit Spiritum Sanctum: ita anima intelligendo se, producit in mente sua verbum intelligibile, sui ipsius expressivum, sibiq; simile, atq; inde procedit in voluntate ejusdem amor. Ita Sanctus Augustinus apud Cornelium à Lapide in primum Caput Genesis. Sanctusq; Bernardus Capite primo Medit: ait: *Mens, imago DEI est, in qua sunt tria, id est, memoria, intellectus, voluntas. Per memoriam, Patri similes sumus; per intelligentiam, Filio; per voluntatem, Spi-*

ritui Sancto. Doctor Angelicus Opusc: 23. in Expositione Primæ Decretalis. *Derivatur à Trinitate Divina, quædam trinitas in Anima nostra, secundùm quam ad imaginem DEI sumus, secundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem.* Item Anima nostra est trina virtute ac potentiis: nam est & vegetativa & sensitiva & rationalis: habet item esse, vivere, & intelligere Et sicut eadem Essentia Divina infinita, est per identitatem realem in tribus Personis realiter inter se distinctis: ita eadem Anima, quæ est essentia simplex finita, simul est per unionem Physicam in pluribus membris Corporis realiter inter se distinctis.

15ta Propositio.

Hominem non posse adæquatè respondere ad innumera quæsita, probatur.

Homo est insufficiens, ut adæquatè respondeat ad innumera quæsita circa res defacto existentes.

PRobatur. Tum ex superiùs probata Propositione 10ma & 11ma Cap: 5. Tum quia innumeræ quæstiones Theologicæ, Philosophicæ, ac Mathematicæ, necdum hucusq; sufficienter decisæ: plurimorumque morborum causæ, atq; remedia, hucusque ignorantur. Tum quia ex ipso Atheo, quæro. Respondeat sufficienter ad hæc: Cur Cæli & Astra, non plura, quàm defactò sunt? Cur hæc circulatio cæli, prior; illa, posterior; & non è contra: cùm sint similes? Cur tempus extrinsecum hesternum, non fuit hodiernum; vel è contra? Cur non totus Mundus est inversus, ut pars antarctica sit, ubi est arctica: vel è contra? Terraquei Globi, cur non multi? Cur terra, non longè minor, vel major, quàm defactò est? Animalia venenosa, ut Dracones, Basilisci, Scorpiones, Viperæ, & similia &c. Cur non ubiq; terrarum in maxima copia? Cur Leones, Tigrides, Ursi, Lupi, non plures, quàm homines? &c. Et quidem ad hæc, innumeraq; alia quæsita, ad quæ Atheus nunquam sufficienter respondebit, credenti verò, scientiq;, Deum esse ad extra liberrimum, ac providentissimum, faciliùs est respondere. Universaliter autem ad illas Interrogationes in Fundamento decimo Atheorum contentas. Respondeo verbis Doctoris Gentium Apostoli ad Roman: 9. *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas DEO: nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fe-*

cisti

eiſti ſic? Eleganter Divus Auguſtinus in Pſalmum 149. dicit: *Etſi Nos non intelligamus, quare quidq; fiat: demus hoc Providentiæ Ipſius, quia non fit ſinè cauſa, & non blasphemabimus. Quod ſi fortè intrares in officinam fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos: & da imperitum hominem, neſcientem, quid, quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis. Quid ſibi dicet? non ſine cauſa folles hoc loco poſiti ſunt: artifex novit quare, etſi ego non novi: in officina non audet vituperare fabrum* (multò magis non audet negare artificem illorum inſtrumentorum fuiſſe vel eſſe) *& audet reprehendere in hoc Mundo DEUM!* imò negare propterea Anctorem Mundi!. Lumen ipſum rationis dictat, ea, quæ ſunt certa & clara, non debent deſeri propter incerta & obſcura: neq; ſcientia unius, deſerenda eſt propter ignorantiam alterius. Unde S. Aurelius lib: de Bono Perſeverantiæ capite decimo quarto, inquit: *Non ideo negandum, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt.* Cùm ergò certum & clarum ſit, ſcientificeq; probetur Exiſtentia DEI, non debet ea negari propter aliquas rationes, quæſtionesque, quarum ſolutio nobis ardua. *Deſinamus eum, qui ſapiens eſt* (verba ſunt Magni Baſilii in Homilia: Quod DEus non ſit Auctor malorum) *velle corrigere: deſinamus, inquam, meliora, quàm DEus fecerit, indagare: quodſi ob noſtri ingenii debilitatem, omnia DEI conſilia ſigillatim ratione attingere nequimus, illud tamen animis noſtris infixum ac in confeſſo ſit: nullum malum* (morale) *ab eo, qui bonus eſt, fieri.* Perſcrutari autem ea, quæ nobis Divinus ſermo voluit eſſe occulta, ſtupor eſt quidam, ac phreneticum mentis vitium: ut benè monet Olympiodorus.

Ubi fuit DEus, ante productionem cœli & terræ?

Ad illud etiam quæſitum, in Fundamento decimo propoſitum. Antequam DEus fecit cælum & terram, ubi habitabat? Reſpondet Sanctus Auguſtinus in Pſalmum 122. *In ſe habitabat DEus, apud ſe habitabat & apud ſe eſt DEus. DEus nec cælo indiget, ubi habitet, ſed cælum ipſo indiget, ut ab ipſo inhabitetur.* Tertullianus verò, libro contra Praxeam cap: 5to reſpondet: *Ante omnia erat DEus ſolus, & ipſe ſibi, & Mundus, & locus, & omnia.* Divus quoq; Bernardus libro 5to de Conſid: cap: 6. *Ubi erat DEus, antequam Mundus fieret? non eſt, quod quæras ultra, præter ipſum nihil erat: ergo in ſe ipſo erat.* Idem

expreſſit ſat benè Pöeta quidam verſibus, quos citat Carthuſianus in 1. Diſt: 37.

„Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet?
„Tunc, ubi nunc: in ſe, quoniam ſibi ſufficit Ipſe.


Longè item antè, libro 1. Legis Allegor: Philo ſcripſit: *DEUS ſibi ipſi locus eſt, & ipſe ſe ipſo plenus, ſibiq; ſufficiens, utpote unus & totus Ipſe Ens.*

Fundamentîs Atheiſmi ſubverſîs, jam progredior ad proponendas eas Propoſitiones, ac ſtabiliendas, quibus magna ex parte innititur moles Argumentorum Atheiſmi everſivorum, quæ complectitur Libri hujus Primi, Tractatus Tertius.

Quare ſit.



LI-



LIBRI PRIMI
PRO DEO CONTRA ATHEOS,
TRACTATUS SECUNDUS.

Propositiones quædam veluti Principia statuuntur, conducentes ad eversionem Atheismi.

UT robur Argumentorum eversivorum Atheismi in 3tio Tractatu infrà ponendorum, faciliùs penetretur, ac menti inhæreat: neve alicui illa Argumenta nimis prolixa videantur, si eorum ferè singulorum Major & Minor Propositio, ibidem multifariis Mediis comprobarentur, ac illustrarentur: ideo censui expedire, ut hic in Tractatu separato præmittantur Propositiones quædam veluti Principia cum earundem Probationibus, quarum notitia pernecessaria est ad stabilienda Argumenta infrà in Tractatu Tertio proponenda, quin & conducunt ad alias Veritates inde deducendas ac illustrandas. Accedit, quòd tali ratione etiam Communia noviter, nova verò, communiter dicemus: ut faciendum suadet Philostratus in Epistola ad Aspasiam. Intersero quandoq; Probationibus illis, Eruditiones, ut sic fastidium arceatur, majorq; appetentia & orexis ad legendum excitetur. Porrò quisquis hæc attentè revolves, memineris moniti à Sancto Fulgentio dati lib: 1. ad Trasamundum Regem in Africa, cap: 3. *Magnum bonum confert inquisitio Veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis, animus annitatur.* Itemq; à Divo Augustino lib: de Natura & Gratia contra Pelagianos: *Procliviores sumus, quærere potiùs, quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quàm intendere, quàm sint salubria, ut careamus errore.* Neque sola libidine contradicendi, Le-

Necessitas hujus Tractatûs exponitur.

Lectorem qualemnã exigit Liber hic?

Lector nega, quæ affirmo. Plùs enim potest unus stultus negare, quàm centum Sapientes, probare: maximè si ille stultus, sine ulla ratione, innitatur merè otiosi sui cerebri commentis, veriùs inanibus propriæ phantasiæ deliramentis. Si dixerit quispiam, se non posse omnia in hoc Tractatu vel Volumine, intelligere. Illi respondeo cum Divo Augustino lib: 1. de Trinit: cap. 3. *Nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus, ab omnibus intelligeretur.* Quæ quispiam non intelliget; quærat & discat ab alio intelligentiore, nec eo ipso totum damnet; præcipuè, si ea, quæ intellexit, aliquomodo placuerint. Nunc jam sit.

CAPUT I.

De Possibilitate Entis in omni genere perfectissimi.

Prima Propositio.

Ex quonã Principio rectè infertur, Ens in omni genere perfectissimum non implicare?

Ex hoc Antecedente: *Nulla vera ab Atheis affertur implicantia Entis in omni genere perfectissimi: nec per tot millia annorum, à viris innumeris, acutissimis, doctissimis, ulla repugnantia, seu contradictio, deprehensa est verè inesse Possibilitati talis Entis, diligentissimè illud considerantibus, ac omnibus, quæ ad ejus impossibilitatem afferuntur, seriò discussis*. Ex hoc inquam Antecedente, rectè infertur Consequentia hæc: *Ergo prudenter censetur, tale Ens non esse in se impossibile.* Rectè, inquam, infertur hæc Consequentia, si concedatur Antecedens.

Propositionis hujus Veritas, probatur multipliciter.

Imò. Quia ex hoc medio termino Nulla infertur implicantia. Nulla, post seriam rei discussionem, apparet innumeris Viris solidè doctis, contradictio in hoc vel illo objecto. Infertur prudenter (consentientibus omnibus Philosophis & Theologis Classicis) hujus vel illius objecti Possibilitas. Prudenter enim præsumitur, non esse in objecto contradictionem, si hæc, viris sapientissimis non appareat unquam. Si enim esset, cur aliquando non adverte-

verteretur ad illam, in tanta ingeniorum ſagacitate, varietate, perſpicacitate? imò & proclivitate Intellectûs noſtri ad implicantiam adſtruendam aliquam, etiam ibi, ubi nulla eſt. Certificamur enim ex fide, de poſſibilitate Incarnationis, replicationis, penetrationis, Exiſtentiæ Accidentium ſinè ſubjecto, definitivæ præſentiæ Corporis, & plurimarum aliarum rerum, quæ humana ratio, abſolutè, antè judicabat impoſſibilia, cùm tamen revera erant poſſibilia in ſe, illa. Unde S. Auguſtinus in hæc verba Sancti Pauli 1. ad Corinth: 1. verſu 20. *Stultam fecit DEus ſapientiam hujus Mundi*, rectè ait. *Stultam fecit, faciendo & declarando, eſſe poſſibile, quod ipſa judicat eſſe impoſſibile.* Item. In Naturalibus, certificamur ex viſu & experientiâ; arbores grandes, floresq; miræ pulchritudinis fieri ex ſeminibus exiguis informibus: ex ovo, pullum: bombycem, variè mirabiliter transformari. in oculo concentrari ſpecies rerum viſibilium ſinè confuſione: & alia innumera, quæ aliàs impoſſibilia naturaliter ſaltem judicaſſemus, ſi viſus & experientia contrarium non probaſſet. Ergo vera eſt illa Conſequentia, admiſſo Antecedente.

2dò. Recta eſt Argumentatio hæc: Hoſtes ſagaces Petri, ad calumniandum præcipites & capitales, ſedulò, plurimis annis attentè conſiderantes Petrum, nullam juſtam cauſam eum calumniandi reperire poterant. Ergo prudenter cenſetur defacto nulla fuiſſe vera cauſa calumniandi data à Petro. Recta eſt inquam hæc Argumentatio. Proinde etiam recta eſt hæc: Athei, capitaliſſimi hoſtes DEI, qui ſibi videntur cunctis fidelibus ſagaciores, ſapientioresq; eſſe, ac lumen naturale rationis majus præ omnibus aliis habere, per tot ſæcula, nullam veram implicantiam deprehenderunt ineſſe Enti in omni genere perfectiſſimo (quam enim ?) Ergo nulla eſt in illo implicantia.

3tiò. Quia inter Regulas juris prudentiæ numerantur hæ: Nemo malus, niſi probetur. In dubio, ſtandum eſt pro reo. Ergo etiam inter Principia rectæ Philoſophiæ, numeranda, hæc: Nullum objectum eſt reputandum eſſe impoſſibile, ſeu chymera, niſi ejus impoſſibilitas per oſtenſionem contradictionis veræ, probetur. Et. In dubio, num ſit poſſibile, ſtandum eſt pro ipſo, quod tanquam reus, tribunali Mentis noſtræ præſentatur, & ut poſſibile, judicandum: præſertim, ſi illud Objectum fuerit antea in poſſeſſione ſuæ poſſibilitatis, & ut tale etiam à nunc nobis Oppoſitis, priùs habitum: cùm ſit

melior

melior conditio possidentis. Ergo recta est Argumentatio, asserens & probans, Ens in omni genere perfectissimum, non esse impossibile: præcipuè cùm fuerit habitum tanquam verè possibile & certò existens etiam ab Atheis, antequam in Atheismum sunt lapsi. Nullus enim est, qui primò non censuerit, DEum esse.

2da Propositio.

Ens in omni genere perfectissimum, est possibile.

Possibilitas Entis perfectissimi, probatur.

PRobatur. Quia quod non est impossibile, illud est possibile: sicut enim. Quodlibet, vel est, vel non est. Ita etiam; Quodlibet, vel est possibile, vel non est possibile: seu est impossibile. Et certè, si aliquid neq; esset possibile, neq; non esset possibile, eo ipso simul & non esset possibile: ut supponitur: & esset possibile. Quia non non esset possibile: seu, neq; non esset possibile. Duæ autem Negationes æquivalent affirmationi. Sed Ens in omni genere perfectissimum, non est impossibile. Quænam enim in illo vera contradictio? Ergo est possibile.

Confirmatur. Possibile est, quô positô, nullum sequitur inconveniens: ut dicit Aristoteles 2do Rhetoricorum, & sæpè alibi. Sed ex positione Entis in omni genere perfectissimi, seu Entis carentis omni prorsus imperfectione, nullum sequitur inconveniens. Quod enim illud? Et aliàs, pari ratione dici posset: ex positione corporis lucidissimi secundùm se, aliquas sequi tenebras; ex summè calido, sequi frigus. Cùm tamen, ut sapienter Divus Basilius Homilia 2da Hexàëmeron notat: *Nihil contrariorum, à contrario suo gignitur. Neq; enim vita mortem parere solet: neq; tenebræ, luci principium afferunt: neq; sanitatem morbus efficit unquam.* Nec è contra, sanitas morbum; lux tenebras; mors vitam. Ergo tale Ens est possibile. Vide dicta infrà in Tractatu hoc 2do, Capite 2do, sub Propositione 1ma & 2da.

3tia Propositio.

Ens in omni genere perfectissimum, si est possibile, existit actu. & quidem essentialiter necessariò.

Ex possibilitate Entis perfectissi-

PRobatur dupliciter. *Imò.* Quia aliàs eo ipso non esset in omni genere perfectissimum: careret enim actuali existentiâ, quæ est perfectio

fectio magna, & fundamentum omnium aliarum perfectionum actualium. Item: Major est perfectio, nunquam posse non existere, seu esse Ens necessarium in existendo semper. Ergo &c. *mi, deducitur ejus actualis existentia.*

2dò. Quia si tantùm esset possibile, & actu non existeret; nunquam ex statu puræ possibilitatis, posset reduci (& sic, eo ipso non esset possibile) ad statum actualis existentiæ. Non enim à se positivè. Nihil enim se ipsum potest producere efficienter physicè, saltem quò ad primò esse. Non etiam à se negativè. Tum quia esse à se negativè, est esse improductum, seu esse sibi se solo sufficiens ad esse. Si autem tale est; Cur existere inciperet in tempore? Cur non semper fuerit? Tum quia evidens est: Id, quod transit à non esse ad esse, non habere causam sui esse in se, sed in alio. Non etiam à Nihilo posset reduci ad statum existentiæ. Nam, ut doctissimè Sanctus Anselmus cap: 3. Monologii dicit: *Nihil est per nihil, non enim est, vel cogitari potest, ut sit aliquid, non per aliquid.* Nulla enim res potest dare, quod non habet, multò minùs poterit dare aliquod verum esse, id, quod est purum nihil. Non posset etiam ab alio Ente quò ad naturam distincto, reduci efficienter ad statum actualis existentiæ. Quia Illud Reducens, esset saltem æqualis perfectionis cum Ente in omni genere perfectissimo, utpote Causa principalis effectiva, & adæquata illius; sicq; daretur duplex Collectio, omnis omnino perfectionis, quod implicat in terminis. Implicat enim perfectio, non inclusa in perfectione omni. Imò, quia Illud Reducens, esset quid perfectius ipso producto, quia esset ab æterno, vel saltem exigeret essentialiter prius esse tempore: vel saltem exigeret, non habere Causam sui priorem (ne admittatur processus in infinitum) proinde illud potiùs esset Ens perfectissimum. Item. Supposito, quòd semel tale Ens existat, nullus illi potest auferre esse. Non enim ipsum sibi. Tum quia aliàs imprudens & invidum esset sibi, adeoq; nec perfectissimum. Tum quia omne Ens, appetit, exigit, & quantum potest, tuetur suum esse, ac vim vi suâ totâ repellit. Hinc enim est illa resistentia & reactio in creaturis. Unde S. Thomas lib: 1. contra Gentes, cap: 37. dicit: *Omnia appetunt esse actu secundùm modum suum: quod patet ex hoc, quòd unumquodq; secundùm naturam suam repugnat corruptioni.* Tum quia nihil potest sibi ipsi velle malum: utpote connaturalissimè appetens bonum.

Non etiam quidpiam aliud. Quis enim prævalere potest contra illud Ens, quod supponitur esse in omni genere perfectissimum? Ergo necessariò essentialiter existit actu.

Objectiones incontra solvuntur.

Neq; dicas imò. Falsum esse, quòd nihil possit sibi ipsi velle malum: siquidem multi se ipsos occidunt: multi propter sua lucra, vel ob præmium cæleste, se ipsos affligunt: Omnes, peccando, volunt sibi pœnas, peccato debitas. Respondetur enim: quòd id fiat, vel titulô majoris re ipsâ boni: uti faciunt lucra cælestia quærentes: vel majoris saltem in apprehensione: quomodo se occidentes, majus bonum apprehendunt in non esse simpliciter, quàm in esse miseri. Peccantes autem, vel sibi persuadent, se evasuros pœnas, peccato destinatas: vel certè majus bonum apprehendunt erroneè, in usu objecti peccaminosi, quàm sit malum in ipsa pœna inclusum.

Neq; dicas 2dò. Ex possibilitate alterius Mundi, ac solis: & ex possibilitate Antichristi, non rectè infertur, quòd actu existat alter Mundus, Sol, & Antichristus. Ergo nec ex possibilitate Entis in omni genere perfectissimi, rectè infertur, existentia illius. Respondetur enim, Disparitatem esse evidentem. Tum quia prædicta, utpote creaturæ, sunt limitatæ perfectionis, non includentes omnem omnino perfectionem, proinde non debent includere actualem existentiam. Tum quia aliàs DEus non esset liberrimus ad extra, proinde nec in omni genere, Ens perfectissimum: siquidem illas creaturas, utpote semper, & ab æterno, licèt fortè non pro æterno possibiles, debuisset necessàriò producere.

4ta Propositio.

Nomine DEI propriè sumpti, intelligitur Ens in omni genere perfectißimum.

DEus est Ens in omni genere perfectissimum.

PRobatur. Quia hoc, nomine DEI propriè intelligimus, & intelligendum est. estq; hæc prima DEI notio. Insuper lumen ipsum naturæ dictat, quòd DEus sit Ens Optimum, Maximum: non esset autem Ens tale, si non foret in omni genere perfectissimum: hinc & illud. DEus meus, & omnia: ac *Omnes Latinæ lingvæ socios* (ut loquitur S. Augustinus libro 1. de doctrina Christiana, cap: 6. & 7.) *cùm aures Sonus iste, DEus, tetigerit, movet ad cogitandum excellentissimam quandam, immortalemq; Naturam. DEus ita cogitatur, ut aliquid, quô nihil*

nihil melius sit, aut sublimius, illa cogitatio attingere conetur. Unde Divus Thomas 1ma parte, quæstione 13. articulo 8. ad 2. dicit: *Impositum est hoc nomen DEI, ad aliquid significandum supra omnia existens, quod est Principium omnium, & remotum ab omnibus.* Imò teste Richardo à S. Victore lib: 1. de Trinitate, cap: 20. *Quadam quasi dote Naturæ, contingere videtur, quòd cuncti pœnè, tam eruditi, quàm minùs eruditi, solent quasi pro Regula tenere: DEO quidquid optimum judicant, incunctanter attribuere.* Ideoq; dici solet: DEus non est Corpus, sed Spiritus. Non quivis Spiritus, sed Summus Spiritus, non solùm qui est, qui esse potest, sed Summus, qui cogitari potest, non solùm ab homine, sed ab Angelo, sed à quovis, quem imaginari possumus Intellectu perfectissimo.

Satisfit Objectionibus.

Nec obstat, quòd aliqui putaverint, DEum esse Corpus, vel Mundum hunc, vel aliquod aliud Ens, mixtum imperfectionibus· ut Cælum & Astra: juxta illud Sapient. 13. *Solem & Lunam aut gyrum stellarum, Rectores Orbis terrarum, Deos putaverunt.* Non obstat, inquam. Hi enim, vel nomen DEI, impropriè sumpserunt, ac in latiori significatione; vel indebitè: vel putaverunt erroneè, Entia illa esse perfectissima. Quare Divus Thomas Opusculo 6to in Exposit: Symboli, dicit: *Homines imbecillis intellectûs, non valentes corporalia transcendere, non crediderunt aliquid esse ultra naturam corporum sensibilium: & ideo inter corpora, posuerunt illa præeminere, & disponere Mundum, quæ pulchriora & digniora inter ea, videbantur: & eis attribuebant, & impendebant Divinum cultum: & hujusmodi sunt corpora cælestia: scilicet Sol, & Luna, & stellæ: sed istis accidit, sicut alicui eunti ad curiam Regis, qui volens videre Regem, & credit quemcunq; benè indutum, vel in Officio constitutum, Regem esse.* Dici etiam posset, quòd non pauci sapientiores, nomine Cæli, non intellexerunt cælum visibile, ac materiale, sed Dominum & Auctorē Cæli. Et hujus intelligentiæ, præter alios, fuisse videntur Atlantides, Africæ populi, qui primùm apud se regnâsse DEum 'ȣρανὸν, id est Cælum, gloriabantur. Quin& Hebræi per metonimiam, quâ continens pro contento ponitur, Deum vocant, *Scamaim*, id est Cælum. Unde Rabini dicere solent: *Sit timor Cæli* (id est DEI) *super vos. Sit nomen Cæli frequens in ore vestro. Omnia sunt in manu Cæli.* Insuper in Scriptura sacra, Cælum pro DEO quandoq; ponitur: ut Lucæ 15. v. 21. *Peccavi*

in Cælum. Matthæi 21. v. 25. *Baptismus Joannis, unde erat? è Cœlo? an ex hominibus?* Psalmo 72. v. 8. *Posuerunt in Cælum os suum.* Imo Machab: 3. v. 18. juxta Græcum textum: *Non est differentia coram Cœlo,* & alibi. Vide Cornelium à Lapide, in Caput 13 Danielis, v. 9. & Angelum Caninium de Nominibus Hebraicis, cap: 2. Maldonatum in Caput 15. Lucæ, v. 21. & alios.

Confirmatur Propositio 4ta. Quia nomine Dei intelligimus Ens à se, seu Ens sibi, se solo, & omnibus aliis sufficientissimum ad esse: tale autem Ens, quòd sit in omni genere perfectissimum, constabit ex dicendis immediatè.

5ta Propositio.

Ens à se, est Ens in omni genere perfectissimum.

Ens à se, esse in omni genere perfectissimum, probatur multifariè.

PRobatur multipliciter. *Imò.* Ens à se, seu sufficiens sibi ad esse, debet necessarium esse in existendo. Tum quia ut Marius Victorinus, vir Consularis, & Divi Hieronymi Præceptor, ait libro 4. contra Arianos: *Quod à se vivit, ex æterno & in æternum vivit: nunquam enim se deserit, quod sibi causa est* (id est, sufficiens sibi ad esse) *ut hoc ipsum sit, quod existit. Igitur quoniam à se est Deus, nunquam non esse potuit.* Et Hugo de S. Victore: [Quod à semet ipso est, non esse non potest: quia nulla res à semet ipsa dividi & separari potest: & qui aliunde esse non accipit, sequitur necessariò, ut semper sit, quia aliunde auferri non potest, quod aliunde datum non est.] Similia habet Richardus de S. Victore, libro 1. de Trinit: cap. 6. unde & tale Ens, nullius subest dominio, sed plenè est sui juris. Tum quia, si non esset omnino necessarium in existendo, tunc requireretur aliqua sufficientia alia extrinseca, per quam extraheretur ex nihilo, fieretque actu existens. Quod in terminis implicat. Ergo Ens à se, debet esse perfectissimum in omni genere. Sicut enim se habet Causa necessaria ad agendum, ita se habet Ens necessarium in existendo, ad essendum. Sed Causa necessaria ad agendum, agit, quod, & quantum potest, nisi aliunde impediatur: ut patet in igne applicato capaci subjecto: in aqua infrigidante: in sole illuminante, &c. Ergo etiam Ens necessarium in essendo, est tantum, quantum esse potest. Sed potest esse tantum, ut sit omnis perfectio in omni genere vel formaliter vel eminenter. Cur enim

nim non? Nec ab ullo impediri potest, quin ita sit. A quo enim? Non à Causa sui. Siquidem hanc à suo formali conceptu excludit. Non etiam à sua propria essentia: cùm Enti à se nulla repugnet perfectio: siquidem ex Ratione Entis à se, nulla potest (quæ enim?) inferri imperfectio, exclusiva perfectionis simpliciter simplicis, cum eaq; incompossibilis. Ergo illud Ens est Omnis Perfectio, seu perfectissimum. Item. Aliàs eo ipso non esset sibi absolutè sufficiens, si non sufficeret tollere à se omnem defectum. Meritò proinde Divus Ambrosius lib: 2 Hexaëm: cap: 1. disputans contra quosdam veteres Philosophos, asserentes, Materiam 1mam, esse Ens increatum, seu Ens sufficiens sibi ad esse, insufficiens tamen fuisse ad se exornandum, ait: *Si increata materia* & tamen *incomposita: mirum admodum, coæternam Deo, materiam, decorem sibi non potuisse conferre, quæ substantiam non à Creatore acceperit, sed sinè tempore ipsa possederit.* Ejusmodiq; Materiæ debere tribui Divinos honores, utpote nullum defectum, & omnem perfectionem habenti, docet Sanctus Basilius Homiliâ 2dâ Hexaëm: inquiens: *Si Materia ingenita est, nec ulla prorsus ipsius exstat origo* (seu quod idem, si est à se) *honores ei, tanquam DEO æquali tribuendi sunt iidem, qui DEO tribui solent.*

2dò probatur Propositio. Ens omnimodè in perfectione illimitatum, continet omnem perfectionem. (aliàs hoc ipso haberet limitem perfectionis) Sed Ens à se, est omnimodè in perfectione illimitatum. Ergo continet omnem perfectionem: seu quod idem, est in omni genere perfectissimum. Probatur Minor. Omnis limitatio oritur ab aliqua Causa, vel Principio. Vel enim res limitatur à Causa: in quantum hæc, tantam præcisè, & non majorem perfectionem dat effectui: & tunc limitatur effectus à Causa efficiente: vel limitatur ex incapacitate propria: & tunc, aut incapacitas oritur ex eo, quòd perfectio major repugnet fini, ad quem res ordinatur: & sic limitatur à Causa finali. Vel quòd repugnet major perfectio subjecto aut formæ, ex quibus res componitur: & tunc limitatur à Causa Materiali vel Formali. Sed Ens à se excludit omnem Causam & Principium sui: cùm sit Ens simpliciter Primum. Ergo est illimitatum. Accedit: quia, ut rectè advertit Pater Franciscus Amicus. Esse, quod non limitatur ab alio efficienter, vel exemplariter; nequit à se ipso limitari for-

maliter. Non eſſet enim Major Ratio. Cur ſe limitaverit ad tantum, & non ad majus, aut minus eſſe. Ergo eſt perfectiſſimum.

3tiò. Ens à ſe, eſt Ens neceſſariò phyſicè actu in ſe ipſo exiſtens: ut conſtat ex dictis. Ergo exiſtentia talis Entis, eſt exiſtentia, quæ nullâ prudenti diſplicentiâ, reprobari poteſt. Quod enim neceſſitas ſumma approbat, (utî approbat exiſtentiam Entis neceſſariò phyſicè actu exiſtentis in ſe ipſo) illud prudenter reprobari non poteſt: Aliàs id faciens, vellet chymeram, chymera enim eſt, non eſſe, ſeu non exiſtere Ens, quod eſt omnino pro ſemper eſſentialiter neceſſarium in exiſtendo. Velle autem abſolutè chymeram, imprudentis eſt. Ergo ulteriùs exiſtentia talis Entis, eſt perfectiſſima, nullam dicens carentiam perfectionis: aliàs, ratione talis carentiæ, prudenter per diſplicentiam reprobari poſſet. Ergo debet illud Ens eſſe, in omni genere eſſe perfectiſſimum. Alioqui exiſteret ſine aliqua perfectione: proinde non haberet exiſtentiam perfectiſſimam: perfectior enim eſt exiſtentia, habens ſibi identificatam realiter omnem perfectionem.

4tò probatur. Quia Ens à ſe, eſt Fons omnis omnino perfectionis exiſtentis, & poſſibilis in quocunq; genere: & à tali Ente, alia omnia, eſſe ſuum & vim omnem ſuam perpetuò mutuantur, ac mendicant. Cùm Ens inſufficiens ſibi ad eſſe, ſcilicet Creatura, non poſſit eſſe talis Fons. Datâ enim quâcunq; Creaturâ, & collectione creaturarum, adhuc illa indiget ab alio produci: utpote Ens inſufficiens ſibi ad eſſe. Quare etiam dicit Ariſtoteles 2do Metaph: Id quod eſt maximè Ens (quale utiq; eſt Ens à ſe ?) eſſe Cauſam omnis Entis. Ergo Ens à ſe, præcontinet omnem perfectionem poſſibilem. Cauſa enim, non ut Inſtrumentum, aut ſemen Agentis ſuperioris, ſed virtute propriâ, efficiens omnium poſſibilium, debet, ſive formaliter, ſive virtualiter, & eminenter continere in ſe omnem perfectionem poſſibilem. Siquidem Cauſa adæquata, vel principalis, non poteſt eſſe imperfectior ſuo effectu: nec poteſt dare effectui perfectionem, quam non habet ſaltem eminenter. Subſumo cum Patre Quiros Tractatu 2do de Eſſentia DEI, Diſput: 13. Sectione 5ta. Sed Perfectio poſſibilis, eſt illimitata & infinita in omni genere. Quo namq; fundamentô ſtatuet quis, poſſibilem eſſe ſubſtantiam, quæ habeat hanc virtutem, & non majorem? poſſet tot objecta cognoſcere, & repugnare

re

re intelligentiam ad plura? & sic de qualibet alia perfectione, quæ excogitari valet. Ergo Ens à se est in omni genere perfectissimum. Unde & Divus Thomas 1mâ parte, quæstione 4tâ, Articulo 1. & 2do probat, DEum, quia est Principium activum & prima Causa effectiva omnium, esse Ens perfectissimum. Concedo, quosdam antiquos Philosophos, ut Pythagoricos, & Leucipum, non attribuisse Primo Principio, Rationem Optimi, & Perfectissimi· ut narrat Aristoteles 12. Metaph: cap. 7. Quia illi antiqui Philosophi consideraverunt Principium Materiale tantùm (ut inquit Divus Thomas locô citatô Articulô 1.) Primum autem Materiale Principium imperfectissimum est. Hinc etiam clarè deducitur, quòd DEus sit satiativus omnis appetitûs: quia est causativus & contentivus omnium possibilium. Uti Fons causativus & contentivus omnium aquarum & liquorum potabilium, est satiativus seu extinctivus omnis sitis.

5tò probatur à Patre Caregno, sapientissimo Professore Romano. Suppositâ existentiâ atq; divisione Entis per differentias à se, & ab alio: sequitur, quòd omnis excogitabilis perfectio entitativa, vel est propria Entis à se, vel propria Entis ab alio, vel communis utriq;. Si ergo talis perfectio, est propria Entis à se, convenit illi; ut evidens est: neq; minus convenit eidem, si est perfectio communis Enti à se, & Enti ab alio. Si autem est propria Enti ab alio, est imperfectio. Quia dicit dependentiam ab alio: estq; insuper illa perfectio limitata. *Omnis* enim *Creatura* (ut dicit Sanctus Ambrosius lib: 1. de Spiritu S. cap. 7.) *certis suæ Naturæ circumscripta est limitibus*: adeoq; ut talis, scilicet, limitata perfectio, non datur formaliter in Ente à se. Ergo in Ente à se, est omnis perfectio.

6tò. Probatur ab Eodem. Omnis Perfectio exclusiva identitatis realis cum Ente à se, est imperfectio simpliciter: quia imperfectè solùm perficit: ut constat Inductione. Sic Abalietas, verbi gratiâ, perficit Ens, quatenus chymeram excludit ab illa specie, quam cùm Ente constituit: sed quia simul ab Ente, cum ipso contracto, constituit speciem creaturæ, excludit esse Ens à se: ideo perficit cum imperfectione. Idem dic de ly Corpus, Accidens. Sed nulla simpliciter perfectio, est imperfectio. Aliàs eo ipso non esset simpliciter perfectio. Ergo nulla simpliciter perfectio, est exclusiva realis identitatis cùm

Assei-

Asseitate, sive cum Ente à se. Subsumitur. Sed omnis perfectio non exclusiva identitatis realis cum Ente à se habet cum illo identitatem realem. Quia non exclusiva identitatis, est potens identificari, & potens identificari, identificatur necessariò. Aliàs posset esse realiter id, quod non est, & à se entitativè transire in non à se: quod est evidenter implicatorium.

Ab aliis Propositio eadem sta, probatur sic: Ens, quod est à se, debet esse omni ex parte perfectum. Aut enim sibi dare, quod summum, perfectissimumq; est, non potest, aut nescit, aut non vult. Non 1mum. Quia qui à se esse potest, omnia potest. Non 2dum. Nam, qui se plenè scit, scit etiam, quod sibi optimum sit. Non demum 3tium. Quis enim, qui summè potest, & novit, non, quod perfectum est, sibi velit & prehendat? Ab aliis communiter probatur taliter: Ens à se non habet aliam rationem sic essendi, nisi quia sic vult esse. Sed irrationabile est, quòd velit esse limitatæ perfectionis. Ergo vult esse perfectionis illimitatæ, atq; adeo talis est.

Contra hanc Probationem objici solet. Quòd prius sit Esse, quàm Velle. Ergo ex Velle, non potest inferri Esse. Ergo nec omnis perfectio. Sed respondetur: Licèt Velle formale, supponat Esse; Velle tamen radicale & æquivalenter, prout hoc significat appetitum innatum, non præsupponit: cùm tale Velle, sit ipsum Primum Esse DEI, ex modo nostro concipiendi; cùm sit ipsa connexio prædicati Asseitatis cum perfectionibus Divinis attributalibus, indistincta ab Asseitate, in quantum hæc comparatur ad Attributa. Probabiliùs autem est, quòd Asseitas sit prior per rationem, omnibus attributis.

Demum à Patre Nierembergio probatur sic: Ens, quòd est à se, est tale, ut illud nullus limitaverit, nullius paruerit arbitrio, nemo constrinxerit. Ergo est infinitum Ens & perfectissimum. Ergo potentissimum. Ergo beatum. Si beatum summè. Ergo sapientissimum, ergo Optimum. Nemo beatus sinè sapientia. Nemo sapiens sinè virtute. Si Potens summè, sinè Virtute esset, intolerabilis tyrannus foret. Si bonus summè, sinè potentia; intolerabilior virtutis injuria, Si Sapiens summé, sinè bonitate, insuperabilis malitiæ foret.

CA-

CAPUT II.

De ſequela inconvenientium ex negata Exiſtentia DEI: & de conſenſu omnium Gentium.

Prima Propoſitio.

Illa Propoſitio eſt erronea, ex qua ſequitur magnum aliquod inconveniens, & abſurdum.

Quid eſt, eſſe Propoſitionem erroneam.

PAtet. Quia talis Propoſitio, eo ipſo eſt rectæ Rationi diſſona. Omne enim inconveniens & abſurdum, eſt rectæ Rationi diſſonum. Si diſſona. Ergo non eſt vera. Verum enim eſt conſonum rectæ Rationi. Ergo erronea. Illuſtratur. Arbor eſt virulenta, ex qua fructus prodeunt virulenti. Non poteſt enim arbor bona, malos fructus facere: neq; arbor mala, bonos fructus. Ut rectè Veritas pronuntiavit. Ergo etiam illa Propoſitio eſt erronea graviter, ex qua ſequitur magnum inconveniens.

2da Propoſitio.

Ex hac Propoſitione: DEus non eſt, Sequitur aliquod, imò plura ſequuntur inconvenientia & abſurda.

Ex Dei non Exiſtentia, ſequeretur imò, quòd ſine demẽtia ſumma, rectus Ordo & virtutes, non poſſent conſiſtere.

PRobatur enumeratione. Primum enim ſequitur abſurdum hoc: Evidens eſſe, quòd ſine perſuaſione univerſaliter pro ſemper, pro omni intellectu erronea, & ſine ingenti pro omni intellectu dementia, nec conſervari recta gubernatio Reipublicæ, nec conſiſtere rectus Ordo vitæ humanæ, morumq; honeſtas, juſtitiaq;, fidelitas, & cæteræ Virtutes poſſint. Hæc omnia ſequi ex Atheorum Propoſitione, evidens eſt. Nam, ſi DEus non eſt, impoſſibile eſſet DEum exiſtere, meraq; chymera & figmentum eſſet DEus. ut patet: proinde ſumma dementia, & error foret, perſuadere ſibi, exiſtere DEum. Et tamen ſine hac perſuaſione Numinis, ejuſq; amore ac timore, nulla ordinata Reſpublica, nec morum honeſtas, & virtus ſolida, rectusq; ordo vitæ conſiſtere, præſertim diuturno tempore poteſt. Hujus enim perſuaſionis ſublatio, eſt excidium honeſtatis, & virtutis: legum enervatio: humanæ ſocietatis everſio: apertio januæ ad omnia ſcelera. Hinc libro contra Colotem Epicureum, rectè ſcripſit Plutarchus: Nuſquam

exstare Urbem aut Oppidum, quibus nullus sit DEus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla sacrificia, ad bona curanda, & mala impendentia amovenda: talem Urbem à nemine unquam visam, aut etiam videri posse: potiusq; conspiciendam sine sole urbem, quàm sine DEO ac Religione: hos enim esse nervos totius humanæ societatis, & fundamenta, sinè quibus nullæ leges vigere, nulla Politia consistere queat. Plotinus item Enneade 2da, libro 9. cap: 16. *Nec priùs aliquis totus est malus, quàm despiciat Superos: ac si nondum in aliis omnibus malus sit, ex hoc tamen uno, in cunctis malus evadit.* Divus verò Basilius sermone: Quòd DEus non sit Auctor malorum, ait: Cùm in animum induxerunt: Non est DEus: certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus est Inspector, si nullus, qui pro meritis vitæ, cuilibet tribuat, quid prohibet, pauperem conculcare, Orphanos necare, viduam & advenam occidere, omne audax facinus tentare, impuris & abominandis affectibus, omnibus deniq; pecuniis cupiditatibus inquinari? idcircò, quod talem impietatem, quæ DEum non esse dicit, consequitur, subjungit Propheta: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Et Sanctus Chrysostomus in Psalmum 13. dicit: *Qui DEum negavit, nihil boni facit & Reipublicæ inutilis & perniciosus evadit.* Demum ipse Machiavellus Pseudo-politicorum Patriarcha, libro 1. de Republica, cap: 11: licèt in aliis pluribus mendax, hæc veritati consona, scripsit: Ubi Religio est, locum habent bonæ leges, ac bona disciplina, ex quibus fortunati, felicesq; rerum eventus in expeditionibus præsertim bellicis nascuntur: Sicut è contra etiam sublatâ Religione, corruere Rempublicam oportet: quoniã sublato Dei timore, sequitur impietas, ex eaq; ruina Imperiorum. Hæc ille. Hinc & Theodorus, qui Atheus cognominatus est, negando DEum, omnes ad furta, perjuria, rapinas hortabatur: ut refert Sanctus Epiphanius in Hæresi 80. Brasili etiam, qui ante adventum Lusitanorum, nullos colebant Deos, scribit Orlandinus lib: 9. Historiarum numero 87, erant belluîs pejores, portentaq; potiùs hominum, quàm homines: flagitiosissimi, beneficiorum acceptorum immemores, humani sangvinis avidissimi, non tantùm captos in prælio hostes, verùm & proprios Parentes, seniô confectos, multorum dierum curâ saginatos, mactabant, vorabantq; tosta verubus membra.

Neq; dicas 1mò, Seclusâ persuasione de Existentia DEI, ejusq; lege, ipsamet Natura rationalis, quà talis, dictat, flagitium esse vitandum: Virtutem amandam: inclinatq; ad amorem honesti & odium vitiorum. Contra enim est. Quia inclinatio illa, amor item & odium, omnino inefficacia erunt, seu absq; effectu ullo suo, si excludatur persuasio Existentiæ DEI, ejusq; amor & timor, ac spes præmiorum ab eo conferendorum. Hinc nullus ex Atheis repertus est unquam, qui probitate morum, innocentiâ vitæ, solidis virtutibus fuerit conspicuus: quantum nobis ex Historiis constat: sed potiùs infamem, ac belluinam veriùs, quàm hominis vitam egerunt. Quis autem prudenter credat, quòd illud, ad quod recta Ratio, veritatis appetentissima inclinat: quod prima rationalis Naturæ Sinderesis faciendum dictat, indigeat omnino mendaciô & turpissimo errore, ut consequatur effectum? Accedit; quòd Atheus fingat, animam rationalem, totumq; hominem esse nihil aliud, quàm cumulum merum casualem corpusculorum, ratione carentium. Ergo à tali cumulo, ex stupidis entitatulis conflato, dictamina universalia excellentissimæ Rationis provenire non poterunt, nec illi inesse propensio ad amorem honesti. Aliàs pari temeritate concedi possèt, à bruto posse provenire ratiocinationes, à lapide sensationes, à prorsus stolido perfectam scientiam. Proinde fatendum est, Animam rationalem, non esse congeriem corpusculorum, sed esse incorpoream, super quam signatum est: ut habetur Psalmo 4. & impressum indelebiliter lumen rationis naturalis, non à casu fortuito, sed impressum & derivatum à vultu DEI: quia id Auctorem sui habet DEum, nosq; facit esse ad imaginem & similitudinem DEI.

Objectio triplex in contra dissolvitur.

Neq; dicas 2do. Etiamsi non sciatur, vel credatur esse DEus, absterrendos homines à sceleribus, metu suppliciorum, quæ infert Potestas humana. Contra enim est. Quia secluso timore DEI, quis abstrahet, quæso, homines à patrandis sceleribus occultis, Potestati humanæ ignotis? ipsæq; Potestates humanæ, ac Principes, qualiter deterrebuntur à peccando? Illustratur id ipsum Imperator Sinarum XINCUM, ferè Anno Christi 1280, cùm tempore sterilitatis (ut habetur in monumentis Sinicis) in conclave, mæstus se reciperet, jejunio & solitudini vacans, placando Cæli Domino, quidam Vam ngan Xe, impius Atheo-politicus. *Quid* (inquiebat) *ô Rex affligeris? non est, quòd*

Cælum, seu Dominum Cæli, extimescas; calamitates casu, non consiliô accidunt. Cui exnunc sapientissimè, Vir, post Imperatorem, primariæ auctoritatis & dignitatis, dictus, Fu pie, respondit: *Si Princeps, Cælum, seu Cæli Dominum non extimescit & reveretur, ecquid tandem erit, quod non perpetret?*

Neq; dicas 3tiò. Utiq; Ethnici, persuasione erroneâ de multitudine Deorum, & eorum Providentiâ, impellebantur ad morum honestatem? Respondetur enim. Quòd sapientiores Ethnici, ad honestatem morum incitabantur persuasione verâ unius Dei: Gentilium autem rudiorum persuasio de pluralitate Deorum (ut sapienter notavit Pater Lessius lib: 1. de Providentia, numero 151) fuit quidem falsa in particulari, quatenus sentiebant, hos vel illos, esse Numina, curareq; res humanas, non tamen in genere, quatenus sentiebant esse aliquod Numen, cui res humanæ sint curæ, quodq; factorum exigat rationem. Unde quando vel metu Numinis offendendi, vel affectu placendi, abstinebant à malo, non impellebantur vi persuasionis, quatenus falsa erat de tali Numine, sed quatenus vera in genere: quare Sanctus Chrysostomus in Psalmum 13. dicit: [Quamvis Mundi homines de „Deo diversas sententias germinaverint, nominis tamen fundamen„tum nemo labefactavit.]

Secundò sequeretur, quòd prima & summa, juxta Atheos, Veritas, deberet occultari.

2dum Inconveniens ex negata Existentia DEI sequitur, nempe: Quòd Veritas moralis Prima juxta Atheos & juxta eosdem, summa hæc. DEus non est: debeat quàm maximè occultari. Doctrina enim Atheistica est gangræna quædam ac pestis corrodens & interimens omnem virtutem, homines fædâ quadam metamorphosi in belluas transmutans: est convulsio & confractio cataractarum seu repagulorum, quibus omnium scelerum inundatio, in genus humanum prohibebatur: est velut mortiferus virulentus Oceanus, ex quo, ingentia malorum flumina oriuntur: ut constat ex dictis; & ideo, dum aliquem summè sceleratam vitam agere cernimus, dicere solemus: debet esse Atheus. Non credo, quòd credat ipse, DEum esse. Hinc non mirum, quòd gravissimis pœnis animadvertatur in Atheos. Certè apud ipsos Gentiles Athenienses, in Atheos tanquam in homines multùm perniciosos, graviter est animadversum. Protagoras, quòd vel dubitaret de Existentia DEI, Atheniensium urbe pulsus, libriq; ejus exusti: ut refert

fert Laërtius in vita ejus. Magna summa auri appromissa ei, qui interemisset Atheum Diagoram. Theodorus, primò Cyrenis, dein Athenis, ejectus; vel ut alii referunt, Areopagi damnatus, cicutam bibit. Socrates quoq; damnatus, quòd videretur negare, Numen esse.

3tiò. Falsitas verò prima & summa publicanda foret pro veritate principali.

3tium Inconveniens & absurdum, Quòd Falsitas prima & summa, publicanda esset omnino pro maxima veritate. Sequitur id evidenter ex dictis.

4tò & 5tò quòd bonũ esset causa per se mali: & è contra, malum, causa per se boni.

4tum absurdum. Quòd bonum per se Intellectûs, esset causa per se Mali in Voluntate. Si enim Propositio & Opinio Atheistica est vera, seu attingit verum Ergo bona est homini hæc Opinio. Verum enim & Veritas est Intellectûs, seu hominis quà rationalis intellectivi bonum proprium, cùm sit ipsius objectum & finis, unde Aristoteles 6to Ethic: ait: *Verum, est bonum Intellectûs, falsum autem, est malum.* Et Divus Augustinus in Enchirid: cap: 19. *Error semper est malum, quis ergo nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis.* Galenus quoq; dicit, quòd homo debeat esse n[...]d veritatem. Constat autem ex dictis, quòd illa Opinio sit per [...]rigo ingentium malorum & vorago omnis honestatis. Ergo bonum hominis proprium, scilicet verum, per se traheret secum maximum hominis malum, essetq; ejus per se causa.

5tum absurdum. Malum per se Intellectûs, scilicet falsitas hæc juxta Atheos: DEus est: esset per se Causa boni in Voluntate. Persuasio enim de vera Existentia DEI, est principium omnis dictaminis honesti. Est, ut loquitur Plutarchus, nervus totius humanæ societatis & fundamentum. Hinc ulterius sequitur,

6tò. Homo esset bonus, quia summè errat.

6tum absurdum, nempe: Quòd homo ex eo esset bonus, quia errat circa primum & supremum Principium: & ex eo, per se loquendo, esset malus, quia non errat circa illud Principium.

7mò & 8vò Primariæ Virtutes forent stultæ & impiæ;

7mum Inconveniens. Quia aliàs Religio, Pietas erga DEum, Virtutes item Theologicæ, essent summè impia & stulta. Summè enim impium est, stultumq;, colere, amare chymeram, in eam credere, & & ei, ac in illa totam suam spem collocare.

8vum Inconveniens. Quia perjuria, blasphemiæ, sacrilegia, non essent mala; his enim potiùs comprobaretur Veritas Atheistica: cùm tamen ex fide dignissimis Historiis constat, prædictas impietates, mirabi-

è contra, primariæ impietates, essent laudabiles.

rabiliter & gravissimè esse punitas. Vide dicta in Tractatu infra 3tio sub Argum: 40.

9nò. & 10. Virtutes forent vitia, nihilq; esset honestum.

9num Inconveniens. Quia omnes Virtutes essent vitia, cùm per Atheos tollatur omnis honestas: hæc enim tota est, vel per conformitatem cum lege Divina, vel cum Natura rationali, in quantum ad DEum, ut ad ultimum finem ordinata, à quo & lumen rationis naturalis, & in quantum in se derivatum habet, est Regula bonitatis & malitiæ moralis.

10mum Inconveniens. Quia tolleretur omnis honestas: utpote cessante omni lege & obligatione naturali, à qua aliæ obligationes pendent.

11mò Optimi quiq; & doctissimi, fuissent pessimi & stultissimi.

11mum. Quòd omnes, quicunq; unquam fuerunt & sunt summæ Auctoritatis, Optimi, Sanctissimi, pro eruditissimis & sapientissimis à toto Orbe semper habiti: item omnes miraculis, prophetiâ conspicui. fuissent stultissimi. Hi enim agnoverunt, colueruntque DEum, quem tu Athee impie, blateras esse merum capitis figmentum.

12mum demum (ut alia prætermittam) ex doctrina Atheistica sequitur. Quòd soli omnium mortalium scelestissimi, soli plùs quàm brutali lasciviæ & impietati dediti: ab universo Orbe semper pro insipientibus habiti Athei, fuissent sapientissimi: utpote qui soli Veritatem Primam, & præcipuum arcanum attigerunt.

3tia Propositio.

Consensus absolutè omnium, est indicium Veritatis.

Quod retròactis omnibus temporibus, & nunc, omnes Gentium nationes: & in his universi innumeri viri, summò ingeniò, auctoritate eximia, multiplici doctrinâ, Virtuteq; instructi palàm & constanter sine ulla hæsitatione, ut verum ac indubitatum affirmant: id esse defacto verum, prudentissimè censetur, imò evidens est moraliter. Maximè, si ex alia parte non sit fundamentum solidum, ad prudenter judicandum, illos, vel per malitiam velle decipere, vel per ignorantiam decipi.

PRopositionis hujus Veritas constat. Quia tanta hominum indeficiens

ciens consensio, est clarissima vox ipsius Naturæ, quæ fallere nescia & falli, utpote cujus Objectum materiale est verum, nec ad falsum inclinat. Aliàs dubitare prudenter possemus de Veritate primorum Principiorum lumine Naturæ notorum. Imò Consensus omnium Gentium & omnium ætatum, non solùm non potest haberi circa falsum, sed nec solùm circa Verum ambiguum, & merè probabile. Cùm enim in Gentibus, varia semper fuerint ingenia, & sectæ sibi oppositæ, nulla est Quæstio merè probabilis, in qua omnes semper conveniant: sicut omnes conveniunt: Corpus quantum non posse naturaliter penetrari cum alio corpore quanto, nec posse naturaliter simul existere in pluribus locis. Ex nihilo subjecti, nihil defacto, ab Agente creato fieri. Et hoc est evidens naturaliter. Accedit. Quia, ut apud Sanctum Thomam lib: 2. contra Gentes, cap: 34. dicitur: ipso, ut colligere licet ex cap: 37, approbante. *Falsa Opinio, infirmitas quædam Intellectûs est: sicut & falsum judicium de sensibili proprio, ex infirmitate sensûs accidit: defectus autem per accidens sunt, quia præter naturæ intentionem. Quod autem est per accidens, non potest esse semper & in omnibus: sicut judicium de saporibus: quod ab omni gustu datur, non potest esse falsum; ita judicium, quod ab omnibus de Veritate datur, non potest esse erroneum.* Sicut item ad discernendum lucem à tenebris, album à nigro, sufficit consulere commune judicium oculorum non cæcutientium: sic ad discernendum verum à falso, sufficit consulere commune judicium Intellectûs, seu si Intellectivis omnibus, præsertim cunctis sapientibus, hoc constanter appareat verum. Propositionem nostram comprobat Aristoteles, qui libro 10. Ethicorum, ait: *Quod universis videtur, verum est.* Libro verò de Divinat: per somnia, cap: 1. *Quod omnes aut complures sentiunt, aut dicunt, id falsum esse non est putandum.* 6to Ethic: cap: 11. *Peritorum hominum & seniorum seu Prudentum pronuntiationibus, & opinionibus, absq; demonstratione, non minùs, quàm demonstrationibus attendendum est.* Licèt verò Aristoteles textu hoc ultimo agat de peritorum hominum pronuntiationibus circa res agendas: extendi tamen potest universaliter circa omnia alia, maximè si in contra nihil evidenter obstet. Seneca etiam Philosophorum omnium Stoicorum acutissimus, Epistola 118. scripsit: *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum, magnumq; est apud nos Veritatis argumentum, aliqui*

aliquid omnibus videri. Et alibi: *Nemo omnes, omnes neminem, singuli singulos fallunt.* Gulielmus Avernus Episcopus Parisiensis lib: de Virt: cap: 2. *Quod natura* (inquit) *universaliter & naturaliter confitetur, necesse est verum esse: Naturam enim naturaliter, & universaliter mentiri, impossibile est.* Et certè, cùm naturaliter speciei cujusq; instinctus frustaneus universaliter esse nequeat: quomodo naturale, immutabileq; humanæ speciei animalium perfectissimæ, universaleq; judicium pro omni tempore & statu, erroneum esse censeri poterit?

Objectionibus in contra, satisfit.

Neq; dicas in contra. Quòd ante adventum Christi, omnes Gentes fuerint Politheistæ, seu senserint plures Deos esse. Divus etiam Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, & ex illo Ecclesia in Lectionibus, in festo Sancti Damasi, habet hæc: *Ingemuit totus Orbis, se arianum miratus est.* Demum Mahometanam sectam magna pars Orbis, ut veram, amplexa est. Contra enim est. Quia omnes sapientiores Ethnici, unum tantùm esse Deum agnoverunt: quive colebant plures Deos, eo ipso Numen aliquod supremum, saltem confusè, esse affirmabant: quin pleriq; & distinctam etiam notitiam de aliquo Supremo habuerunt: passimq; Gentiles, primas deferebant Jovi, & tanquam supremum Deum colebant. Hinc etiam Lactantius libro 1. Institut: cap: 11, ait: *Solent quidam, errores suos hac excusatione defendere, qui convicti de uno DEO, cùm id negare non possunt, ipsum se colere affirmant, verùm hoc sibi placere, ut Jupiter nominetur.* Imò & in Indiis ac Japonia, prudentiores Ethnici, unum Deum colebant: ut constat ex Epistola Sancti Xaverii, Indiarum Apostoli, Romam scripta, Cocinô, Anno 1544. pride Idus Januarii, in qua Epistola, inter alia scribit sic: ,Unum Brachmanem in hac ora maritima nactus sum eruditum, qui ,in nobili ac celebri Gymnasio institutus ferebatnr. Is mihi tanquam ,arcanum quoddam indicavit. Primum omnium, illius Academiæ ,Discipulos à Magistris adigi Sacramentô, ne ipsorum mysteria enun-,tient: verùm tamen se mihi pro amicitia indicaturum. Unum ex my-,steriis illud fuit: Unum esse Deum, cæli terræq; Conditorem, ac Do-,minum, illumq; ab ipsis coli oportere: nam Idola nihil aliud esse, ,quàm Dæmonum simulacra. Dieq; suo festo hanc unam precationē ,identidem suâ lingvâ usurpant sapientes: Veneror te DEus, tuamq; ,opem in perpetuum imploro. Hanc precationem iurisjurandi Religione

,gione adstricti, submissâ admodum voce iterant sæpiùs. Hucusq; Sanctus Xaverius. Divus Hieronymus loquitur de illa multitudine Episcoporum, qui ex magna Orbis parte convenientes Ariminum, Valentis potissimùm & Arsacii, Arianorum fraudibus circumventi, decreverunt tollendum esse nomen *ομοουσιος*, quod, quid significaret non penetrabant, præsertim Episcopi Occidentales, ignari linguæ Græcæ: qui tamen, ut admoniti sunt & fallaciam agnoverunt, exnunc errorem correxerunt. Accedit. Quòd aliquibus Episcopis Occidentalibus deceptis, innumeri alii Viri doctissimi & Sanctissimi, tunc rectè senserint: ut etiam id ipsum insinuat Divus Augustinus Epistola 48. ad Vincentium Rogatistam, seu ex hæresi Rogatiana. Mahometismum vix ullus sapientum amplexus est. Crevit nonnisi tyrannide, ense, licentiâ Veneris, permissione scelerum, discordiâ Principum Christianorum. Prudentiores item ex ipsis Persis & Turcis, contemnunt Mahometismum, ut mihi retulit oculatus testis, Vir Apostolicus, Missionarius in Persiam, Venerabilis Pater Ignatius Franciscus Zapolski Societatis JESU. Insuper, quia non tantùm solida, sed evidentia sunt fundamenta, idololatriam, Arianismum, Mahometismũ, esse sectas erroneas, illosq; , qui eas amplexi sunt, vel per ignorantiam supinam deceptos esse, vel per malitiam, voluisse decipere. Et quidem quò ad Idololatriam, ex eo patet: quia contra lumen Naturale, Gentilismus adstruit plures Deos , & quidem Deos, hominibûs sceleratis sceleratiores. Unde Lactantius lib: 1 Institut: cap: 10, inquit: *Stultus est Marcus Tullius, qui Cajo Verri objecit adulteria, eadem enim Jupiter, quem colebat, admisit: qui Publio Clodio sororis incestum: Ast illi* (id est Jovi) *Optimo Maximo, eadem fuit soror & conjunx.* Arianismus etiam evidenter falsitatis convincitur. Tum ex multitudine innumera miraculorum, quæ fiebant in confirmationem fidei Orthodoxæ, & ex morte turpissima Arii. Tum ex eo, quia incepit ab Ario, modò primùm circa Annum Christi 324, eliminatusq; est jam ferè ex Orbe, paucis in Transylvania Arianis degentibus; cùm tamen vera Christiana Ecclesia, nunquam possit deficere, juxta illud: Et portæ inferi non prævalebuut adversùs eam, fueritq; etiam longè ante Arium, ut patet. Mahometismus ex eo inter alia, erroneus demonstratur quia supremam felicitatem hominis collocat in voluptatibus corporis: quod est evi-

denter falsum. *Indulgere enim voluptati, initium omnium malorum est,* ut sapienter notat Seneca Epist: 3. Est item contra rectam Rationem: hæc enim dictat, in ea hominis parte collocandam esse supremam hominis beatitudinem, quæ potior est & perfectior, qualis utiq; est Anima? Item, quia formalis beatitudo hominis esse nequit, nisi Operatio insigniter excellens & perfecta, cùm beatitudo sit ultima perfectio hominis, imò summa, teste etiam Aristotele: proinde debet esse Operatio vitalis, non materialis, nec brutis communis, sed spiritualis, rationalis, soliq; Creaturæ intellectivæ propria: quales Operationes sunt soli actus Intellectûs & Voluntatis. Hinc Avicenna, qui floruit circa Annum Christi 1110, Philosophus ac Medicus, Mahometanus licèt, tamen lib: 9. Metap: cap: 7. falsitatis arguit Mahometem. Averroes quoq;, qui vixit circa Annum 1216. similiter sectæ hujus Professor Philosophus & Commentator Aristotelis, fassus est, meliùs scripsisse ac sensisse Aristotelem de ultimo fine, ac beatitudine hominis, quàm Mahometem: Aristoteles enim 10. Ethic: cap: 7. & 8, statuit beatitudinem supremam hominis in contemplatione. Compendiosiùs etiam responderi posset ad Objectionem: scilicet, quòd Polytheismus non semper fuerit retròactis temporibus omnibus; siquidem non fuit à Mundi incunabulis, sed longè post, & quidem probabiliùs modò primùm post diluvium (quod fuit juxta multos, Anno Mundi 1656.) si non cæpit, saltem modò primùm post illud viguit, nec nunc sit apud omnes Gentes: quod multò magis dicendum de Arianismo & Mahometismo: proinde stat inconcussa nostræ Propositionis 3tiæ Veritas: etiamsi ad illam non fuisset additum Ly. Maximè si ex altera parte, non sit fundamentum &c: addidi tamen, ut Veritas Propositionis firmius inconcussa maneat, clariusq; eluceat,

4ta Propositio.

Deum existere, omnes fatentur.

DEum esse, omnes Gentium Nationes, & in his universi summò ingeniò & auctoritate eximiâ, multipliciq; doctrinâ & virtute instructi, ut indubitatum affirmârunt semper, ac affirmant. Neq; est fundamentum solidum ad prudenter judicandum, illos per malitiam velle decipere, vel per ignorantiam decipi.

Pri-

PRima pars hujus Propositionis, Inductione clarâ evincitur, enumeratione populorum omnium: Christianorum, Judæorum, Turcarum, Persarum, Scytharum, Maurorum, Indorum Orientalium & Occidentalium, Romanorum antiquorum, Græcorum, Barbarorum: & cùm nulla sit memoria, quandonam cœperit DEI cognitio, id ipsum documento est, eam semper fuisse, cumq; Mundo cœpisse. Eleganter Maximus Tyrius Philosophus Platonicus, Dissertatione 1mâ, dicit: [Quod si concionem cogas, omnesq; simul artes convenire jubeas, ac ,de DEO ex iis quæras, putásne aliud Pictorem, aliud Statuarium, ,aliud Poëtam, aliud dicturum esse Philosophum? Verùm enim verò ,in aliis videbis alia, nec unquam eadem statuere homines: nec enim ,bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum: nec idem turpe & ,honestum. Ut de Legibus & Jure taceam, quæ pro cujusq; placito, ,in omnes ita partes distrahuntur ac vellicantur: ut non modò Gens ,cum Gente, sed nec Urbs cum Urbe, nec Familia cum familia, nec ,homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat. ,In hac tanta pugna, contentione, atq; Opinionum varietate, in eo le- ,ges ubiq; terrarum atq; Opiniones convenire videbis: Deum esse u- ,num, Regem omnium & Patrem: huic multos additos esse Deos alios (*intellige Substantias separatas intellectivas, seu Angelos, hos enim etiam nomine Deorum appellavit Plato, ut videbìmus infrà in Tractatu 2do Libri 2di, Cap: 2.*) qui supremi illius Filii sint, & quasi in Imperio Colle- ,gæ (*veriùs Administratorii Spiritus*) in eo Græcus cum Barbaro, me- ,diterraneus cum Insulano, Sapiens consentit cum stulto: ut, si usq; ,ad extrema Oceani littora processeris, hìc quoq; Deos inventurus sis. ,Quod si ab omni ævo, duo aut tres exstiterunt tam abjecti homines, ,ut sine DEO, & sine ullo sensu aberrarent- ex his nihilominus homi- ,nibus, aliquid de Divina Natura intelliges, nam & inviti hoc sciunt, ,& inviti dicunt.] Hæc Tyrius Idem cum Tyrio asserit Cicero libro 1. de legibus. De hominibus nulla Gens est tam immansueta, quæ ,non, etiamsi ignoret qualem DEum habere deceat, tamen habendum ,sciat. Et libro 2do de Natura Deorum: De DEO qui dubitat, haud ,sanè intelligo, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit. Non absimilia habet Plutarchus libro contra Colotem cap: 18. Simplicius in Caput trigesimum octavum Enchirid: Epicteti, dicit: Omnes

homines, DEUM esse, censent. Ex Patribus audiatur vel unus Sanctus Augustinus, qui Tractatu 186. in Joannem ait: Hæc est vis veræ , Deitatis, ut Creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omnino, nec , penitus, possit abscondi. Et sermone de Verbis Domini: Pauci inve- , niuntur tantæ impietatis, ut dicant: Non est DEus. Vide & paulò superiùs sub Propositione 2da, textum Divi Chrysostomi.

In hoc conveniunt omnes Sectæ antiquorum Sapientū.

Confirmatur. Quia omnes Sectæ veterum Sapientum, licèt in cæteris, secum pugnantes, in hoc tamen convenerunt omnes, quòd detur Deus aliquis, nomine Dei intelligendo Ens primum, sive primum causalitatis, sive excellentiæ. Nam Zoroâster, Primus Sapientiæ Princeps apud Chaldæos, qui teste Plinio lib: 30. Natur: Hist. cap: unô, vicies centum millia versuum scripsit, ait: *DEUS incorruptibilium primus est, ingenitus, bonorum omnium Origo.* Ut refert Eusebius de Præparat: Evang. cap: ult.

Mercurius Trismegistus, Ægyptiæ sectæ primus, quid senserit de Deo, constat ex dictis infrà lib: 2. Tract: 2. cap: 1.

Pythagoras, Italiæ sectæ Princeps, dixit: *DEUS omnium Pater, Mens & Animatio cunctarum rerum.* Item: *Mundus à DEO factus est. Si quis se Deum dicat, præter unum, hic Mundum debet huic parem condere & dicere: Hic meus est. DEUS unus est, id est, non extra Mundi Ornatum, sed in ipso totus in toto.* Ut refert Sanctus Justinus Martyr in Exhortat: ad Gentes, & in libro de Monarchia.

Pöeticæ sectæ Princeps, Orpheus, hæc de DEO habet: *Unus per se genitus, ab eo cuncta progenita sunt.* Ut refert idem S. Justinus.

Eleàticæ sectæ Antesignanus, Xenophon dixit: *DEUS ingenitus, & æternus est.* Ut testatur Theophrastus.

Cynicæ sectæ Auctor fuit Anthistenes, is, quid senserit, colligitur ex Discipulo Cynico, hic (teste Laërtio in ejus vita) interrogatus: an Deos esse existimaret? *Quomodo* (inquit) *non existimo, qui te Deorum hostem puto?*

Zeno, Stoicorum Princeps, inquit: *Videtur, duo esse universorum Principia, Efficiens & Patiens: patiens, Materiam; efficiens autem, Rationem, quæ in ipsa est, sive DEum.*

Epicureæ sectæ Dux, Epicurus, hic teste Tullio, libro 2do de Natura Deorum, dixit: DEum esse Naturam præstantem, quâ nihil sit meli-

melius. Docuit item teste Laërtio in ejus vita: Felicitatem summam esse in Deo, cui accessio nulla fieri potest. Censuit proinde Epicurus, DEum esse Ens Primum, primitate excellentiæ: etsi non Primum primitate causalitatis.

Jonicæ sectæ Primus fuit Thales, is primus Sapiens appellatus, dixit: *Antiquissimum eorum quæ sunt, esse DEum, non enim genitus. Mundum Opus esse DEI.* Ita Laërtius in ejus vita.

Socrates suæ Dux sectæ, inquiebat: *Ignotum DEum investigandum rationibus esse, nec facilè Patrem & Opificem omnium inveniri posse.* Ut scribit Sanctus Justinus in Apologia pro Christianis:

De Euclide, qui Auctor Megaricæ sectæ, refert Laërtius in ejus vita, quòd affirmaverit: *Omne bonum in DEO esse.*

Platonicæ & Peripateticæ sectæ Princeps, Plato & Aristoteles, quòd senserint DEum esse, & quidem unum: constat ex dictis infrà cap: 2. & 3. in Tractatu 2do, Libri 2di. Hinc & Salvianus libro 1. de Providentia dicit: *Plato, & omnes Platonicorum scholæ, Moderatorem rerum omnium, confitentur DEum: Stoici, Eum Gubernatoris vice, intra id, quod regat semper manere testantur.* Ac teste Macrobio in 2do de somnio Scipionis: *Tota Philosophia posuit DEum, Auctorem rerum.*

Ex his evidenter habetur omnimoda Sapientum, & Sectarum omnium conspiratio de Primi Entis Existentia.

2da etiam pars illius Propositionis 4tæ probatur. Quia quodnam, rogo, solidum Fundamentum afferri potest, Omnes ex illis sapientiores, vel voluisse per malitiam decipere alios rudes: præsertim cùm ex iis innumeri, omnis Ordinis, sexûs & ætatis homines, mirabili vitæ probitate, imò & insigni doctrinâ conspicui, huic veritati propugnandæ, scilicet: quòd DEus sit, & quidem Unus in Essentia, fortunas omnes, vitamq; ipsam, stupendâ patientiâ, toleratis priùs exquisitissimis tormentorum generibûs, postposuerint? Vel per ignorantiam deceptos esse, cunctos Orbis sapientes?

An, & quales Gentes fuerint sinè cognitione Dei?

Neq; dicas, fuisse Gentes aliquas, & esse sinè omni Deo. Pater enim Maffæus refert lib: 2. Hist: Indic. In Brasilia, quæ est vasta Regio Americæ, seu Indiæ Occidentalis, nullum esse usum literarum harum trium F. L. R. Minimè absurda quorundam animadversione factum id esse divinitus, eo, quòd Fide, (nullos enim omnino nôrunt

Deos) Lege, Rege careant. Et P. Molina in 1. p. q. 2dâ testatur, Brasilos nullam de DEO habuisse notitiam, ante adventum Lusitanorum. Pegusiana item Gens, teste Maffæo libro 16. Histor: Indic. infinitos Mundos constituit perpetuò sibi succedentes, innumerabiles etiam Deos, quorum aliquot in singulis Mundis variante numero deinde existunt: qui nunc volvitur, hunc Deos quinq; habiturum affirmant, quorum quatuor jam abierint, postremum hunc, ante bis mille annos & nonaginta novem, asserunt è vita migrasse: nunc sinè Deo est, post multos Annos alium venturum exspectat. Guaycuri etiam Gens barbara, teste Nierembergio Histor: Natur. lib: 8. cap: 21. Deum nullum agnoscit, nec etiam nominat, sed & nec Dæmones agnoscit, nec alios spiritus: solùm putat animas postquam è corpore egressæ fuerint, vagabundas palari. Simile quid fertur de Angilæ, Africæ populo: & Strabo cap: 3. Geograph. dicit: Callaicis, Deum nullum esse, quidam ajunt. Respondetur. Quòd adversio à Patre Maffæo citata, sit sublimior, quàm solidior. Fides enim non in omni lingua incipit ab F. idem dic de Rege, Lege. Hoc tamen certum, quòd Brasili ferè omnes caruerint rectâ Fide, nec ante adventum Lusitanorum habuerint notitiam explicatam DEI, cui esset nomen proprium aliquod impositum, templaq; aut sacra dedicata: idq; non adeò mirum, siquidem illi barbari, absq; Urbibus & pagis, more ferarum in Sylvarum locis à se plurimùm dissitis ordinariè degebant. Pleriq; tamen ex iis ingeniosiores, non omnino in libidinem effusi, quòd habuerint notititiam Dei, colligi id sufficienter potest ex variis Historiis, inter quas, notabilis est & illa, quam de quodam ex Indis in Peruvia, refert Sacchinus in Historiarum Parte 5tâ, libro 9. ad finem.

Expeditiùs etiam fortè ad Objectionem responderi posset: nempe, Brasilorum Gentem & Pegusianam, vel in comparatione omnium aliarum nationum, pro nihilo computandas: vel Ly, *omnes Gentes*, in Propositione nostra 4ta positum, sumendum esse non mathematicè, sed moraliter: moralis autem universalitas admittit exclusionem aliquorum vel paucorum; & Sententia ferè omnium, reputatur moraliter esse omnium. Vel dicendum, illas Gentes fuisse omnino stolidas, nimiâ barbarie præpeditas, pravitate affectûs obcœcatas: quod ipsum patet ex iis, quæ de illis narrant Historici.

Obje-

Objectiones alias vide solutas infra in Tractatu 3tio, sub Argumento 4to.

CAPUT III.

De Auctoritate Scripturæ sacræ.

SÆpè in hoc Volumine adduco Scripturam sacram, ut verò ex illa aliquid efficaciter contra Atheos concludi possit, demonstrandum necessariò est, quantum sui pretium, & Auctoritatem, Liber Scripturæ sacræ mereatur apud quoscunq; prudentes, etiam infideles Porro demonstrandæ Auctoritati & Veritati Scripturæ, immorabor tantisper. Tum quia pro Veritate illius, tam valida sunt documenta, ut si quis iis penetratis, adhuc discredere audeat Scripturæ, ausim dicere, quod olim Lucæ 16, Abraham Epuloni dixisse legitur. *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Tum quia hic dicenda, digna scitu sunt, ac perutilia homini Christiano, ad eum in fide sancta confirmandum, & appretiandum Libros sanctos: Sit ergo

Scriptura sacra, apud quoscunq; etiam infideles, Auctoritatem eximiam, & pretium sui meretur, ex decem præsertim Capitibus.

Prima Propositio.

Biblia sacra, seu Liber sacræ Scripturæ, etiam apud Infideles quoscunq; prudentes, magnum sui pretium, eximiamq; Auctoritatem meretur.

Imò. Ex sua omnimoda veritate.

PRobatur. Demonstrando decem Causas tantæ Auctoritatis & meriti. *Imò* enim meretur ex eo. Quia per tot sæcula, imò tot millia annorum, in nullo, & à nullo, falsitatis convinci potuit: nec quidquam difforme rectæ Rationi præscribit faciendum: continetq; Historias conscriptas cum circumstantiis temporum, locorum, personarum, nominum, occasionum, tam consequenter, & congruenter pietati, ut admirari sufficienter non possis: talia autem in libris, qui confictas historias continent, minimè reperiuntur: veritatemq; eorum, quæ, verbi gratiâ, scripsit Moyses, comprobârunt omnes Prophetæ, & David Rex (qui annis solùm 370, ut ostendit Salianus in suis Annalibus, fuit posterior Moyse) in suis Psalmis, præsertim Psal: 77. 104, & 105. Comprobavit Christus Dominus Matth: 5to. *Non veni solvere legem aut Pro-*

Prophetas, ſed adimplere. Joannis 5to: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſan & mihi, de me enim ille ſcripſit: ſi autem literis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Comprobant omnes, Sanctitate, Miraculis, & ſapientiâ conſpicui in Veteri ac Nova Lege; Univerſus Orbis Chriſtianus, & ipſi Turcæ, Arabes, Perſæ, Scythæ, quò ad libros Veteris Teſtamenti præſertim Moyſis. Imò Mahometes in ſuo Alcorano cap: de Menſa, dicit: *O vos, quorum eſt divinus Codex* (nempe Alcoranus) *nihil omnino hoc vobis prodeſt, donec Teſtamentum Vetus, & Evangelium complectamini præq;feratis.* Licèt erroneè Mahometani aſſerant, Teſtamentum vetus, à Judæis; Novum, à Chriſtianis, in aliquibus locis depravatum eſſe. Comprobat Veritatem ſcriptorum à Moyſe, ejus nullo illitus fucô candor, quò plenus, Conſanguineorum ſuorum, & ſuosmet lapſus non reticuit; ut Levi, Fratris ſui idololatriam: peccatum Mariæ, ſororis, & filiorum Aaron: ſuam incredulitatem in percuſſione petræ, &c. Accedit, quòd in Libris Moyſis conſcriptorum præcipuorum mirabilium veritatem comprobent, à temporibus Moyſis hucuſq; apud Judæos perſeverantia feſta, Paſchæ, Pentecoſtes, Tubarum, Tabernaculorum. Feſtum enim *Paſchæ* celebratur in memoriam plurimum miraculoſæ ex Ægypto eliberationis Hebræorum, eorumq; conſervationis: cùm Dominus percuſſit in una nocte omne Primogenitum in terra Ægypti, ab homine uſq; ad pecus. *Pentecoſtes*, in memoriam datæ legis in monte Sinai, quinquageſimo die poſt egreſſum ex Ægypto. *Tubarum*, in memoriam Isááci, ab immolatione mirabiliter eliberati, ac pro eo ſurrogati arietis: ut habetur Geneſis 22. ideoq; eo die cornibus arietinis clangor fieri ſolebat. *Tabernaculorum*, quòd 40 annis in tabernaculis vixerint in deſerto, Deo prodigiosè illos protegente ac paſcente.

2dò. Ex Auctoritate ſuorum ſcriptorum.

2dò Meretur magnum ſui pretium Scriptura ſacra ob Auctoritatem ſuorum Scriptorum. Libros enim quinq; primos Scripturæ ſacræ. ſeu Pentateuchon, ut certiſſimum eſt (ſi inde quaſdam ſententias demas, additas à Joſue vel ab Eſdra, vel ab alio quodam Propheta: ut præter alios demonſtrat Cornelius à Lapide in Comentariis ſuis in Pentateuchum, folio 1.) ſcripſit Moyſes, patrator ipſe, ac ſpectator ferè omnium mirabilium eorum, quæ ſcribit contigiſſe in Ægypto, & poſt egreſſum ex Ægypto. Vir is, quantæ auctoritatis ſit, inde collige.

ge. Ab infantia in aula Regia, veluti Regis Pharàonis, Amenophis, dicti, Filius, & regni hæres, educatus est annis 40: fuit eruditus, ut ait Sanctus Stephanus Act: 7. Omni sapientiâ Ægyptiorum,& quidem in tantum, ut ab Ægyptiis, ob sacrarum literarum interpretationem, dictus fuerit Mercurius, & quasi pro Deo habitus. Vide Sanctum Cyrillum lib: 1. contra Julianum, & lib. 7. A Gentilium etiam Sapientibus ac Philosophis creditus est fuisse Vir sapientissimus. Gentilis Numenius, eum vocat Magnum Theologum, Legislatorem, & Prophetam: Eupolemus Sapientem imum, Diodorus Primum Latorem legum. Omnium, quorum nunc exstant scripta, vel quorum nomen in Gentilium Scriptis proditum est, Primus fuit Pöeta, Orator, Historicus, Philosophus, Theologus, Primus Dei Notarius. Pöetam fuisse insignem, testantur ejus celeberrima Cantica Exodi 15. Deutor: 32, quasi elegiaco carmine: Et saltem aliqua pars libri Jobi, quæ spondaicis versibus ab illomet (ut gravissimi Auctores asserunt apud Pinedam in Præfatione cap: 3. & 4. in librum Job) conscripta sunt. Oratorem, probant Exhortationes vel reprehensiones ad populum, vel ad DEum Orationes. Ut Historicus, scripsit Historiam certissimam ab Orbe condito, usq; ad annum circiter bis millesimum quingentesimũ. De ejus scientia Philosophica & Ethica, Theologicaq; , abundè testantur ejus libri quinq; , & Liber Job. Duodecim menses apud Pharàonem, dictum Techmosis, munere legationis functus: decem plagis miraculosis eum afflixit, ac trigesies centena cervicosorum hominum millia, per arida deserta, ex Ægyptiaca servitute in prodigiis ac portentis deduxit, & per ultimos quadraginta annos vitæ suæ, peractis mansionibus quadraginta tribus, quatuor insignioribus Victoriis, viginti duobus à se editis miraculis, clarus, ad Promissionis terram Isràëlitas perduxit: eorum summus Imperator, Doctor, Judex, Legislator, Pontifex, Propheta: Quod ultimum ex eo constat, quia in illius libris, plurimæ continentur prædictiones, ut Gen: 12, & 49. Numer: 24. Deutor. 18 & 32. ac 33. Ex quarum veritate jam adimpleta, non possumus prudenter dubitare, quin & in cæteris omnibus verax fuerit. Imò tota lex Moysis fuit quædam Prophetia & figura Christi: Unde Christus, Joannis 5to, dicit: *De me enim ille* (id est Moyses) *scripsit.* Acutè notat Divus Augustinus lib: 16. contra Faustum, cap: 22, Non

dicitur: *Ille enim & de me scripsit*, sed simpliciter *de me: ut omnem Scripturæ illius intentionem, nonnisi ad intelligendam Christi gratiam perscrutando consuleremus.* ut loquitur Sanctus Doctor. Sanctus quoq; Cyrillus Alexandrinus Archi-Episcopus, Opus Allegoricum scripsit, cui titulus & argumentum est: Quod per omnem Moysis scripturam, Christi mysterium designetur. Licèt verò in tanto fastigio collocatus Moyses, erat Vir mitissimus super omnes homines, ac usq; eò, propter modestiam, omnium sermone celebratus, ut Platoni, homini planè modestissimo, ejus modestia ac mansuetudo, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur: ut loquitur Constantinus Magnus, Imperator, in Orat: sua apud Eusebium cap: 18. Vixit Moyses annis centum quinquaginta: vegetus ac benè validus usq; ad mortem.

Psalmorum Librum conscripsit David, Rex potentissimus, victoriosissimus, & opulentissimus. Potentiam ejus vel inde collige, quòd (ut legitur 1. Paralip: cap: 21.) Joab Dux ejus exercitus, dedit Davidi numerum eorum, quos circumierat, & inventus est omnis numerus Israël, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. Levi verò & Benjamin non numeravit, eò quòd Joab invitus exequeretur Regis imperium. Debellavit Ammonitas, Syros, Philisthæos, aliosq; hostes. Opulentiam, & liberalitatem ejus in DEum, vel ex eo collige: quòd (ut scribitur 1. Paralip: cap: 22.) præter ligna cedrina, ferrum, æs, gemmas, in magna copia, reliquerit pro templo exstruendo Salomoni, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: quæ utraq; summa in universum facit bis mille & quadringentos milliones auri: unus autem millio auri, facit decies centena millia aureorum. Hanc summam, si tota ex auro esset, non ferrent decem millia curruum, nongenti & octoginta: quamvis singuli currus, ducenta quinquaginta millia aureorum ferrent: ut dicit Drexelius Aurifodinarum Parte 3tiâ cap: 1. Fuit insuper Propheta eximius, Pòëta insignis, optimè peritus Moralis & Naturalis Philosophiæ, Historiæ sacræ & Legum Divinarum, quæ omnia clarè in ejus Psalmis relucent. Mortuus anno ætatis 70mo: Regni 40mo. Cui successit Salomon, annum agens vigesimum, mortuus anno sexagesimo, vel ut alii volunt, 52do. Hic inter alia (Parabolarum enim, Carminum, omnisq; generis librorum numerus

rus ab eo conscriptorum fuit juxta multorum sensum, ferè sinè numero) conscripsit Libros sacros tres, scilicet: Proverbia, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum: imò juxta plerosq; , etiam Librum Sapientiæ. Fuit Rex sapientissimus. Is, ut legitur Sapient: 7mo. quam sinè fictione didicerat sapientiam, sine invidia aliis ut communicaret, Academiam celeberrimam ædificavit (teste Pineda lib: 3tio de Rebus Salomonis cap: 28. & aliis) in Monte Sion, juxta templum: in qua publicè ipsemet circa annum Regni sui 26tum, omnes docebat Scientias Naturales: hoc ipsum videtur ipsemet innuere Proverb: 9no. *Sapientia ædificavit sibi domum* (Doctrinæ videlicet publicum Gymnasium) *excidit columnas septem* (non planè quibus domus fulciretur, sed ex quibus veluti erectis Cathedris, tam ipse Salomon, quàm alii doctissimi Hebræorum, diversas scientias altiores docerent.) Et hæc Academia Salomonis, fuit Matrix cæterarum: suaq; recta dogmata, inde à Salomone & ab Hebræis, antiqui Sapientiores Ethnici hauserunt. Certum enim videtur esse, ad Salomonis doctrinam percipiendam, confluxisse plurimos Phænicenses, Tyrios, præsertim verò Ægyptios: siquidem & Vaphres Regis Ægypti filiam, aliasq; alieligenas duxerat sibi Salomon in uxores: &, si Regina Saba (quæ vocatur à Josepho, Nicaule), de ultimis finibus terræ, nempe ex Æthiopia venit, ut audiret sapientiam Salomonis. Quidni multò magis, simile quid dicendum de aliis finitimis populis ac sapientibus?

Aliorum etiam Librorum sacræ Scripturæ Veteris Testamenti Scriptores, fuerunt Viri sanctissimi, doctissimi, ac ordinariè nobilissimi, summa Auctoritate conspicui: ut Isaias, fuit filius Amos fratris Amasiæ, Regis Judæ, Socer Manassis Regis. Daniel, sanguine Regum genitus, Princeps & Rector totius Imperii & Monarchiæ Babylonicæ, annis ferè 90. Samuel in Gente sua ultimus Judex, & Princeps. Esdras, frater Josedec Summi Sacerdotis.

3tiò. Ex Antiquitate sua.

3tiò. Meretur magnum sui pretium, eximiamq; Auctoritatem Scriptura sacra, ob suam antiquitatem. Moyses enim ante Romam conditam natus est annis 825. Pluribus annis, quàm centum anteivit Mercurium Trismegistum. Eo enim tempore, quo Moyses natus est (ut scribit Divus Augustinus lib: 18. de Civit: cap: 39.) fuisse reperitur Athlas ille, magnus Astrologus, Promethi frater, maternus Avus

Mercurii majoris, cujus nepos fuit Triſmegiſtus ille Mercurius. Supra quingentis annis anteceſſit Homerum: imò Porphirius aſſerit, quòd Moyſes, Orpheô, Linô, Muſæô, fuerit mille annis antiquior: hi verò Pöetarum ac Theologorum ſunt antiquiſſimi: poſt eos enim Homerus & Heſiodus nati ſunt, utq; teſtatur Proculus, omnis Pythagoricorum & Platonicorum Theologia, ab Orpheo duxit originem. Quod concernit Hiſtoricos, Primus tempore inter Hiſtoricos Græcos, quorum Opera non perierunt, fuit Herodotus, quem Cicero, lib: 1. de leg: & 2do de Orator: vocat, Patrem Hiſtoriæ, & Principem Hiſtoriarum: inter Latinos verò Primus fuit Criſpus Saluſtius, de quo Martialis dicit. Criſpus, Romana Primus in hiſtoria: Herodotus, annis 450, Criſpus ſolùm ferè 50 annis præceſſit Chriſti adventum, quem tamen, juxta Salianum, Moyſes anteceſſit mille quingentis octoginta novem annis. Omnes etiam Sapientes ſeptem Græci, floruerunt ab Olympiade trigeſima octava, uſq; ad quinquageſimam, id eſt, ſexcentis annis ante Chriſti Nativitatem. Undequaq; ergo cognitu facilè eſt (meritò ait Sanctus Juſtinus in Orat: Exhort: ad Gentes) multò antiquiorem eſſe externis Hiſtoriis omnibus, Moyſis noſtri Hiſtoriam: Et Theodoretus lib: 2do de Græc: Curat: affect: alloquens Ethnicos dicit. An ,non, quæſo, tenetis, Moyſen eſſe omnibus veſtris Hiſtoricis, Pöetis, ,Philoſophis antiquiorem? - Cur non ad Moyſen, Oceanum Theolo- ,giæ tranſimus, à quo fluvii omnes, & maria omnia derivantur? Il- ,linc enim & Anaxagoras, & Pythagoras, Platoq; poſt eos, parva quæ- ,dam veritatis lumina, quædamq; initia deſumpſerunt. Tertullianus quoq; in Apologetico, cap: 19. Gentiles alloquens de libris ſacræ Scri- ,pturæ, ait: Primam Inſtrumentis iſtis Auctoritatem, ſumma antiqui- ,tas vendicat: apud vos quoq; Religionis eſt inſtar, fidem de tempo- ,ribus aſſerere. Omnes itaq; ſubſtantias, omneſq; materias, origines, ,ordines, venas, veterani cujuſq; Styli veſtri, Gentes etiam pleraſq; , & Urbes inſignes, hiſtoriarum cauſas, & memoriarum, ipſas deniq; , effigies literarum indices, cuſtodesq; rerum, & puto, adhuc minus di- ,cimus, ipſos inquam Deos veſtros, ipſa templa, & oracula, & ſacra, , unius interim Prophetiæ ſcrinium (*ſcilicet Moyſis Pentateuchon*) ſæcu- ,lis vincit: in quo videtur theſaurus collocatus totius Judaici Sacra- , menti, & inde etiam noſtri. Si quem audiviſtis interim Moyſen, Ar-

givo

,givo Inacho par est ætate: quadringentis pænè annis, nam & septem ,minus, Danaum, & apud vos vetustissimum, prævenit: mille circiter ,cladem Priami antecedit. possem etiam dicere quingentis ampliùs, & ,Homerum, habens, quos sequar. Cæteri quoq; Prophetæ, etsi Moysi ,posthumant, extremissimi tamen eorum, non retrorsiores, (*id est*, ,*non posteriores*) deprehenduntur primoribus vestris Sapientibus, & ,Legiferis & Historicis. Hæc Tertullianus. Quòd Moysis libri, sæculis vincant Deos Græcorum & Romanorum, constat: nam Moyses multò senior deprehenditur Hercule, Castore, Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Apolline, & cæteris Diis Gentium, ipsius quoq; Jovis gestis, quem Græcia in arce Divinitatis collocavit, etiamsi Cecropis tempore vixisse putetur. Idq; probat etiam solidè noster Cornelius à Lapide in cap: 14. libri Sapientiæ.

4tò. Ex sui conservatione.

4tò. Meretur ex eo. Quia nunquam, tam prolixâ diuturnitate temporis potuit aboleri Scriptura sacra: verùm mirabiliter conservata est per tot bellorum turbines, Regnorum ac Religionis mutationes, licèt quandoq; plures Tyranni potentissimi, omnes vires intenderint ad eam abolendam. Imò ex Diocletiani imperio, cùm injicerentur igni, sacri Codices, quos Abantinorum ex Sicilia, propè Cilybæum Fundanus quondam Episcopus tradiderat, subitò pluvia ingens, serenô cælô exortâ, ignem exstinxit, grando subsecuta, omnisq; Regio devastata: Ut refert Surius in Vita Sancti Saturnini 15. Februarii & Baronius Tomo 2do, ex Victore Uticensi de persecut: Vandal.

5tò. Quia est fons omnis sublimioris doctrinæ.

5tò. Ex eo meretur. Quia omnis Veterum Gentilium sublimior doctrina, magna ex parte de Scripturæ sacræ purissimis fontibus, dimanavit. Unde Tertullianus in Apologetico cap: 47. Hoc mihi pro- ,ficit antiquitas præstructa Divinæ Literaturæ, quo facilè credatur, ,thesaurum eam fuisse posteriori cuiq; Sapientiæ - Quis Pòëtarum, ,quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? ,Inde igitur Philosophi, sitim ingenii sui rigaverunt. Quod ipsum probat lib: 1. de Græc: affect: curati: Theodoretus, ex Plutarcho, Porphirio, & Oraculìs Apollinis. Confirmari hoc ipsum potest. *imò* ex eo, quòd Philosophi Veteres, causâ addiscendæ veritatis, peregrinati sunt in Ægyptum: Ægyptii verò multa didicerunt de rebus Divinis, ab Abrahamo, qui fuit in Ægypto peregrinus: à Josepho,

quem Pharao Rex constituit Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ; ut erudiret Principes, sicut se ipsum, & senes ejus prudentiam doceret. Psalmo 104: A tota Gente Hebræorum, quæ ab ingressu Jacobi in Ægyptum, usq; ad exitum inde suum, fuit continuis annis ducentis quindecim. Judæorum insuper terra non multùm distat ab Ægypto, quò frequenter commerciorum causâ, Judæi cõmeabant, quove item complures ordinariè confugiebant, dum à Persarum Regibus, aliisq; hostibus impeteretur Judæa. *2dò.* Quia Salomon erat in ditione sua habens omnia Regna, à flumine terræ Philistiim, usque ad terminum Ægypti. 3tio Reg. 4to: habuitq; in construendo templo, octoginta millia Ægyptiorum, & octoginta millia Phænicum, ac centum quinquaginta millia Gabaönitarum; exstruxeratque (ut suprà dixi) Academiam celebrem, ad quam undique confluxus erat Sapientum. *3tiò.* Quia Pythagoras, fuit discipulus Judæi cujusdam Nazareti Assyrii. Socrates Hebraicæ etiam sapientiæ, fuit æmulator. Plato in Mosaica disciplina versatus: ut dixit Numenius Pythagoricus: quæ docuit Plato in Symposio de hortis & campis Elysiis, de formatione hominis, de serpente: mutuatus est ex Moyse: ut dicit Origenes contra Celsum. Ex illo loco Exodi 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* non benè intellecto, accepit Plato Opinionem de Idæis: Ut asserit Sanctus Justinus Oratione Parenætica ad Gentes: ibidemq; cùm fusè probâsset Philosophos Veteres & Poëtas, præsertim verò Platonem ,multa desumpsisse ex libris Moysis, dicit. Plato, Moysis nomen, quod , unum solumq; Deum doceret, apud Athenienses exprimere metuens , Areopagum tutum non existimabat. Aristoteles fassus est, se cum quodam Judæo viro sapiente, collocutum, multaq; de Deo & aliis rebus ab eo didicisse. Ut testatur Clearchus nobilis Peripateticus apud Clementẽ libro 1. Strom: cap: 6. & Eusebium lib: 9. de Præparat: cap: 3: Quin nonnulli putârunt esse furtum Salomonicorum librorum, quæ de animalibus scripsit Aristoteles. Fusiùs hoc ipsum de Platone & Aristotele deduxi alibi, nempe in Libro meo, cui titulus: *Defensio Aristotelis & Philosophiæ*, in Corollario Tractatûs primi, pagina 61: & 62. Volumina etiã Mosaica, multùm probabile est, ante Alexandrum magnum, imò & ante Persarum imperium, in græcam lingvam, licèt minùs exactè fuisse conversa; Ut Aristobulus junior, celebris Hebræorum Philoso-

losophus, Præceptor Ptolomæi Regis Ægypti testatur apud Eusebium lib: 11. de Præparat: cap: 6. Idq; sat solidè probant Recentiores quidam: ut Serarius in Prolog: Bibl: cap: 16. Gretserus, & alii: proinde illa fuisse à plerisq; Ethnicis lecta, probabilissimum est. Insuper perhibent Orthodoxi graves Auctores, quòd Gentiles, ex Scriptura sacra, per Interpretem Judæum vel ipsimet etiam eas legendo, multas Historias desumpserint. Sic ex Historia Samsonis, mutuatos esse gesta, fabulasq; sui Herculis: cùm revera alius non fuerit Hercules, quàm Samson; ut docent Sanctus Augustinus lib: 18. de Civit: cap: 19. Philastrius, Otho Frisingensis, & alii, quos citat Cornelius à Lapide in lib: Judic: cap: 16. v. 29. illorumq; rationes quinq; adducit, sat probabiles. Clemens Alexand: lib: 2. Strom: docet, quòd Minos Legislator Græcorum, quem dicunt novem annis cum Jove familialiter esse conversatum, non alius sit, quàm Moyses, qui in Sina cum DEo colloquens, ab eo legem accepit. Nôe finxerunt esse bicipitem Janum, eundemq; Bacchum, eò, quòd duos quasi Mundos viderit, nempe antè, & post Diluvium, & quòd vitem ac vinum invenisset. Figmentum illud de geminis columbis, ex quercu reddentibus responsa in sylva Dodonæa, fertur originem sumpsisse, ex historia de columbis à Nôe ex arca emissis, ad explorandam diminutionem aquarum. Quia legerant, vel audierant Luciferum è cælis dejectum; formârunt inde Aten, à Jove, cælo pulsam, quæ res humanas turbaret. Ex historia & gestis Gigantum, finxerunt varia de Gigantibus. Phäetontis incendium ex incendio Sodomæ, desumptum. Campi hortiq; Elysii, ex paradiso terrestri. Audientes Græci ab Isäelitis, quòd Elias curru igneo & equis sit igneis ad cælestia translatus, crediderunt viciniâ decepti nominis, solis hìc transitum per cælos esse designatum: ut dicit Eucherius & Angelomus. Non absimilia his habet etiam Beda quæst: 37. ac Sanctus Chrysostomus Homiliâ 1. de Elia, nisi quòd addat, ab Elia, solem dictum esse ἥλιον. Ex historia Jonæ fugientis in Joppen, ibiq; à ceto absorpti, sed à DEo liberati, originem sumpsit (ut censet Sanchez cum pluribus) fabula Andromedæ. Perseum finxerunt ex Danae Virgine genitum esse, quia (ut inquit Coquæus in 10. caput lib: 14 de Civ. Dei) per Isaiam prædictum fuerat, Christum ex Virgine nasciturum esse. Sapienter observat Sanctus Justinus Martyr Apolog: 1. ad Antoninum Pi-

Gentiles multa desumpserũt ex Scripturæ sacræ Libris.

Pium, & Tertullianus in Apolog: cap: 47. quòd Dæmones per ipſos Pöëtas, veritatem Scripturæ ſacæ, fabularum ac mendaciorum admixtione corruperint, eo fine, ut homines pro fabulis prodigioſis, Pöëticisvè narrationibus, res veras haberent, fabulæq; immixtæ, quæ fidem infirmarent veritatis.

6tò. Quia complectitur omne ſcibile.

6tò. Meretur ex eo. Quia ut demonſtrat Cornelius à Lapide in procemio in Scripturam, non ſolùm ſenſu myſtico, ſed etiam literali, complectitur Scriptura ſacra omnem ſcientiam, omneq; ſcibile: ut meritò ſcripſerit Sanctus Auguſtinus lib: 2do. de doctrina Chriſtiana, ,cap: 41. Quantum minor eſt auri, argenti, veſtisq; copia, quam de ,Ægypto ſecum ille populus abſtulit, in comparatione divitiarum, ,quas poſtea Jeroſolymæ conſecutus eſt, quæ maximé in Salomone Re-,ge oſtenduntur: tanta fit cuncta ſcientia, quæ quidem eſt utilis colle-,cta de libris Gentium, ſi Divinarum Scripturarum ſcientiæ compa-,retur.

7mò. Quia Scriptura ſacra eſt uber inexhauſtæ profunditatis

7mò meretur ex profunditate ſua ferè incomprehenſibili. Certè Sanctus Auguſtinus, Eruditorum ſanctiſſimus, & Sanctiſſimorum eruditiſſimus, ut eum appellavit Sanctus Paulinus. Ille inquam Auguſtinus, qui nullum profanum librum volvere ſolebat, quin protinus eum comprehenderet: Epiſtolâ 2da ad Voluſianum ſcribit ſic: *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum* (ſcilicet Scripturæ ſacræ) *ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſq; ad decrepitam ſenectutem, maximô otiô, ſummô ſtudiô, meliore ingenio, conarer addiſcere; tantaq; in eis latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, & flagrantiſſimis cupiditate diſcendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet,* (Eccleſiaſtici 18. v.6.) *cùm conſummaverit homo, tunc incipiet.* Et Epiſt: 119. ait: *Ego in Scriptura, multo plura neſcio, quàm ſcio.* Divus quoq; Chryſologus ſermone 64. dicit: *Singula Scripturæ verba, ſi libris ſingulis mandarentur, nec ſic myſteria, quæ in ipſis ſunt, audientibus perlucerent.* Porrò profunditas Scripturæ ſacræ oritur etiam ex eo, quia Scripturæ ſenſus eſt multiplex: videlicet, unus literalis, quem verba ipſa immediatè ſignificant: quò etiam & parabolicus ſpectat. Imò quandoq; unius ejusdemq; loci Scripturæ, ſunt plures ſenſus literales: ut docent communiter Doctores,& expreſsè Divus Thomas 1. p. q. 1. art: 10. 2dus ſenſus eſt Spiritualis, ſeu Myſticus, quem res per verba ſigni-

significatæ, significant: ipseq; sensus spiritualis, saltem in pluribus locis Scripturæ, est triplex: nempe Allegoricus, Tropologicus, seu Moralis, & Anagogicus: sic Jerusalem, ad Literam significat civitatem Judææ; Allegoricè, Ecclesiam; Tropologicè, animam Justi; Anagogicè, cælestem Patriam.

8vò. Quia complectitur Prophetias, veritati omnimodæ consonas.

8vò meretur. Quia continet verissima Prophetarum & Christi Domini Oracula. *Sanctæ Scripturæ Fides* (verba sunt Divi Augustini lib: 10. de Civit. cap: 9. & 10.) *mirabilem auctoritatem non immeritò habet in Orbe terrarum, atq; in omnibus Gentibus, quas sibi esse credituras, inter cætera, quæ dixit, vera Divinitate prædixit. Quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus Orbis, sicut ab ea prædictum est, credidit: quæ vera se narrasse præterita, ex his, quæ futura pronuntiavit, cùm tanta veritate implentur, ostendit.* Et Tertullianus in Apologetico cap. 20. *Majestatem Scripturarum probamus. quidquid agitur, prænuntiabatur: quidquid videtur, audiebatur. Idoneum opinor testimonium Divinitatis, veritas Divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoq; fides tuta est jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur.* Ast de hoc fusè infrà, Cap: 13. sub Propositione 2da.

9nò. Quia ingenti pollet efficaciâ.

9nò meretur ex eo. Quia Scriptura sacra, licèt omni Atticæ eloquentiæ fastu careat. Ut loquitur Theodoretus lib. 8. de Græc: affect. curat: nec varietate verborum, tanquam fucis condita, sed nudatam omni prætextu & artificio, & garrulitate, veritatem proponat: ut ait Zacharias Mitilenensis Episcopus in Dialogo de Mundi Creatione. Tomo 4. Biblioth: Patrum: latet tamen in ea ingens vis ac efficacia, omni gladiô ancipiti penetrabilior. Hæc Antonium Eremitam, Simeonem Stilitem, Franciscum, Franciscum Assisium, aliosq; sexcentos, imò innumeros, ad vitæ austeritatem impulit admirandam: Paulinum Nolanum, innumerabilium prædiorum Dominum, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimum fecit, innumerabilesq; ad contemptum voluptatum, divitiarum, permovit. Eremitis deserta: Urbes, Oppida, Religiosis implevit: multoties etiam infideles ipsos terrefecit, ac convertit: Experti id sunt maximô sui bonô plurimi, inter quos Justinus Philosophus, Victorinus fastuosus olim Romanæ urbis Rhetor; Chrisantus opibus potens, quos lectio sacræ Scripturæ, Christianos, ac pro Christo humiles, pauperes, & Martyres fecit. Est item Scriptura sa-

cra, Affectuum gravium, fugatorium inſtrumentum: ignis animæ inſiti extinctorium magiſterium; ut dicit Sanctus Juſtinus Orat: 2da ad Græcos. Quod ipſum confirmat Caſſiodorus ex Divo Hieronymo Epiſt: 4. ad Ruſticum, proferens ſententiam hanc: *Ama lectionem Scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

10mò Quia Veritas Scripturæ inſignib9 prodigiis comprobata.

10mò tandem (omiſſis aliis titulis, ut, quòd innumera miracula à Scripturæ ſacræ Scriptoribus, Cultoribus, Interpretibus Chriſtianis edita fuerint; quòd ſangvinis vitæq; profuſione, Doctrina illius, ab innumeris confirmata ſit) meretur ex eo. Quia Auctoritas & veritas ſacræ Scripturæ pluribus miraculis generaliter comprobata eſt. Nam annis ferè trecentis ante Chriſti Adventum, poſtulante Ptolomæo Philadelpho, Filio Ptolomæi Lagi, qui Alexandro Magno in Ægypti Regno ſucceſſit, ab Eleazaro Pontifice, Flos Hebrææ Sapientiæ, Doctiſſimi 72 miſſi, linguæ etiam græcæ peritiſſimi, Teſtamentum Vetus, ita in Pharo Inſula, 72 dierum ſpatiô, in græcam linguam transtulerunt, ut licèt nullam omnino conventionem præviam inter ſe fecerint, tamen Prophetarum more, nihil in alicujus Codice eorum inventum ſit, quod non iisdem verbis, eodemq; verborum ordine inveniretur in cæteris. Ut ſcribit Philo, Sanctus Juſtinus, Tertullianus, Clemens Alexandr: S. Auguſtinus, aliiq; paſſim: & fortaſſis ob tantum miraculum, libros ſacræ Scripturæ à 70 Interpretibus, in græcam linguam acceptos, Rex Ptolomæus adoravit: ut refert Joſephus lib: 12. Antiquit: cap: 2. teſtaturq; Tertullianus, libros illos unà cum Judaicis Exemplaribus, uſq; ad ſua tempora, propè ipſum Serapidis templum exhiberi in Bibliotheca Ptolomæi. Accedunt alia miracula. Theopompus ac Theodectus Gentiles, graviter à DEo puniti ſunt, quòd minùs reverenter, Scripturam ſacram tractaſſent: ut referunt Ariſteas & Joſephus loco ſuprà citato. Sanctus Gallus, apertô librô ſacræ Scripturæ, incendium magnum, ſubito in Civitate Averna, extinxit: ut ſcribit Sanctus Gregorius Turonenſis in Vita Patrum cap: 6. Simile quid refert lib: 5. cap: 22. Nicephorus de S. Marciano. Ruſſi ad fidem converſi, quòd Evangelium in flammis non arderet: ut narrat Zonaras in Macedone Divus Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, noctu, ſancta Biblia legens, ſomnô oppreſſus, candela in ſacrum librum incidit, eumq; flamma corripit, evigilans ſuſpirat, putans combuſtum eſſe librum, favillam libro inhæ-

inhærentem efflat, & en, illæsum Codicem reperit. Cùm, Anno Domini 755. in caput Sancti Bonifacii, Germanorum Apostoli, ensem vibrarent Gentiles Frisii, ille librum Scripturæ sacræ objecit, licetq; ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen litera ex sectione abolita est. Item ex lectione Scripturæ sacræ primò occurrente, multi didicerunt mirabiliter, vel eventus belli: ut Moroveus, Chilperici Regis Francorum Filius, nec non Clodoveus: Vel pœnas sui futuras: ut Leudastes calumniator: prout refert Sanctus Gregorius Episcopus Torunensis lib: 2. & 5. Historiarum.

Prætermitto recensere miracula, quibus omnibus sæculis præcipua Dogmata, sacrîs literîs contenta, comprobantur.

His enumeratis decem Titulis penitius consideratis, meritò illud Psalm: 92. ingeminandum est. *Testimonia tua Domine* (libro sacræ Scripturæ contenta) *credibilia facta sunt.*

2da Propositio.

Liber sacræ Scripturæ, apud quoscunq; etiam infideles, prudentes, meretur majus sui pretium & Auctoritatem, quàm mereatur liber cujuscunq; profani Historici v. gr. Herodoti, Commentarij Julij Cæsaris, libri Livij, Strabonis, Plutarchi, Justini, Curtij, Taciti, & similium, etiam simul sumptorum.

Scriptura sacra meretur majus sui pretium, apud quoscunq;, quàm libri Historicorum veterum, etiam simul sumptorum.

PRobatur. Quia nullus liber profanus habet simul tot ac tantos vel similes titulos fundativos pretii Auctoritatisq; tantæ, quot, & quales habet Scriptura sacra: ut patet reflectenti se ad decem superiùs enumeratos titulos. Unde meritò S. Augustinus lib: 2. de Genesi ad lit: cap: 5. dicit: Major est Scripturæ sacræ Auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas. Pater item Salmeron tomo 16. Dispur: 4. pag: 173. ait: Plùs uni loco Scripturæ tribuendum est, quàm universis Philosophis, unum & idem constanter dicentibus. Accedit quòd in prædictis profanis Historicis multa reperiantur Veritati dissona. Cicero enim lib: 1. de Leg. ait: Apud Herodotum, Historiæ Patrem, & apud Theopompum, sunt innumerabiles fabulæ. Strabo etiam libro ultimo, dicit, ab Herodoto non historiam, sed mitihistoriam, id est historiam fabulosam conscriptam: idemq; confirmat Prusæus, cogno-

mine Chryſoſtomus Orat: 37. Suetonius ex ore Aſinii Pollionis Romani Conſulis, accuſat Julium Cæſarem, quòd in ſuis Commentariis ſæpè fuerit fallax. Livium Auguſtus Imperator taxavit, quòd plus æquo, partibus Pompejanis in ſua hiſtoria faveret. Strabo lib: 15 Geographiæ, mentitur, dicens: quòd Moyſes docuerit illa, quæ vocamus, Cælum, Mundum, & Naturam, eſſe Deum. Plutarchus falsò dicit, quòd Judæi, Bacchum colant pro Deo. Pererius ſupra Danielem, convincit Juſtinum multorum errorum. Curtius, qui ſub Veſpaſiano aut Trajano vixit, in multis ſibi non conſtat: & lib: 9. fatetur, ſe plura conſcribere, quàm credere. Flavius Vopiſcus in vita Aurelii, in Tacito notat plurimas falſitates: fateturq; nullum eſſe hiſtoriæ Scriptorem, qui non ſit aliquando mentitus: quod ipſum comprobat Orat. 11. Dion Pruſæus: Mera ſunt mendacia, quæ de Judæorum origine, nomine, ac Religione refert lib. 5. ſuæ hiſtoriæ, Tacitus, quem meritò Tertullianus in Apolog. cap: 16. nominat: mendaciorum loquaciſſimũ.

CAPUT IV.

De Mundi duratione, & Poſſibilitate variorum Entium.

Prima Propoſitio.

Mundus quid? Potuit non eſſe ab æterno.

Mundus potuit non eſſe ab æterno.

Nomine Mundi, intelligitur hìc, tota cæli & terræ machina, ſumpta cum creaturis omnibus, quæ intra cælum & terram ſunt, fuerunt, ac erunt.

PRobatur Propoſitio. Tum quia nullum eſt efficax fundamentum tribuendi Mundo neceſſariam æternitatem: imò nihil omnino eſt, unde vel probabiliter colligi poſſit, quòd cælum, aſtra, elementa, leo, homo, &c. indiſpenſabiliter exigant fuiſſe ab æterno, & quidem ita, ut huic exigentiæ nullatenus contraveniri potuerit. Quin nec ab ipſo omnipotente Deo potuiſſe fieri Mundum ab æterno, ſaltem quò ad Entia ſucceſſiva, docent graviſſimi plurimiq; Doctores, quorum doctrina non levibus innititur fundamentis. Tum quia defacto Mundus non fuit ab æterno: ut conſtabit ex mox dicendis. Ergo potuit non eſſe ab æterno. Conſequentia patet, Quia ab actu Secundo ad actum primum,

mum, seu ad Potentiam, non contradictoriè actui Secundo oppositam, recta est Consequentia.

2da Propositio.

Mundum defacto fuisse ab æterno, non est evidens.

PRobatur. Tum quia, unde quæso hæc evidentia & certitudo? Tum quia contrarium huic fictitiæ evidentiæ est certissimum ex fide, ac lumini Rationis conformius.

3tia Propositio.

Mundum non fuisse ab æterno, sed habuisse principium suæ durationis, certum est ex Scriptura sacra (cujus Auctoritas magno in pretio, quòd meritò esse debeat etiam apud Infideles quoscunq;, demonstratum est superiori 3tio capite) *certum item, si spectetur Orbis universi judicium.* *Imò defactò fuisse in tempore productum.*

PRima pars Propositionis probatur ex illo Genesis 1mo. *In principio creavit DEus Cælum & terram.* Ubi nomine *Principij*, licèt in sensu allegorico, benè intelligi possit, Filius DEI, in quo (ut ait S. Paulus ad Coloss: 1.) condita sunt omnia. Et ipse de se Joan: 8. interrogatus: *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Possit item illud: *In Principio*; exponi, ut significet idem, quod ante omnia: seu priùs, quàm Deus alia faceret: tamen in sensu literali, saltem primario, juxta unianimem consensum Patrum, intelligi debet, Principium, seu Initium durationis. Dixi Saltem primariò. Quia Divus Augustinus lib: 12 Confess: cap. 31. asserit, Omnes illos tres enumeratos sensus, posse censeri literales, dicit enim. Cùm alius dixerit: hoc sensit Moyses, quod ego; & alius: Imò illud, quod ego: religiosiùs me arbitror dicere: Cur non utrùmq; potius, si utrumq; verum est, & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis (nempe: In principio creavit DEus cælum & terram) videt: Cur non illa omnia vidisse credatur, per quem, Unus Deus, vera & diversa visuris sacras Literas, multorum sensibus temperavit? Sensit ille (Moyses) omnino in his verbis, atq; cogitavit, cùm ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, & quidquid nos non *Constat ex Scriptura sacra.*

,potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest. Hucusq; Sanctus Doctor.

Neq; dicas: Joannis 1mo dicitur. *In principio erat Verbum:* nec tamen inde infertur, quòd ab æterno non fuerit. Ergo & in præsenti. Respondet enim P. Quiros Disput: 68 sect: 1. in Cursu Philos: quòd non dicatur: In principio fuit Verbum: sed, Erat: quasi dicatur: Jam erat Verbum, quando tempus habuit initium: juxta illud Proverb: 8: *Antequam quidquam faceret à principio, cùm eo eram cuncta componens.* Solidior tamen fortè disparitas hæc afferri potest. Quia Sanctus Joannes asserit in eodem Capite, illud Verbum, esse DEum. Cùm ergo certum sit, DEum fuisse ab æterno, clarè habetur non significare ly: *In principio:* initium temporis, saltem ita, quasi ante illud non fuerit Verbum: sed significare, quòd ante omne tempus quomodocunq; cogitabile, erat Verbum: sumitur ergo hic *Principium* respectivè: dicit enim respectum ad omnia tempora, eò quòd illa longè antecedat: ut notat cum aliis Cornelius à Lapide.

Confirmatur eadem Pars prima Propositionis ex aliis Scripturæ locis, ut Psalmo 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & Orbis, à sæculo usq; in sæculum, tu es DEus.* Ecclesi: 24. *Ego ex ore Altissimi prodij, primogenita ante omnem Creaturam.* Ad Ephesios 1. *Elegit vos in Ipso, ante Mundi constitutionem.* Demum ipse Christus Dominus Joan: 17. dicit: *Clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam Mundus esset apud Te.*

Constat item ex cõsensu hominum.

2da pars Propositionis 3tiæ probatur. Quia huic veritati assentiebantur semper & assentiuntur, non solùm omnes Christiani, ac omnes Hæretici (nullus enim unquam Hæreticorum docuit, Mundum ipsum fuisse æternum: licèt Marcion, Hermogenes, Manichæi, materiam, Deo coæternam & ingenitam fuisse, erroneè censuerint) non tantùm omnes Judæi, & Turcæ: verùm etiam omnes Gentes, ac omnes ferè veteres Philosophi, qui fuerunt ante Aristotelē, ut ipsemet ait: lib: 1. de Cælo, tex: 102. *Omnes Mundum generant.* Inter quos numerantur, Trismegistus, Orpheus, Homerus, Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, Zeroástes, Zareta, Melissus, Stoici, Pythagorici, & verius etiam Plato, ut colligitur ex ejus libris de Republica, & ex Timæo, idq; non obscurè ostendit Philoponus, ac Marsilius Ficinus:

idemq; de Platone dicunt omnes ferè Platonici, aliiq; plures quin & ipse Aristoteles, qui bene noverat sui Magistri sententiam, & tamen dixit: *Omnes Mundum generant.*

Quare multùm credibile est, doctrinam hanc de initio Mundi, utpote de re, non per se evidente, & tamen adeo inter omnes ferè homines constantem, à primis Mundi Incolis derivatam fuisse, præsertim verò ab Adamo, quem probabiliter, ideo etiam DEus, dum creavit hunc Mundum, in virili ætate statim efformavit, moxq; arbores perfectas & animalia in statu consistentiæ, produxit, ut Adamus cognosceret, se, ac cætera, initium habuisse: si enim eo modo tunc ad maturitatem cuncta lento passu processissent, qualiter nunc procedere videmus, potuisset suspicari Adamus, jam olim ista exstitisse, ac ex relictis seminibus pullulare: pariter, si infantiam suam usq; ad maturam ætatem produxisset, potuisset opinari, Patrem suum & Matrem alicubi esse, aut mortuos, jam non comparere. Quòd homines etiam in prima ætate Mundi, multùm longævi fuerint (vixit enim inter alios, Adamus annos 930. Eva (ut opinatur Marianus Scotus) 940. Set 912. Enos 905. Cainan 910. Jared 962. Matusala 969. Noe 950.) multùm credibile est, contigisse id, non solùm ob bonitatem primævæ complexionis, sobrietatem, vigorem majorem terræ, ob eximiam notitiam herbarum, fructuum, & lapidum medicinalium, conservativorum vitæ; sed præcipuè ideo, ut statim initiò multiplicaretur genus humanum per universam terram, illiq; primi homines edocti à primo Parente, notitiam propagarent de Mundi initio, ac creatione rerum, docerentq; suô exemplô, DEum colere.

Adamus cur in virili ætate productꝰ?

Cur item initio Mũdi multum longævi fuerint homines.

Si quæras. Undenam Moyses accuratam doctrinam de fabricatione Mundi accepit? Respondet Pererius cum aliis plurimis: Moysen accepisse eam doctrinam, partim divina revelatione, partim etiam traditione fidelissima id didicisse poterat à Filiis, vel Nepotibus Joseph Patriarchæ: inter mortem enim Joseph, & ortum Moysis intercesserunt anni tantummodò 64; Joseph autem eadem nosse potuit ex Patre suo Jacobo: hic, ex Isaac; is, ex Abraham: hunc verò, Sem & Noe docere potuerunt: siquidem post ortum ipsius Abrahæ, vixit Noe adhuc annis 58: Sem autem per 33 annos Abrahæ superstes fuit: Noe verò id didicisse potuerat ab avo suo Matusalem, qui ad annum Noe sexcentesimum

Moyses unde nam didicit Mundũ in tempore productum.

Aristoteles quidnam senserit de Mundi initio?

simum pervenit, & cum Adamo 242 annis insimul vixit. Porro æternitatem Mundo primus ferè adstruxisse videtur Aristoteles, quem secuti sunt Proclus, Simplicius, Averroes, Avicenna. Quanquam & Aristoteles absolutè dubius fuit circa æternitatem Mundi, ut opinatur Divus Thomas 1. parte, q 46. art 1. Albertus Magnus in 2. Dist: 1. art. 10. Udalricus, Argentinas, P. Valentia tomo 1. Disp: 1. q 3. nec ab illis dissentio: quidquid contradicant plurimi, nam inter problemata, id est inter opiniones conjecturales, posuit quæstionem de æternitate Mundi; expressè enim dicit, quòd quædam sunt problemata Dialectica, de quibus rationes (intellige evidenter convictivas) non habemus, ut; Utrum Mundus sit æternus. Adverte autem, Datô non concessô, Aristotelem firmiter censuisse, Mundum fuisse ab æterno, tamen ipse constanter tenuit, Mundum fuisse efficienter productum à DEo, ut deduxi sat clarè in libro meo, cui titulus: Defensio Aristotelis & Philosophiæ Peripateticæ, sub Propositione 4ta Tractatûs 1mi.

4ta Propositio.

Rationes naturales æternitatem Mundi sat efficaciter dissuadent.

Rationibus sex probatur, Mundum in tempore esse productum.

PRobatur, afferendo Rationes.

Ima est. Prudentissimè id creditur esse verum, quod Liber sacræ Scripturæ testatur: ut constat sufficienter ex dictis in hoc Tractatu, toto Capite tertio: item ex dictis infra in Tractatu 3tio, sub Argumento 33tio. Sed Liber sacræ Scripturæ, testatur, Mundum non fuisse ab æterno; ut patet ex dictis in probatione Propositionis 3tiæ. Ergò prudentissimè creditur, Mundum non fuisse ab æterno: proinde adducta Ratio, æternitatem Mundi, sat efficaciter dissuadet, ut evidenter infertur.

2da Ratio est. Etiam unius producibilis rei existentia Actualis, ut prudenrer asseratur, præsertim contra plurimos Sapientes, ac in re gravissima, debet haberi fundamentum grave positivum illius assertionis: ut patet, Aliàs enim aliquis prudenter posset asserere, exstitisse Atheum in rerum Natura ante annos centum in specie porci: Soles dari plurimos, & similia innumera. Ergo multò magis contra innumeros Sapientes, sensumq; cunctarum Gentium, non debet asseri sine funda-

fundamento gravissimo, Mundum exstitisse ab æterno: seu, quod idẽ est, exstitisse à parte rei, infinities infinitas generationes & corruptiones rerum: circulationes astrorum, motus marium, fluviorum: infinities infinitos exstitisse viros, fœminas, leones, boves, aquilas, cetos, lucios, &c. Subsumo. Sed nullum est gravissimum fundamentum, id asserendi. Quod enim? asseriturq; id contra innumeros Sapientes, sensumq; omnium Gentium ac consensum: qui consensus, ut sapienter notat Cardinalis Toletus in lib: 8. Physic. cap: 2. q. 2. est magni faciendus in rebus præsertim, quæ ex facto pendent: maximè, quòd testes hìc, quò sunt vetustiores, eò propiores fuerunt Mundi Origini, eoq; majoris Auctoritatis, ut iis credatur. Sicut eò limpidior est aqua, quò magis accedit ad fontem, unde emanat. Ergo non debet asseri, Mundum fuisse ab æterno.

3tia Ratio dissuasiva æternitatis Mundi est. Altissimum totius æternitatis à parte ante, silentium, hoc clarè intonat, Mundum non fuisse ab æterno. Percurre Athee omnes quatuor Orbis partes, earumq; singulas lustra Regiones, nullam Historiam, nulla rudera Urbium, nulla initia Gentium, Monarchiarum, Regnorum præteritorum & præsentium, verbo; nulla penitus vera antiquitatis monumenta reperies, quæ excedant memoriam sex vel septem millium annorum. Porro, si Mundus fuisset ab æterno, id defactò contigisse, incredibile est, spectatâ tum cupiditate naturali hominibus insitâ, posteris transmittendi memoriam sui: tum posterorum, sciendi præteritorum curiositate: tum paritate hac. Atheus, nisi fallor (quo enim fundamento?) non audet indubitanter, & tanquam certum asserere, post sex millia annorum, nullam penitus in rerum natura futuram memoriam Imperii Romani, Turcici, Regnorum, Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, &c. Urbium Romæ, Venetiarum, Parisiorum, Viennæ, Cracoviæ, Gedani &c. Et cur pro indubitato asserit, periisse penitus memoriam eorum omnium, quæ non dico ante centum millia, sed quæ ante septem millia annorum fuerunt. Meritò Lucretius lib: 5. sui Pöematis, in multis licèt mendax, in hoc tamen, à vero non deflexit, cùm cecinit:

Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, semperq; æterna fuêre,
Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ

Non alias alii quoq; res cecinêre Pöëtæ?
Quo tot facta virûm toties cecinere? nec usquam
Æternis famæ monimentis insita florent?
Verùm, ut opinor, habet novitatem summa recensq;
Natura est Mundi, neq; pridem exordia cæpit.

Accedit. Si Mundus fuit ab æterno, cur Artes, & præclara inventa, etiam antea ab omni æternitate, aut saltem ante aliquot milliones annorum, non exstiterunt? Constat enim, qui & qua ætate floruerint Artium Inventores, ut legere est apud Plinium, Polidorum, & alios. Constat, quòd Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, Joannes Guthembergius, ab aliis Faustus, seu Faustius, dictus, natione Germanus, primus omnium, Moguntiæ artem facilem (quæ incomparabiliter antecellit Sinensium & Japonum Typographiam: illi enim libros suos imprimunt, non secùs ac apud nos imagines imprimi solent) literarum imprimendarum excogitavit, primumq; ibi exerceri cæpit. Pixidem nauticam, seu artem Magneticam invenit ac excogitavit circa Annum 1300, quidam Joannes Goia, oppidi Melphitani in Regno Neapolitano civis, ab aliis vocari solet Flavius à Gloria: quanquam alii, Paulum Venetum istius artem, quam à Sinensibus ipse didicerat, anno ferè 1260, in Italiam traduxisse volunt. Primum horologium solare, quod in Historiis sive sacris, sive profanis legimus, est horologium jussu Achaz Patris Ezechiæ constructum, ducentis ferè annis ante Anaximenem Philosophum, quem erroneè asserit Plinius lib. 2. cap. 76, horologii solaris inventorem. Horologium rotatile inventum à Germanis anno 1530. Quamquam alii, inventionem hujus tribuunt Gerberto, Archiepiscopo Ravennensi, qui postea, anno 999, electus in Romanum Pontificem, dictus est Silvester II. Anno 1378 Bertholdus Schuarc, alii vocant, Suuartus, Monachus Friburgensis, invenit pulverem nitrium, & sclopum. Gabricius Thuiscorum septimus Rex, anno ab Orbe condito 3413, docuit primus decoquere cerevisiam: teste Rodegino lib: 6. cap: 8. Tubum opticum invenit anno 1609. Batavus quidam Joannes Lippersein, Zelandus &c: siccine artes ac insignia enumerata inventa & similia, per annos retroactos infinitos latere omnes omnino poterant?

Inventores qui & quando, Typographiæ? Pixidis nauticæ; Horologÿ solaris, & rotatilis? Pulveris nitrÿ, Tubi optici?

Neque dicas cum æternitatis Assertoribus, hominum monumen-

menta, artes, memoriam, unà cum hominibus certis quibusdam cæli converſionibus, per diluvia, vel incendia, multoties, imò infinities interiiſſe. Contra enim eſt. Unde noſti interiiſſe hæc vel ſemel omnia, cùm nec legeris, nec videris ea monumenta, vel eorum poſteros nec ullam afferas hujus rationem evictivam? Meritò Orbis Chriſtianus cum Sancto Auguſtino in Pſalmum 63. ridet Judæos, qui dormientes teſtes adibere volebant, ut negarent, CHriſtum reſurrexiſſe. Dicite, (inquiunt Judæi cuſtodibus ſepulchri) venerunt Diſcipuli ejus nocte, & furati ſunt illum, nobis dormientibus. Matthæi 28. Si enim Cuſtodes dormierunt, quomodo ſcire potuerant, Diſcipulos veniſſe, amoviſſe lapidem obſignatum, & abſtuliſſe corpus? Et quomodo furtum viderunt dormientes? ut rectè quærit Sanctus Remigius. Sic & in præſenti, multò magìs ridendus es tu Athee. Si enim perierunt monumenta omnia & Hiſtoriæ cum hominibus, quomodo teſtari potes, illa, cum hominibus periiſſe, aut certa traditione te hæc accepiſſe? Quomodo ut Philoſophus aſſerere audes, multoties, imò infinities interiiſſe cuncta illa, quæ vel ſemel interiiſſe, ſi aſſereres, imprudenter ageres, utpote nulli innixus fundamento. Item Si omnes omnino homines interierunt, & animalia, unde ergo poſtea prodierunt novi homines, & animalia perfecta? Si non omnes? cur ergo nulla memoria? Si dicas: Ignorantiam hanc uuiverſalem inductam eſſe ex ipſa Natura hominum, ob invectas ab iis Religionis ac linguarum mutationes: ut ſuſpicatur Machiavellus lib: 2. de Repub: cap. 5. Contra eſt, Quid ad rerum omnium antiquarum memoriam penitus abolendam conducit, Religionis ac linguarum mutatio? Quo item fundamento ſuſpicatùr ille Pſeudo-politicorum & Atheorum Magiſter, omnis omnino Religionis, linguarumq; omniumq; immutationem ubiq; factam? Ignarum fuiſſe Hiſtoriarum Machiavellum, clarè convincit noſter P. Carolus Grobendonq; lib: 10. de Ortu & progreſſu Spiritus politici, numero 33.

4ta Ratio eſt Patris Cabæi lib: 1. Meteor. textu 72. Defactò (inquit) videmus montes imminui, & valles ſemper profundiores fieri, dum magìs excavantur aquìs pluvialibus, & latiores, dum montiũ latera exeduntur & productiores intra montes, dum terra paulatim ruit, aquis decurrentibus: hoc ipſum obſervari poteſt à quolibet, qui montes vi- *Patris Cabæi ratio contra æternitatẽ Mundi,*

proponitur, & defenditur.

videat, & torrentes despiciat ex montibus defluere: illa enim aqua turbida, quâ feruntur, non est turbida, nisi quia habet admixtam terram, illa terra admixta non pluit de cælo. Ergo sumitur ex montibus: si ergo montes perpetuò minuantur terrâ, non potest hæc imminutio facta esse ab æterno, alioqui montes, licèt fuissent infiniti numero, essent jam deleti, & ad planitiem redacti, non solùm, si singulis annis, ea terræ copia deflueret, quam videmus ex torrentibus detrahi: sed si singulis annis, vel arenula subtraheretur: Cùm igitur sit in Natura Principium, terram ex montibus ad planitiem detrahendi, & nullus appareat in ipsa Natura nec fingi possit modus, quô terra detracta revertatur, ad summitatem montium: evidens est ex naturæ principiis, nobis constare, terram non esse ab æternitate, in illo statu, in quo nunc est, cum illa rerum vicissitudine, nec potuisse esse ab æterno. Hoc Argumentum adeò videtur mihi evidens (ait Cabæus) ut qui oculos sibi non eruit, ne videat confutatum Aristotelem de Mundi æternitate, non possit contradicere.

Ad hanc Rationem Patris Cabæi, accedit 1mò, Quòd Pater Kircherus in Mundo subterraneo lib: 2. cap: 12. scribit, Palatini & Capitolini montium olim editas, arduasq; rupes, ita temporum injuriâ decrevisse aquarum vi, ut planitiem ferè æquare videantur. Item Job 14 dicitur: Alluvione paulatim terra consumitur.

Accedit 2do. Quia tempore Aristotelis, qui vixit ante Christum ferè trecentis annis, numerabantur terræ, milliarium Italicorum quinquaginta millia, seu stadiorum quadringenta millia: octo enim stadia faciunt unum milliare, ut ipsemet scribit Aristoteles, 2do de cælo, in fine. Hipparchus verò insignis Mathematicus, qui vixit ante natum Christum, circiter annis 125, solùm reperit milliaria 34600. Ptolomæus postea, qui obiit anno Christi 147, non plura milliaria reperit, quàm 22500. Alphraganus Arabs, nono sæculo Christiano, nonnisi 20400. Recentiores demum Mathematici, milliaria Italica 19080. Ita patet, quantum uno sæculo, aqua hominibus eripuerit terræ: adeoq; Mundum taliter dispositum, ab æterno esse non potuisse.

Ad solvenda ea, quæ contra Rationem à Patre Cabæo allatam, afferuntur. Notandum, quòd longo sæculorum decursu, vix potest ostendi, collem aliquem aut potiùs tumulum, factum ex terræ motu: nun-

nunquam autem ingentem aliquem montem factum novimus. Conspiciuntur item ingentes montes, illis in Regionibus, ubi nulli unquam notabiles motus terræ deprehensi: ut in Polonia, montes Carpatii, mons Calvus, &c: hominum industriâ erectos esse montes altissimos, frivolum est asserere. Cacumina etiam montium altissimorum, non lapidosa, sed ordinariè arenosa, vel terrea conspiciuntur. Concedendum. Quòd Mundus sic sibi relictus sub ea vicissitudine rerum, quam modò habet, solo communi & ordinario concursu, quô nunc à DEo conservatur, non possit in æternum durare: siquidem omnes montes tollerentur, & mare, totam superficiem terræ occuparet. Cùm Sanctus Thomas, Ima parte, quæst: 46. art: 2. dicit. Mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile aut scibile. Intelligendus est loqui vel de Rationibus illis, ex impossibilitate infiniti, inventione artium, & similibus, quibus ibidem adductis respondet Sanctus Doctor: vel solùm negare, esse demonstrabile, non potuisse per absolutam DEi potentiam, in ulla suppositione vera possibili, Mundum produci ab æterno: quod, stante in robore suo, Patris Cabæi Argumento, simpliciter concedi potest: DEus enim potuit absolutè producere Mundum sine ullis montibus: vel impedire, ne fuissent ab æterno pluviæ: vel abrasas partes montium, reponere in iisdem. Unde etiam prædictus Auctor dicit: Evidens est ex Naturæ principiis, terram non esse ab æternitate in illo statu, in quo nunc est, & cum ista rerum vicissitudine.

5ta Ratio, quâ dissuaderi potest æternitas Mundi, est hæc: Quia si Mundus fuisset æternus, & in generationibus hominum datus fuisset processus in infinitum à parte antè, sequitur infinitos, imò infinities infinitos debere nunc dari homines: quod tamen evidenter falsum est. Sequela verò probatur. Quia ex una parte, impossibile est concipere solummodò unum fuisse vel duos homines, à quo per infinitum tempus, homines descenderent. Nam cur unus fuit vel duo, à quibus omnis generatio cæpit ab æterno? cur non plures? cur non innumeri? imò cur non infiniti? Quis determinavit talem solùm, & non minorẽ, nec majorem numerum? supposito, quòd DEum neges, & Mundum ab æterno fuisse asseras cum generationibus hominum, animalium, &c. Et ex altera parte, Quò magis per descendentes ascenditur ad Antecessores, eò magis

magis minuitur Personarum numerus: ut patet in Judæorum progenie, in qua, ascendendo ad eorum Majores, pervenies tandem ad unum Abraham: descendendo autem ab Antecessoribus ad Successores, majorem semper numerum reperies. Certè non multò ampliùs quadringentis annis, numerositas Hebrææ Gentis tanta procreata est, ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto, sexcenta ferè millia peditum virorum fuerint, absq; parvulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile: omnesq; hi per unam Saram, ex uno Isaac ab Abrahamo descendebant: ex filio autem Agar Ismaële; nata est tota gens Ismaelitarum. Et Cornelius à Lapide in Caput 1mum Exodi ait: Naturaliter, septuaginta homines, si continuè generent, & hi alios, & illi alios semper, per ducentos quindecim annos, immensum producent filiorum numerum. Unde Diodorus Siculus scribit, Ninum, qui regnare cæpit ducentis quinquaginta annis à diluvio, contra Bactrianos eduxisse peditum decies septies centena millia, & equitum ducenta millia. Vide quantum ducentis quinquaginta annis, ex tribus tantùm Nöe filiis propagati sint homines. Toletus item in librum 8. Physic: Arist. cap: 2. qu. 2. solidè ac fusè probat, quòd plures homines nascantur, quàm moriantur; nec dici posse, tot homines mori, quot nascuntur. Ergo si infinitæ generationes præcesserunt, imò infinitæ ætates hominum, ac ex singulis ætatibus, saltem unus homo plùs, quàm antea superesset, tunc jam infiniti modò viverent homines. Quod si autem pertinaciter asseras, plures mori, quàm nasci, Infero. Ergo nullus fuit homo ab æterno: siquidem defactò modò sunt tantùm numero finiti homines: ut certum est. Probatur illatum. Quia supponamus, nunc hoc anno esse mille milliones hominum: ante hunc annum essent pauciores, saltem uno minùs, & ante duos annos, saltem duo minùs, ac sic perpetuò retrocedendo. Ergo tandem ante mille milliones annorum, nullus fuisset homo, multò magis ab æterno. Porro, insignis Mathematicus, Ricciolus lib: 12. Geographiæ, satis probabiliter, censet universam multitudinem hominum nunc habitantium super terram non excedere mille milliones.

6ta tandem (prætermissis aliis) Ratio desumi solet ex imminutione humanæ staturæ. Plinius enim lib: 7. Hist: Natur. cap: 16. ait: In plano autem cuncto Mortalium generi, minorem in dies fieri mensuram

furam propemodum obſervatur, raroq; Patribus proceriores, tanquam conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergat ævum. Et Juvenalis Satira 15. habet.

Terra malos homines nunc procreat, atq; puſillos: Auctor etiam libri 4ti Eſdræ (qui liber, teſte Cornelio à Lapide in Prologomenis in Prophetas Majores, meretur majorem auctoritatem, quàm aliorum Doctorum libri) ait ad Dominum cap: 5. [Loquar coram Te, ,nam mater noſtra, de qua dixiſti mihi, adhuc juvenis eſt, jam ſene- ,ctuti appropinquat. Et reſpondit ad me, & dixit: Interroga eam, quæ ,parit, & dicet tibi. Dices enim ei: quare quos peperiſti nunc, non ,ſunt ſimiles his, qui ante te, ſed minores ſtatura? Et dicet tibi & i- ,pſa: alii ſunt, qui in juventute virtutis nati ſunt, & alii, qui ſub tem- ,pore ſenectutis, deficiente matrice, ſunt nati. Conſidera ergo & tu, ,quoniam minori ſtaturâ eſtis præ his, qui ante vos, & qui poſt vos ,minori quàm vos, quaſi jam ſeneſcentes creaturæ & fortitudinem ju- ,ventutis prætereuntes.] Divus itidem Auguſtinus lib: 15. de Civit. cap: 9. & alibi, multis probat, imminutam fuiſſe hominum ætatem ac ſtaturam: quod ipſum videtur fateri & Averroës 2do de Generat: textu 85. Si hæc vera ſunt. Ergo ſi Mundus, hominesq; ab æterno fuiſſent, jam nunc ferè nullius, aut minimæ deberent eſſe quantitatis, licèt ſingulis millionibus annorum decreviſſent ſolùm latitudine unius capilli.

5ta Propoſitio.

Potuit abſolutè loquendo terraqueus globus major fuiſſe vel minor, quàm de facto nunc eſt: idem dic de globis Aſtrorum.

Globũ modernũ Terraqueum & ſiderales globos poſſibile fuerat, majores, vel minores fuiſſe.

PRobatur. Quia ex una parte, Sapientiſſimi quiq; aſſerunt, Propoſitionem hanc eſſe veram; ex altera verò parte, Nulla ſolida vera implicantia (quæ enim illa?) allata eſt ab ullo, nec affertur, cur terraqueus globus, & globi Aſtrorum, non potuerint abſolutè fuiſſe majores, vel minores. Ariſtoteles quidem, 1mo de Cælo, cap: 8. multis probare intendit, DEum non poſſe plures Mundos condere: ſed explicari congruè poteſt, eum loqui tantùm de Potentia DEI ordinaria, & ſecundùm conſuetum rerum curſum, ſic enim plures Mundi eſſe nequeunt: ut benè advertunt Conimbricenſes in fine 8. libri Phyſic.

Con-

Confirmatur & illustratur Propositio. Circumferentia maximi terraquei globi, juxta communem sententiam Mathematicorum, est milliarium germanicorum quinq; millium, quadringentorum. Cur ergo non potuit esse milliarium sex millium, vel solùm quatuor millium, vel quinq; millium quadringentorum & unius? Aquæ etiam Elementum multò defacto minùs est, quàm Elementum terræ: ut demonstrant Geographi. Et certè, cur non potuit esse aquæ Elementum æquale, vel longè majus Elementô terræ? Nulla alia horum causa assignari potest,. nisi recurrendo ad Agens increatum, ejusq; beneplacitum.

Objectio in contra solvitur.

Neq; valet, si dicat Atheus. Impossibilem esse majorem vel minorem terraqueum globum (idemq; diceret de globis siderum) idq; ex eo, quia alius globus terraqueus, vel esset producibilis ab aliqua causa, eaq; vel necessariâ, vel liberâ. Non necessariâ: quia sic deberet existere. Non liberâ: quia hæc non est assignabilis; nisi fortè dicatur esse DEus, quem ego dari nego. Non valet inquam. Nam contra est clarè. Quæro enim ex Atheo. Terraqueus modernus existens globus: item globi Astrorum, qui defactò dantur: Suntne producti ab aliqua causa distincta, à se: vel non? Si sunt. Ergo jam concedis Athee dari Deum. Causam enim illam, quæ produxit globum terraqueum, & globos Astrorum, vocamus Deum, dicimusq; cum Magistro sententiarum in 1. Sentent. Distin: 3. Accedat quæcunq; vis Creatura & faciat tale Cælum, (addo, talem terraqueum globum, talem Solem & Astra, tantæ magnitudinis elevationisq; à terra, faciatq; ea tā celeriter moveri, ut defactò moventur moderna Astra) & dicam, quia Deus est. Vide dicta, infra Cap: 7. in hoc Tractatu. Si autem moderni globi Astrorum & terraqueus, non sunt producti nec producibiles ab aliqua causa. Infero. Ergo si illi, non tantùm ad sui possibilitatem, sed ad existentiam suam actualem, non requisiverunt essentialiter causam, quæ illos produxit: multò minus ad possibilitatem adstruendam alterius globi terraquei vel sideralis non requiritur, ut adstruatur causa illorum à qua produci possint. Neq; dicere potest Atheus, globum terraqueū, & siderales globos, esse à se ipsis productos: vel esse à se ipsis negativè Contra enim est. Quia evidens est, quòd nihil se possit producere saltem quòad primò esse, evidens inquam, tum

tum per se: tum ob rationes datas infrà Cap: 7. sub Propositione 1ma. Clarum item est, quod est à se negativè; seu sibi, se solo sufficiens; sit Ens perfectissimum in omni genere: ut deductum est suprà in hoc Tractatu cap: 1. sub Propositione 5ta. Globi verò nominati, quòd non sint Entia in omni genere perfectissima, est extra omne dubium prudens.

6ta Propositio.

Absolutè potuit & potest dari alius terræ globus, ejusdem speciei vel diversæ cum nostrate: itera plura sidera, nec non plures Soles, Lunæ, item plures Cæli, quàm defactò sunt.

Possibiles sunt plures globi terraquei & siderales.

PRobatur. Cur enim non potuerunt, aut non possunt esse absolutè plures globi terræ, sicut sunt plures globi siderum? Unde de hoc, quòd præsens globus terræ sit essentialiter exclusivus alterius globi terræ, sibi similis? Imò in sententia communi; universaliter implicat Creatura saltem materialis essentialiter individua: seu, cui sit essentiale, non habere, nec posse habere sibi simile aliud individuum. Quænam, quæso, alius terræ globns habet prædicata intrinseca essentialiter secum pugnantia? Idem proportionatè quærendum de aliis cælis & sideribus extra hæc, quæ defactò dantur. Quæ item repugnantia, ut non possint absolutè dari aliqui globi ex sola arena: alii ex solo limo conflati, magnitudine æquales, vel etiam majores nostrô globô terraqueô? Accedit. quòd Democritus, Epicurus, aliiq; quidam Veteres, docuerint dari defactò innumerabiles Mundos & Cælos: id tamen cùm sine ullo solido fundamento assertum sit ab illis Veteribus, ideo ab omni specie veri alienum est, licèt defactò veritati consonum sit, esse possibiles: ideoq; meritò anno 1706 in Societate Nostra, prohibita est doceri vel defendi Propositio hæc: Mundus existere non potest, nisi unicus. Nota, à Patre Tannero, aliisque quibusdam Theologis doceri non improbabiliter: plures Soles in fine Mundi post judicium extremum, producendos esse.

7ma Propositio.

Possunt dari novæ species Entium perfectiores existentibûs speciebûs & imperfectiores.

Nec non perfectiores Entium speci-

es, defacto existentibus.

PRobatur & illustratur. Supponamus, veram esse quorundam Veterum Philosophorum opinionem, asserentium, parem in unoquoq; Elemento specierum numerum esse, quotq; sunt in aqua, totidem esse in Terra & aëre: esse autem piscium genera trecenta: avium itidem genera trecenta: terrestriumq; totidem. Vel supponamus, veram esse opinionem, in Timæo Platonis, qui docet, in tota Universitate decies mille trecentas sexaginta octo species contineri. Supponamus item, quòd leo, sit suprema species defactò existentium terrestrium brutorum: & aquila volatilium: & Cetus, vel Delphinus aquatilium: & Basiliscus, vel Bòá serpentùm. Tamen nulla est absolutè repugnantia, ne umbra quidem, quò minùs producantur, vel produci possint species novæ animantium, non contentæ intra seriem specierum enumeratarum, perfectiores defactò existentibus: & quò minùs brutum aliquod terrestre possit produci longè perfectiùs leone: & volatile, perfectiùs Aquilâ: & aquatile, perfectiùs Cetô: & reptile, perfectiùs Basiliscô. Ergo vera est Propositio nostra 7ma. Accedit. Quòd species sunt sicut numeri: ut dicit Aristoteles. Non tantùm quò ad habitudinem ad unum primum Principium; sicut enim omnes numeri pendent ab Unitate, sic & species omnes ab uno Principio; non tantùm etiam ideo, quia sicut numerus superior continet inferiorem, & aliquid ei addit; ita & species perfectior continet eminenter inferiorem, & aliquid adhuc plus: ut patet Inductione: sed etiam ideo Species sunt sicut numeri: quòd sicut numeri possunt esse majores semper, & majores sinè fine: sic Species possunt esse perfectiores semper ac perfectiores etiam his, quæ defactò existunt Speciebus. Illustratur. Non datur, imò in Sententia Nostræ Societatis, & communi, implicat numerus maximus finitus, quô major esse non possit. Ergo & implicant Species Entium existentium ita perfectæ, ut perfectiores iis saltem defactò existentibùs dari non possint.

Quot sunt genera piscium, avium, & animantium terrestriũ?

8va Propositio.

Entia completa spiritualia sunt possibilia.

Possunt dari Entia spiritualia, completa, intellectiva, simplicia in natura, quales defactò censentur esse Angeli.

PRobatur & illustratur. Quia dantur Substantiæ completæ purè materiales, ut Leo, planta, lapis: item dantur Substantiæ incompletæ,

pletæ, intellectivæ spirituales, ut Animæ hominum. Ergo saltem possibile etiam est dari Substantias spirituales completas intellectivas. Accedit. Substantia corporalis diffusa est in Species ferè innumeras: Ergo Substantia spiritualis creata poterit etiam saltem diffundi in diversas species. Si dicat Atheus, implicare produci Angelos, cùm non sit causa productiva illorum, nempe DEus. Tunc responde juxta dicta ad Objectionem sub 5ta Propositione.

9na Propositio.

Si potest interire Species, seu collectio leporum, canum, luporum, boum, leonum, aquilarum, hominum, rectè indè infertur dari Deum.

Ex possibilitate interitûs animantiũ perfectorum, benè infertur Existentia Dei.

PRobatur. Si absolutè loquendo, possunt interire prædictæ Species: Supponamus interituram hoc anno Speciem, seu collectionem totam leonum, vel hominum. Jam quæro: Potueruntne de novo post decennium, produci ex nihilo sui, aliqui homines, vel leones, similes prioribus, qui supponuntur perituri hoc anno: vel non poterunt? Si non? Quomodo ergo poterant ab æterno produci, vel exsilire ex nihilo sui, ut tu Athee blateras, si nunc non poterint? Utiq; non sunt hæc Entia essentialiter successiva, affixa nonnisi huic vel illi durationi? Si poterunt? Quæro, à quonam produceretur homo, vel leo? Non à sui similibus? supponuntur enim hæc omnia interitura hoc annò. Non ab Ideis? sub concavo lunæ existentibus, utpote commentitiis: de quibus probabiliùs, nec Plato somniavit. Non ab Angelis? Tum quia hos negat Atheus: Tum quia Angeli non habent vim creandi Animam rationalem (quod enim fundamentum hujus potentiæ?) nec possunt producere leonem, nisi applicando virtutes seminales passivis: quidquid interim sit, utrum Intelligentiæ, seu Angeli motores cæli & Astrorum, possint immediatè producere animalia imperfecta; ut vult Themistius, Avicenna & Alpharabius. Non etiam producerentur ab Astris, cælô, terrâ, vel insensitivis inanimatis Entibus: quia licèt Corpus cæleste, (puta Astra, & Cælum) tanquam instrumentum Motricis Intelligentiæ, ex virtute sui Motoris, imperfecta animantia caussare possit: ut probabiliter censet Divus Thomas ımâ parte, quæstione

one 70. art: 3tio. ad 3tium: fueritq; à sua origine statim productum à DEO, velut semen, id est, conspersum quasi virtute seminariâ productivâ imperfectorum animantium; ut vult Durandus & Conimbricenses: tamen animalia perfecta, ut bos, canis, leo, multò magis homo, animalibus cunctis perfectis longè perfectior, juxta omnem rectam Philosophiam non aliter producuntur, nec positis qualibuscunq; cælorum revolutionibus per tot millia annorum unquam observatum est aliter produci naturaliter, nisi per generationem formæ substantialis, aut saltem unionis ex materia vitaliter elaborata, & per naturalem calorem, aliasq; virtutes Animæ ad illud munus destinatas dispositâ intra generantem ejusdem Speciei substantialis. Nonne mulieres (ut rectè 3tio Esdræ cap: 4, ait Zarobabel) genuerunt Regem & omnem populum, qui dominatur mari & terræ? Vidistine unquam Athee, naturæ legum ignare, ac in genus humanum contumeliose, hominem produci, ut muscam vel ranam? id est sinè patre vel matre; idem dic de bove, leone, &c: vel audistine ab oculato aliquo teste, fide digno, naturaliter id unquam factum esse vel fieri? Certè non. Nec semen animantium perfectorum, naturaliter fieri potest, nisi ab animali decisum: nec ad fætum formandum perduci potest, nisi in utero alicujus animalis generantis: ut ab immemorabili, clara & quotidiana experientia etiam id demonstrat. Hinc bene dicit Sanctus Thomas 1mâ parte, qu. 45. art. 8. ad 3tium: *Ad generationem animalium perfectorum, requiritur Agens proprium, quod est generans univocum.* Et 1. par. q. 91. art. 2. ad 2dum ait: *Animalia perfecta, quæ generantur ex semine, non possunt generari per solam virtutem cælestis corporis, ut Avicenna fingit* (asserens etiam hominem ex terra, vi Astrorum posse naturaliter produci) *licèt ad eorum generationem naturalem coöperetur virtus cælestis corporis, prout Philosophus dicit.* Similia habet Divus Bonaventura, & Subtilis Scotus in 2dum Distinct: 8. quæstione 1.

Animantia à quo nam causantur?

Accedit. Quomodo astra, cælum, terra, inanimata non sensitiva entia, multò minùs intellectiva, vel libera, causare adæquatè & principaliter poterunt effectum longè se perfectiorem, nempe Animalia perfecta, bovem, leonem, imò etiam intellectivum & liberum hominem? Cùm nemo det, quod non habet. Addo. Infans, dum primò nascitur, indiget summè alimentô, & quidem sibi proportionatô conveni-

venienti, Parentum ope ac subsidiô, defensione ab injuriis cæli. Quis igitur infanti, ab astris, ut dicis, producto, provideret commodum alimentum, quis à cæli injuriis defenderet? Ergo restat, ut in dato nostro casu, produceretur leo, homo, saltem principaliter ab aliquo Ente, enumeratis perfectiore; & hoc non est aliud, nisi Deus.

Neq; dicas. Musca, rana, & alia animalia imperfecta ex putri generantur naturaliter, sine ulla sui causa univoca. Ergo & bos, leo, ac homo, sic saltem generari poterunt naturaliter. Pulchrum enim sanè Argumentum, simile huic: Muscæ, ranæ, ordinariè ex putri generantur, suntq; bruta. Ergo & Athei, ordinariè ex putredine nascuntur, suntq; bruta. Valetne Argumentum ô Athee à Minori ad Majus viâ affirmativâ? Deinde. Quid si tibi Athee, cùm sat bonæ notæ Philosophis, negem Antecedens; veritatem illius quomodo evinces? Censeo enim esse multùm probabilem Sententiam eorum, qui docent: Animalia, quæ dicuntur fieri ex putri, defactò generari ex semine, ac spiritibus, à certo quopiam animali exspiratis, äeriq, propter tenuitatem, commixtis, qui delati in materiam aptam, in eam agunt virtute seminali, quam continent, & animal gignunt: sicq; illius animalis geniti causa, erit illud animal univocum, à quo semen illud ac spiritus exhalârunt. Convince erroris hanc sententiam? Ingeniosè olim, Exercitationum lib. 15, Scaliger, Cardano idem ex parte cum Atheis blateranti, illusit, dicendo. [Apud Æsopum Fabulatorem, muliercula commodiùs hôc tuô commentô texisset adulterium. quæ è nive puellum natum, Marito, unde esset quærenti, prædicabat: dixisset è Cardani limo natus est (aut honestiùs, per nudum elementorum & astrorum concursum conceptus ac formatus) non ausus esset ille tibi in hac excusatione contradicere, neq; puerum vendidisset.]

Confirmatur supra dicta 9na Propositio. Si potest interire collectio illa multiplex. Ergo non est sufficiens sibi, se solâ ad existendum: Vel enim ideo periret, quia non posset se ipsam perpetuò conservare; vel quia nollet. Si unum. Ergo non est sibi, se solâ sufficiens ad existere: minus enim est se conservare, quàm sibi esse sufficiens ad primò existere: proinde extra illam collectionem multiplicem debet dari Ens aliquod, dans illi collectioni sufficientiam: & hoc est

DEus. Si 2dum. Ergo illa Species esset stultissima, sibiq; invida; nollet enim suum bonum, quod universaliter Enti repugnat.

CAPUT V.
De insufficientia Entium causatorum ad existendum.

Prima Propositio.

Sine sufficientia ad existendũ, nihil potest existere.

Implicat, ut aliquid existat actu, non datâ illi sufficientiâ ad existere actu.

EST evidens ex ipsis terminis: sicut evidens est implicare, ut aliquis videat, audiat, ambulet, non habitâ sufficientiâ ad videndum, audiendum, ambulandum: ita etiam ut aliquid existat sinè sufficientia ad existendum, vel intrinsecâ, qualis convenit Deo: vel extrinsecâ effectivâ, qualis convenit creaturis: & aliàs daretur actus 2dus sinè actu 1mo. Hinc clarè infertur Propositio etiã hæc: Ens T. v. g. quod est omnino insufficiens sibi ad esse actu, seu ad actu existere in rerũ natura, illud ut sit actu, debet habere aliud Ens. v. g. S. sufficiens ad dandum illi Enti T. esse actu: quod si Ens S. pariter sit sibi insufficiens, debet habere tertium Ens: v. g. R. sufficiens ad dandum esse illi ipsi S; quod tertium v. g. R. si pariter sit insufficiens sibi ipsi ad esse actu, debet habere quartum Ens. v. g. Q. sufficiens dare esse Enti R; & sic consequenter. Ratio hujus patet; Tum ex Propositione 1ma. tum quia aliàs nulla esset necessitas causarum efficientium, quas tamen dari, evidens est.

Ex singulorum Entium insufficientia ad existendum, rectè infertur ad existendũ insufficien

2da Propositio.

Si singula Entia, numero finita, sunt insufficientia sibi ad existere actu, etiam tota collectio, constans ex illis solis finitis Entibus, est insufficiens sibi ad existere actu.

PRopositionem hanc nec ipsi Athei audent negare, ejusq; evidens veritas constat. Tum ex Probatione Propositionis 3tiæ, quæ sequitur. Tum quia evidens est, fieri non posse, ut v. g. entia quatuor ; Pater, Filius, Nepos, Pronepos, quorum singuli sunt insufficientes sibi ad existe-

existere, collectio tamen ex his solùm quatuor entibus conflata, non sit insufficiens sibi ad existere.

tia totius collectionis, sive hæc sit finita, sive etiam infinita.

3tia Propositio.

Si singula entia etiam numero infinita, sunt insufficientia sibi ad existere, tunc & collectio ex illis infinitis entibus constans, est insufficiens sibi ad existere: ac proinde nullâ ratione existere potest, nisi extra illam collectionem detur aliquod Ens, quod sibi ipsi sufficiat ad esse, & illi collectioni.

PRopositionem hanc negant Athei, sed Veritas ipsius multipliciter declaratur. *1mò.* In aquæductibus quantumcunq; multiplicatis, & rivulis, seu ab æterno, seu in tempore decurrentibus, debet deveniri ad fontem, ex quo traducantur aquæ: aliàs aquæductus, & rivuli continuò decurrentes, nulli esse possunt. *2dò.* In serie, sivè finita, sive infinita annulorum catenæ alicujus ab alto in äere pendentis, debet dari aliquid extra seriem illorum annulorum, à nullo pendens, à quo annulorum series sustentetur: cùm nullus annulus sufficiens sit se ipsum sustentare *3tiò.* In superimpositione gravium: si enim unum grave, v. g. lapis molaris incumbit alteri lapidi, & hic alii & iterum hic alii, etiam in infinitum, nullo per se posito fixo & consistente, tantò minùs tota series sive universitas omnium aliorum lapidum, aliis incumbentium erit firma in loco, & consistens, quò plura sunt ejusmodi entia gravia. Et universaliùs loquendo. Evidens est ex terminis; In causis materialibus seu subjectivis, progressionem non posse dari ita, ut hæc in alia subjectetur, & hæc in alia, & sic ulterius, quin detur aliqua, quæ sit cæterarum, primum subjectum. *4tò.* Illustratur idem in candelis in infinitum etiam multiplicatis, quarum singulæ singulas accendant, profectò debebit dari extra collectionem illarum Ens sufficiens ad illas accendendas.

Propositio eadem, secundò probatur multipliciter. *1mò.* Evidens est implicare, ut in aliqua collectione sive finita, sive infinita, singulæ partes sint materiales; & collectio sit immaterialis, Partes singulæ, accidentia, & totum substantia; singulæ partes, non Entia, & totum sit Ens: singulæ partes contingentes, & collectio necessaria. Singuli boves sint non intellectivi, tota tamen collectio boum, sit intellecti-

va, &c. Ergo etiam evidens est, implicare, ut singula Entia sint sibi insufficientia ad existere, collectio tamen non sit insufficiens, sed sit sufficiens ad existere. Et Ratio ulterior horum est. Tum quia cùm totum per aggregationem, seu collectio quæcunq; non sit nisi partes, repugnat esse perfectionem absolutam, præsertim simpliciter simplicem (qualis etiam est, esse Ens, sufficiens sibi ad esse, esse immateriale, esse substantiam, esse quid necessarium, esse intellectivum) in collectione, quæ non sit antecedenter in partibus, saltem ex parte, seu aliquomodo inchoativè. Tum quia imperfectio, quæ per additionem non minuitur, non potest tolli per additionem etiam infinitam ejusdem rationis; infinitas enim additorum, non mutat, sed solam eorum multitudinem auget. Ut probat omnis Inductio. Hic autem additio alterius Entis insufficientis, non minuit intrinsecam insufficientiam Entis A. ut patet. Ergo licèt addantur infinita entia insufficientia, non tollent simpliciter insufficientiam Entis A. 2dò. Probatur à Patre Caregno, insigni Theologo Romano. Tota collectio Entium causatorum est causata, & dependens ab alio, adæquatè distincto: Ergo & tota collectio, verbi gratiâ, hominum insufficientium sibi ad esse, est insufficiens sibi ad esse, debetq; extra illam dari Ens sufficiens sibi ad esse, & illi collectioni. Consequentia est evidens. Antecedens probatur. Ideo quodlibet Ens causatum, quod includitur in collectione omnium causatorum, est dependens, & causatum ab alio adæquatè distincto, quia est quid realiter causatum: ut patet. Implicat enim actio reflexa sui, sive adæquata, sive inadæquata, quò ad primum esse: sic enim ex nihilo causæ, causaretur realis effectus. Sed collectio omnium causatorum est quid realiter causatum. Ergo ipsa est dependens & causata ab aliquo distincto adæquatè. Minor etiam patet. Nam illa collectio, oppositô se modô habet, quando omnis pars illius realiter causatur, ac se haberet, si nulla pars illius realiter causaretur: Sed si nulla pars illius realiter causaretur, ipsa non esset causata realiter. Ergo quando omnis pars illius causatur, ipsa non est non causata realiter, atq; sic est causata realiter. 3tiò probari solet sic. Bona est Argumentatio hæc: Singuli sunt cœci. Ergo tota collectio est cœca. Pariter bona Argumentatio debebit esse ista: Singuli sunt insufficientes ad esse. Ergo tota collectio est insufficiens sibi ad esse.

Neq; dicas Disparitatem esse. Quia sicut singuli cæci, non dant sibi ipsis visum, ita nec unus alteri, sicq; omnes manent coeci. Jam autē licèt non sufficiant singuli se solis sibi ad esse, tamen unus dat alteri esse: scilicet Filio Pater, huic Avus, huic Abavus, & sic ulterius: ideo dici potest, quòd tota collectio, seu illi omnes, sufficiant sibi ad esse. Sed contra est 1mò. Quia Paritas stat in hoc, in quo urgetur. Nempe, sicut illi singuli coeci sunt ideo omnes coeci, quia nullus est inter illos, non cæcus: Ita illi singuli v. gr. homines insufficientes sibi ad esse, sunt omnes insufficientes sibi ad esse, quia nullus est sufficiens sibi ad esse: & sicut non tollitur prædicatum cœci, per additionem unius ad alium, ita hic non tollitur prædicatum insufficientis. Contra 2dò. Ponamus, quòd nemo coecorum illorum possit sibi dare visum, sed illum coecus A. possit non nisi accipiendo à cœco habere, qui prius visum accepit ab alio, & sic ulterius; ita planè, sicut Filius accipit esse à Patre, Pater ab Avo: tunc sic. Illi coeci omnes erunt cœci, si singuli sunt coeci, & nullum sit ad extra Ens, quod tollat insufficientiam ad videndum alicujus coeci, ut is postea illam tollat in alio, & hic in alio, & sic consequenter. Ergo etiam illi insufficientes sibi ad esse, quod esse non nisi ab alio habere possunt, omnes erunt non habentes esse. Si autem habent, aut habuerunt, debebat dari tale Ens, quod non indigebat alio ad suum esse, seu quod sit sufficiens sibi ad esse se solo.

Propositionem 3tiam nostram, quidam probare solent taliter. *1mò*. Evidens est, quòd collectio trium Entium, quorum singula sufficiunt ad dandum esse alteri per successivam propagationem, sibi verò non sufficiant ad esse actu, non sit plenè sufficiens dare esse toti huic trium collectioni. Ergo pariter evidens est, idem dicendum esse de collectione Entium infinitorum. *2dò*. Quia aliàs non posset convinci erroris ille, qui (suppositâ communi Sententiâ Peripateticorum, dari in quolibet continuo infinitas partes) assereret, nullam dari causam extrinsecam productivam alicujus continui, v. g. palmaris ligni: sed unam partem palmi, produci ab alia, & hanc ab alia sine fine, quin veniatur ad primam improductam Allatæ Propositiones duæ non adeò mihi probantur. Primæ enim Probationi negari posset Consequentia, adferriq; Disparitas hæc. Quia videlicet aliunde colligitur, illam

trium Entium collectionem eſſe inſufficientem ſibi ad eſſe: nempe ex eo, quia ſupponitur tota illa collectio exſtitiſſe in tempore finito: ab æterno enim exſtitiſſe tantùm tria ejuſmodi entia impoſſibile eſt: ſiquidem in ſucceſſivis ab æterno exiſtentibus Entibus, implicat dari initium, ſeu primò primum ſucceſſivum. Ergo ſupponi etiam debet nihil fuiſſe aliquando in rerum natura de illa collectione Ergo extracta eſt ab aliquo principio à non eſſe ad eſſe: proinde ſibi non ſufficiens. Eadem ſolutio applicari poſſet 2dæ Probationi. Palmare enim illud lignum, etiam ſecundùm nullam ſui partem, quà hoc lignum eſt, fuit ab æterno: collectio verò Entium infinitorum per ſucceſſivam propagationem à parte ante, ſupponitur juxta Atheos, fuiſſe ab æterno.

Demùm Propoſitio noſtra 3tia declaratur & illuſtratur ſat convictivis exemplis his. *1mò.* Exemplô famelici. Veniat famelicus Paulus cum integro pane ad Petrum in carcere fame laborantem, nec ſaturandum niſi integro pane: tunc illo pane ſatiabitur Petrus, ſed non Paulus: veniat iterum famelicus Andreas cum pane, ſatiet Paulum, non ſatiabit ſe ipſum, & ſic ſine fine nunquam erit ſatiata tota collectio, ſed ſaltem unus erit famelicus. *2dò.* Exemplô nudi. Sit Petrus in ſpatio in infinitum diffuſo, nudus; veniat ad eum Paulus habens ſolùm unicam veſtem, qui, ſi hâc contegat Petrum, ipſe Paulus nudus manebit: veniat pòſt Andreas, itidem unicam ſolùm habens veſtem, qui ſi hâc contegat Paulum, ipſe Andreas, nudus manebit: adveniant alii & alii ſucceſſivè plures & plures, aſt quilibet cum veſte unica: imò producantur infiniti, ſed ſinguli cum veſte unica, addanturq; Petro & Paulo jam tectis, verùm Andreâ nondum tectô: tunc tota illa collectio nunquam manebit tecta, quia ſaltem unicus nudus reſtabit: & niſi aliquis ad illam collectionem etiam infinitam adveniat cum duabus veſtibus, unâ, pro ſe, alterâ pro alio, nunquam contegetur tota illa collectio; verùm erit ſaltem unus nudus. Pariter licèt per Paulum tolleretur inſufficientia ad eſſe actu in Petro, qui naſcitur, & in Paulo per Andream, & ſic de cæteris; non tolletur tamen plenè inſufficientia ad eſſe in collectione quamvis infinita hominum, niſi ſit aliquod Ens tale, quod & ſibi, ac omnibus illis aliis (ſivè immediatè, ſive mediatè) ſufficiat ad eſſe, aut ſaltem uni ex illis, à quo cæteri per ſeriem

pro-

producantur, accipiantq; effectivè sufficientiam suam.

4ta Propositio.

Singuli homines (idem dic de brutis, plantis. Elementa etiam, corporaq; cœlestia non esse sufficientia sibi ad esse sat fusè probabitur infrà Cap: 7. 8. 9. 10.) *sunt insufficientes sibi, se solis ad esse actu.*

Certum est, singulos homines esse insufficientes sibi ad existendū.

VEritas hujus Propositionis patet. Tum quia homo, animalia & plantæ, cùm egeant tanta congerie requisitorum, ut generentur ac conserventur, facileq; intereunt; quis illa, se solis ad existendum sufficientia esse credat? Tum quia singuli homines (idem dic de animalibus perfectis) necessariò indigent Patre & Matre, idq; non sterilibus ad productionem sui. Et certè si tu Athee esses tibi sufficiens ad esse, meritò irasci deberes Parentibus, quòd tibi ademerint tam specialem gloriam, nempe, quòd cùm potueris esse, Ens à te, Parentes fecerint, ne esses: tenerenturq; Parentes, te magis amare, ac revereri, quàm tu illos; quia cùm potueris esse à te, & non ab illis, eis hanc gloriam tribuisti, quòd sis ab illis. Tum quia, si tu Athee fuisti tibi sufficiens ad esse, cur te non conservasti vel conservas per longum aliquod tempus; v. g. per annum, sine ullo alimento, aut cum alimento per aliquot centena annorum? utiq; longè facilius est conservare aliquid, quàm de nihilo producere, seu facere ut, ex nihilo prosiliat? Cur Potentissimi Principes moribundi, etsi maximè vellent, nequeunt vitam retinere, ac conservare animam in corpore pro libitu suo?

Accedit. Evidens est, quòd homo sit insufficiens sibi, se solo, ad dandum esse visioni oculari suæ, vel cognitioni de aliquo Objecto; cujus nullam speciem habet, & habuit: est item insufficiens ad amorem alicujus objecti, cujus nullam cognitionem apprehensionemq; habuit. Et quâ ratione, homo dici poterit esse sufficiens sibi, se solo, ad esse substantiale suum, quod longè majus est?

5ta Propoſitio.

Tota collectio hominum eſt inſufficiens ſibi ad exiſtendum.

Tota collectio hominum, quorum ſinguli, ut probatum eſt, ſunt inſufficientes ſibi ad eſſe actu (idem pariter dic de collectione brutorum, plantarum, &c:) *etiam gratis admiſſo, quòd ſit infinita, eſt inſufficiens, ſeu non eſt ſufficiens ſibi ad eſſe actu.*

PRopoſitionis hujus veritas ſufficienter conſtat ex probata ſuprà Propoſitione 3tia. Et inſuper probatur ex dictis alibi, nempe. Tum quia Ens ſufficiens ſibi ad eſſe, eſt in omni genere perfectiſſimum. Ut conſtat ex Propoſitione 5ta, Capitis 1mi ſuprà. Sed nulla collectio hominum, multò minùs brutorum, plantarum, eſt Ens in omni genere perfectiſſimum: ut patet. Ergo &c: Tum quia Ens incipiens exiſtere, vel ſaltem potens aliquando non exiſtere; ſeu Ens contingens in exiſtendo: item Ens potens abſolutè interire, non eſt ſibi ſufficiens ad eſſe. Ut demonſtratum eſt ſuperiùs Capite 1. ſub Propoſitione tertia & quinta. Sed collectio hominum, incepit exiſtere in tempore, vel ſaltem potuit aliquando non exiſtere: eſt item potens interire: Ut oſtenſum eſt ſuprà, Capite 4. ſub Propoſitione 3. & 4ta: & infrà in Tractatu 3. in Argumento 13tio. Ergo eſt inſufficiens, ſeu non ſufficiens ſibi ad eſſe.

Propoſitio eadem 5ta Confirmatur, imò. Collectio hominum eſt inſufficiens ſibi ſe ſolâ ad ſe conſervandam vel uno menſe: requirit enim neceſſariò àërem ad ſui permanentiam, quô ſpiret: alimentum, quô alatur: terram, vel aliud æquivalens, in quo conſiſtat: influxum ſiderum, quô foveatur: & quidem ita enumeratis indiget, ut ablato aliquo ex illis, collectionem, ſive ſpeciem humanam, ſeu omnia individua humana (non enim collectio eſt quid ſeparatum realiter ab omnibus individuis ſub concavo lunæ exiſtens) interire naturaliter neceſſè ſit. Ergo multò magis collectio illa non eſt ſufficiens ſibi, ſe ſolâ ad eſſe.

6ta Propoſitio.

Pluries nõ valet Argumentatio à ſenſu

Multoties à ſenſu diſtributivo Entium, ſive finities, ſive infinities multiplicatorum, Argumentatio ad collectivum, non eſt recta.

Pa-

PAtet in Entibus finities multiplicatis. Ex eo enim, quòd singuli equi, non possint trahere currum, non sequitur, quòd non possent trahere seni. Ex eo, quòd singulæ unitates, non sint denarius, non sequitur, quòd collectio decem unitatum, non sit denarius. Ex eo, quòd singuli Menses, non sint annus: non sequitur, quòd collectio duodecim mensium, non sit annus. Idem etiam in Entibus infinities multiplicatis, vel potiùs multiplicabilibus, patet pluribus instantiis. *Imò* enim. Quòd singuli homines infiniti, essent pauperes, ineruditi, indocti, non sequeretur, quòd collectio hominum talium infinita, esset pauper, inerudita, indocta. Quia, si singuli homines in illa collectione infinitorum hominum, solùm haberent unum solidum; & singuli tantummodò scirent eruditiones & veritates singulas, inter se tamen semper diversas; certè singuli illorum non essent divites, eruditi, docti: imò essent simpliciter pauperrimi, ac stulti: nihilominus collectio illa infinita hominum, esset ditissima (saltem respectivè ad collectiones quascunq; finitas hominum divitum) haberet enim infinitas decades, centenarios, millenarios, millionarios solidorum, florenorum: aliàs successivè accipiendo per partes finitas, esset exhauribilis multitudo illa solidorum (quod enim est exhauribile per millenarios, vel per quamcunq; speciem numeri finiti, eo ipso potest exhauriri per unitates: quia ipsi millenarii numerantur per ipsas unitates) consequenter non esset infinita illa multitudo; quod est contra suppositionem: Supponitur enim esse infinita collectio solidorum, sicut & hominum. Esset etiam illa collectio hominum eruditissima & doctissima: sciret enim infinitas eruditiones, ac infinitas veritates diversas. Concedo tamen, possibilem etiam esse infinitam collectionem hominum ditiorem, eruditiorem ac sapientiorem priori: unum enim infinitum in Sententia probabili, & sat communi, potest esse majus altero infinitò, etiam infinities, saltem in multitudine. *2dò.* Si cæli & sidera deberent moveri circulariter infinities per æternitatem à parte post, tunc verum esset dicere. Post quamcunq; circulationem, erit alia & alia circulatio, existetq; DEus, ac rationalis Anima. Falsum tamen est, inde inferre, Ergo etiam post totam, seu omnem circulationem infinitam, erit alia circulatio, existetq; DEus, ac Anima rationalis. *3tiò.* Si cæli & sidera cum suis motibus producti fuissent ab æterno

distributivo ad collectivum.

terno (quod fuisse ab æterno possibile, multi non improbabiliter censent) tunc verum fuisset dicere. Ante singulas circulationes astrorum fuit alia prior circulatio. Et tamen falsum fuisset inferre. Ergo ante totam etiam collectionem infinitam circulationum fuit aliqua prior circulatio. Aliàs ante totam æternitatem à parte ante, fuisset aliquid priùs, quod manifestè implicat. Idem similiter dic de generationibus hominum successivis à parte ante, quod non esse impossibile, docet Divus Thomas 1. p. q. 46. art. 2. ad 7. inquiens: *Non est impossibile, quòd homo generetur ab homine in infinitum.* Tunc verum fuisset dicere: Ante singulas generationes hominum fuit alia prior generatio. Et tamen est falsum. Ergo ante omnem collectionem generationũ, fuit alia prior generatio. *4tò.* Ex eo, quòd creaturæ possibiles divisim sumptæ excedantur in perfectione ab alia creatura; non sequitur. totam collectionem creaturarum excedi in perfectione ab alia creatura: vel dari aliquam possibilem creaturam, quæ non possit excedi ab alia in perfectione. Siquidem in Sententia communi; Implicat creatura absolutè perfectissima: seu quâ perfectior absolutè creari non possit.

7ma Propositio.

Multoties tamen Argumentatio etiam à sensu distributivo ad collectivum est recta.

Multoties tamen etiam valet talis Argumentatio.

Patet Inductione longâ. Nam secundùm ipsos Atheos, Argumentatio est recta hæc. Quodlibet Ens existens, non est Ens improductum, simplex. Ergo tota collectio Entium existentium non est improductum, simplex. Aliàs vera deberet esse illi contradictoria hæc. Ergo tota collectio Entium existentium est Ens improductum, simplex: quæ tamen est evidenter falsa. Rectæ item sunt Argumentationes istæ: Singuli homines, sive finiti, sive infiniti, sunt rationales, viventes, sensitivi, sani. Ergo tota collectio hominum, sivè finita, sive infinita, est rationalis, sensitiva, vivens, sana. Singuli Angeli sunt spirituales, intellectivi. Ergo tota collectio Angelorum. est spiritualis, & intellectiva. Singula bruta, sunt materialia, irrationalia Ergo tota collectio brutorum, est materialis, irrationalis. Item singuli modi v.g. Uniones, sunt insufficientes existere sine suis modificatis: videlicet sine suis extremis unibilibus: Actiones

sinè causa, & termino. Item. singula Accidentia sunt insufficientia existere sinè suo subjecto. Ergo tota collectio etiam infinita Unionum, Actionum, Accidentium, est insufficiens existere sine suis extremis, sine causa & termino, sinè subjecto. Itidem, bona est Argumentatio hæc: Singuli homines sunt cæci, nihil omnino scientes, nihil omnino habentes. (non dico, pauperes, indocti: Vide dicta suprà sub Propositione 6ta) Ergo tota collectio etiam infinita ejusmodi hominum, est cæca, nihil omnino sciens, nihil omnino habens; nec illi homines per infinitam etiam sui additionem, evadent videntes, sapientes, divites: sicut nec nummi æneí, etiam per infinitam sui additionem, unquam evadent argentei vel aurei. Proinde pariter Argumentatio etiam erit recta hæc: Singuli homines (idem dic de singulis brutis, viventibus insensitivis, & non viventibus) non sunt sufficientes sibi ad esse. Ergo tota collectio hominum, non est sufficiens sibi ad esse, seu est insufficiens sibi ad esse. Comprobat veritatem Propositionis Divus Ambrosius lib: 1. Hexaëm. cap: 3. cùm dicit: Non possunt negare, quoniam cujus partes corruptioni & mutabilitati subjacent, hujus necesse est universitatem, iisdem passionibus, quibus propriæ portiones ejus sunt obnoxiæ, subjacere.

8va Propositio.

Regula statuitur recta, à sensu distributivo ad collectivum Consequentiæ.

Principia statuuntur, quandonam recta est Argumentatio à sensu distributivo ad collectivum.

1mò. AB aliquibus hæc statuitur. Tunc est recta Consequentia à sensu distributivo ad collectivum, quando fit per prædicatum, quod non decrescit, nec tollitur per additionem (& tale inter alia est prædicatum, ut patet, cæci, claudi, corporei, viventis, nihil omnino habentis &c.) imò potiùs crescit; quale etiam in præsenti est prædicatum, insufficientis sibi ad esse; hoc enim prædicatum, formaliter dicit, Esse causatum, quod nullo modo decrescit, nec tollitur per additionem alterius causati, imò potiùs crescit; nullumq; Ens causatum, habet ex se etiam partialem sufficientiam & incompletam ad hoc, ut existat. Non est autem Consequentia recta, si fiat per prædicatum, quod decrescit vel tollitur per additionem alterius individui ad prius: uti fit in exemplis adductis aliquibus superiùs; decrescit enim

enim impotentia trahendi currùm, per additionem equi ad equum; quia crescit potentia, seu virtus, illum trahendi; quilibet enim equus habet trahendi currũ, potentiam; seu vim, licèt minorem, & incompletam, cui per additionem aliorum equorum quinq;, accedit potentia non impar trahendo currui, ac completur sufficientia; decrescit item in unitate, impotentia ad constituendum denarium per additionem alterius unitatis, quia per hanc additionem crescit potentia constituendi binarium, deventura ad denarium per positionem decimæ unitatis. Idem dicendum de Mensibus, imò & de prædicatis, Pauperis, Ineruditi, Indocti, aliisq; similibus instantiis allatis suprà sub Propositione 6ta.

2dò. Communiter ab aliis Regula universalis (quæ tamen prioris Regulæ est etiam confirmativa) statuitur ista. Quoties aliquod prædicatum, omnibus distributivè partibus convenit præcisè in quantum Entitas sunt, & non in quantum sunt partes, & prædicatum est tale, quod non importat quantitatem physicam, aut virtualem, sed præscindit ab omni specie & affectione quantitatis : id est, à majoritate ac minoritate: finitate, & infinitate: paucitate, ac multitudine: duratione, successione, loco, situ, & similibus, quantitatem aliquam importantibus, toties tale prædicatum dici potest de partibus etiam collectivè sumptis, seu tota collectione: ut universalis probat Inductio, & constat ex dictis sub Probatione 7ma. Ratio hujus insuper est hæc: Quia multitudo singularium, non tollit Entitates singularium: nullum enim totum destruit suas partes: aliàs destrueret se ipsum. Et tale, inter alia, est etiam prædicatum, Insufficientis sibi ad esse, Vivens, Sensitivum. Non est autem recta Consequentia à sensu distributivo ad collectivum sub prædicato, quod aliquomodo importat quantitatem, vel speciem, aut affectionem quantitatis, competens singularibus, quà parti, vel partibus, vel quà solitariè sumptis: ut patet etiam universali Inductione & instantiis suprà allatis. Prius enim & posterius, dicunt quantitatem successivam, sive in serie generationum & corruptionum, sive in circulationibus astrorum: Excedens etiam & excessum, includunt in se quantitatem vel molis, virtutis, aut perfectionis. Ratio insuper est. Quia ly, *pars.* ly, *solitariè sumpta*: ultra Entitatem, dicit negationem alterius: ex eo enim solo, quòd altera

pars

pars adveniat, fit aliquod totum, & pars illa, non est sola, sed cum altera, sive est totum aliquod.

3tiò. Patri Joanni Baptistæ de Benedictis, tomo 3. Philosophiæ lib: 1. cap: 4. §. 2. Regula certa videtur hæc, nempe: Consequentiam tenere à partibus distributivè ad totum, in prædicatis importantibus puram perfectionem. Probatq; hujus Regulæ bonitatem. Tum quia per nullam instantiam infringitur. Tum Inductione. Neq; enim singulæ partes collectionis poterunt esse contingentes, & collectio necessaria: partes esse Accidentia, & collectio substantia &c. Tum quia, cùm collectio nihil sit præter partes, ex quibus constat; adeoque quidquid est in ea perfectionis, ab his formaliter derivetur, non est intelligibile, quòd perfectio pura in collectione reperiatur, quæ singulis partibus omni ex parte desit, imò & omnimodè repugnet. Aliàs, defectus in aliqua linea, evaderet in eadem linea perfectio, per meram additionem defectûs, quod ex terminis est falsum. Hinc fit, ut si singulæ partes sint ab alio simpliciter, tota etiam Collectio debeat esse ab alio: aliàs erit à se: quod est prædicatum puræ perfectionis, in toto repertum per necessitatem & in partibus singulis, per repugnantiam. Ulterius ostenditur Argumentationem esse malam istam. Hæc causa habet effectum à se productum, & illa, & illa, in serie infinita producentium & productorum in post. Ergo tota causarum collectio habet effectum à se productum. Habere enim effectum, non est nisi ad summum accidentalis, & non pura perfectio.

4tò. Alii cum Patre Francisco Amico, sat bene docent. Naturam infiniti esse talem, ut non liceat quidem, in illo argumentari à distributivo ad collectivum in talibus prædicatis, quæ consequuntur infinitum, ut infinitum. Et sic mala est Argumentatio. In collectione mille hominum reperitur terminus. Ergo & in collectione infinita hominum reperitur terminus. Licet tamen argumentari in talibus prædicatis, quæ consequuntur essentiam ipsam rerum infinitarum: quia sicut hæc non mutatur per rationem infiniti, rebus ipsis accidentaliter advenientis, ita nec ejus intrinseca essentialia prædicata. Sed esse à se, vel ab alio: Esse sibi Ens sufficiens ad esse, vel non esse sibi sufficiens, sunt rationes essentialiter convenientes rebus ipsis, nempe singulis hominibus, brutis, plantis &c: & illæ non mutantur per rationem

infiniti, accidentaliter illis advenientis. Ergo eſt bona Argumentatio hæc: Singuli homines ſunt inſufficientes ſibi ad eſſe. Ergo & tota collectio.

5tò demum alii docent etiam non malè. Quod tunc valeat Conſequentia à ſenſu diſtributivo ad collectivum ſub aliquo prædicato, quando prædicatum eſt capax utriuſq; ſensûs, & præterea ſi non poteſt eſſe verum in ſenſu diſtributivo, niſi ſit verum in ſenſu collectivo: ut patet univerſali Inductione. Docent item, quòd licèt prædicatum competens alicui finito, quod includitur in infinito, non poterit tribui infinito, quà tali, quod ex ratione infiniti repugnat eidem, debet tamen tribui prædicatum infinito, quà tali, quod finito conveniebat ſi illud infinito ex ratione infiniti non repugnat. Sed prædicatum hoc: Inſufficiens ſibi ad eſſe: finito, v. gr. denario competit incluſo in infinito, neq; eſt repugnans infinito ex ratione infiniti. ſicut non eſt repugnans eidem prædicatum: Eſſe Ens ab alio. Ergo hoc prædicatum: Inſufficiens ſibi ad eſſe: debet tribui toti collectioni, nec debet obſtare proceſſus in infinitum individuorum illius collectionis.

Regulas has omnes recenſitas non improbo: & juxta eas, ut oſtenſum eſt, tenet noſtra 5ta Propoſitio. Qùodſi has Regulas, neget Atheus, oſtendat illarum vitium; infringat eas aliquâ verâ inſtantiâ: det meliorem Regulam: & ſi rectam dederit, certè coincidet cum aliqua Regula ex allatis à nobis, deſervietq; noſtræ quintæ Propoſitioni comprobandæ.

9na Propoſitio.

Recta eſt Argumentatio hæc: Singuli homines ſive finities multiplicati (ut certum eſt) *ſive infinities* (utì confingunt Athei) *ſunt inſufficientes ſibi ad eſſe. Ergo tota collectio hominum eſt inſufficiens ſibi ad eſſe.*

Objectiones in contra ſolvuntur.

VEritas Propoſitionis hujus patet ex dictis.

Neq; dicas *imò*. Totam collectionem hominum, utpote ſucceſſivè à parte ante, infinitam, in qua ſcilicet non poſſit deveniri ad primum hominem, nec eſſe inſufficientẽ, nec ſufficientem ſibi ad eſſe. Nec

eſſe

esse causatam, nec incausatam; quia tota collectio hominum infinitorum, est implicatoria, utpote constans terminis implicatoriis: ly enim: *Totum*: est. *Cujus nihil est extra.* Infinitum autem est: *Cujus est semper aliquid extra.* Contra enim est. Quia quidquid sit de Possibilitate Infiniti, sive simpliciter, sive restricti ad seriem Causarum. Quidquid item sit, an ly: *Totum.* & ly: *Infinitum:* sint termini incompossibiles; quod negavi in Philosophia cum pluribus; ex eo etiam, quia illud, Cujus aliquid semper est extra: intelligi debet de successiva acceptione ex infinito Quidquid, inquam, sit de istis. Detraho istum terminum: *Tota.* Et quæro. Collectio hominum, vel est insufficiens, seu non est sufficiens ad existere, vel est sufficiens. Inter contradictoria enim non datur medium. Si 1mum. Ergo conceditur hoc, quod volo. Si 2dum. Tunc redeunt omnes Probationes, quibus probatum est, esse insufficientem. Et licèt collectioni hominum successivè à parte ante infinitæ, repugnet habere primam Causam intra eandem collectionem hominum: seu quæ causa sit aliquis primo primus homo: non tamen solùm non repugnat, sed omnino necessarium est, ut tota collectio hominum pendeat ab alia causa, quæ sit extra totam collectionem hominum se generantium & genitorum.

Neq; dicas *2dò*, Licèt quælibet pars circuli est connexa cum alia parte, totus tamen circulus non est connexus cum alio, sed tantùm secum. Ergo pariter, licèt singuli homines sint insufficientes sibi ad esse, non sequitur, quòd etiam tota collectio sit insufficiens sibi ad esse. Contra enim est 1mò. Retorqueo. De catena ferrea ab alto pendente, in qua licèt annuli se mutuò sustentent, tamen debet dari aliquid, vel intra, vel extra illam collectionem annulorum, quod à nullo sustentante dependeat, & à quo omnium annulorum gravitas sustentetur: cùm nullus annulus in illa catena se ipsum sustentare, sufficiens sit. Contra 2dò. Quia Disparitas est nimis longa. Partes enim circuli non mutuò causantur, sed solùm inter se uniuntur; non implicat autem aliqua mutuò uniri secum. E contra implicat, aliqua Entia mutuò se causare efficienter quò ad primò esse; vel aliquid se ipsum efficienter producere.

Porro notandum, quòd Athei à veri specie in infinittum recedendo, confugere soleant ad ordinem, seu quasi ordinem rerũ semper retrogradum absq; ullo fine, tanquam (ut sapienter ait Pater Esparza)

ad Asylum nequissimæ suæ pertinaciæ, nolentis agnoscere veritatem, ideoq; conjicientis se se in mediam caliginem fictionis semper ulteriùs propellentis: qui retrogradus ordo infinitus incutit horrorem ac stuporem, similem illi, quem incutiunt tenebræ nocturnæ, iter agenti solitario per silvam densam ac inviam; verùm hoc asylum, talesque merè fictitii retrogradi ordinis infiniti latebras, nihil prodesse Atheis ad declinandam vim ac lucem Argumentorum pro Existentia Dei, comprobanda hìc infrà in Tractatu 3tio afferendorum, patet: siquidem præscindunt ab Affirmatione & Negatione processûs in infinitum; licèt verò Argumentum 14tum in Tractatu infrà 3tio: in aliqua sui parte gratis concedat Atheis recursum ad latebras infiniti processûs Entium causatorum & causantium, nihilominus & illic latitantes validè impetit, ac satis evidenter & efficaciter evincit Existentiam Entis à se, seu Dei.

CAPUT VI.

De existentia substantiarum intellectivarum invisibiliũ.

Prima Propositio.

Multi, verè mirabiles effectꝰ contigerunt.

Dati sunt effectus multoties hi. Hominum per äërem devectio sine ullis instrumentis corporeis: vel in altum, eorundem sublevatio: Virgarum conversio in Dracones: Fluviorum in sangvinem: ranarum innumerabilium productio admiranda: stupenda locutio animantium: mutorum idolorum & statuarum inanimatarum responsio: lingvis item antea ignotis repentina locutio: aliiq; similes, imò & admirabiliores his, effectus.

VEritas Propositionis hujus constat ex Scripturæ sacræ Libro,(qui apud quoscunq; etiam infideles meretur eximiam auctoritatem, ut demonstratum hìc est suprà, Capite 3.) In libro enim illo legitur, quòd Habacuc in impetu spiritûs, translatus sit à Judæa in Babylonem supra locum leonum, in quo fuit Daniel. Enoch translatus in paradisum. Elias raptus in curru igneo in cælum. Philippus Diaconus raptus in via, & Azotum delatus, Christus Dominus, per äëra, supra

ſupra templi pinnaculum & montem excelſum, delatus. Malefici (Jannes & Mambres) præſente Pharaöne, per incantationes, fecerunt, ut virgæ eorum converſæ fuerint in Dracones, educerenturq; ranæ ſuper terram Ægypti innumeræ (ſive interim Dracones & ranæ illæ, præſtigioſæ fuerint: ut multi opinantur cum Sancto Hieronymo: ſive veri Dracones & ranæ, ut probabiliùs cenſent plures cum Divo Auguſtino) aquæ itidem ibidem, converſæ in ſanguinem. Serpens locutus eſt Evæ in paradiſo: & Aſina Balàämo. Apoſtoli etiam die Pentecoſtês cæperunt loqui exactè derepente variis linguis, ſibi antea ignotis. Eadem veritas conſtat ex innumeris Hiſtoriis profanis & Eccleſiaſticis, quibus pleni ſunt libri conſcripti à Viris ſolidè doctis, ac non facilè credulis. Transferri verò ſæpè verè magas, ſagasq; per ,àërem in loca diſſita, certiſſimis hiſtoriis comprobatur. Ipſa quoq; ,(ait doctiſſimus Abulenſis, in Caput 4 Matth: quæſt. 47.) quotidi- ,ana Experientia iſtud oſtendit, quæ utinam, non tam cognita eſſet. ,Multos enim ſcimus, qui quaſi in momento, de locis diſtantibus ad ,alia ſe loca tranſtulerunt, deſervientibus ſibi Dæmonibus ad hoc, qui ,Principes maleficiorum ſunt: & iſtud ita manifeſtum eſt, quòd im- ,pudentia ſit, illud negare, cùm mille nobis teſtes occurrant, qui ſi- ,bi horum conſcii ſunt. Hucuſq; ille; qui etiam locô citatô ſolidè & evidenter deducit, quòd nihil planè contrarium noſtræ huic Aſſertioni ſtatueritConciliũAcquirenſe, ſeu ut alii vocant, Ancyranum: vel potiùs, ut cum quibuſdam ſentit Cardinalis Baronius, tomo 4to ad annum 382 Concilium Romanum, ſub Damaſo Papa, in Decretis Tit: 26 qu. 5. Cap: Epiſcopi: citari ſolitùm in contra. Quod ipſum ulterius conſirmat: Tum celebris ac certa hiſtoria de Erneſto, quam fusè deſcribit Pater Stengelius tomo 4. Judic: Divin. cap: 61. Aliæq; Hiſtoriæ. Tum repertio menſarum ac ſupellectilis variæ, conventu ſubitò diſſoluto, & veſtigiorum humanorum & animantium in orbem ſaltantium impreſſio. Tum conſtans ſagarum, magorum, etiam ſtatûs altioris conteſtatio, tantaq; inter, locis, temporibus, ætate, ſexu, ſtatu, ac ſtudiis disjunctiſſimos, adeoq; plurimos conſenſio, etiam jam in ipſo rogo poſitarum, ubi nihil fictio profutura, & torturæ jam exhauſtæ: mendacii autem non poteſt eſſe tanta conformitas, nec in deluſoriis rebus tanta omnium conteſtatio: peculiaris enim cuiq; eſt animi actio, &

& alius ab alio diversum quid imaginatur; nec cerebri aut phantasiæ omnium, eadem est dispositio: ut rectè arguit Pater Delrio lib: 2, Disq: Magic. cap: 16. Licèt non omnino semper translatio Sagarum vera est: ut bene docet Concilium citatum. Accedit. Quòd novissimè P. Josephus Juventius, celebris Historicus, parte 5. Histor: Soc. ,lib: 18, folio 503, scribat hæc: Scio futuros, qui fidem iis, quæ sum ,dicturus, abrogent: sed nobis in re per totam Indiam creberrima, ,fingendi locus non est: sic enim occultô DEI judiciô accidit sæpis-,simè, non solùm in Madurensi, verùm etiam in vicinis Regnis, ut In-,dorum corpora infestus dæmon subeat, ea discrutiet miseris modis, ,attollat sublime, huc illucq; momentô deportet, & ad responsa, il-,lorum ore aperiat res abditissimas, & alia multa præstet, quæ natu-,ræ vires omnino superant. Hæc ille.

2da Propositio.

Prædicti effectus rectè refunduntur in substantias completas intellectivas, invisibiles, distinctas, ab hominibus & iis superiores.

Illorum effectuum causa fuerunt Angeli.

PRobatur. Quia dicti effectus non possunt refundi in ipsos homines: nam vires illorum, saltem quò ad modum, longè plurimi superant: ut patet. Nec possunt refundi in melancholiam, vel siderum influxum: ut homini ratione compoti, per se evidens est. Licèt autem sagæ, ante transvectionem, inungant corpus ordinariè unguentô ex membris puerorum, ante Baptismum interemptorum, confectô, tamen eas non deferri vi illius unguenti,patet. Quæ enim proportio unguenti ad corpora gravia,per àëra deferenda? item, quia aliàs, omnes sagæ inunctæ, deberent deferri ad eundem locum, & ad eandem loci distantiam: Causa enim necessària est determinata ad unum. Deferuntur proinde à dæmone, cum quo habent pactum, ut illas, positâ unctione, deferat. Locutiones etiam illas animantium, non fuisse factas vi naturali animantium, clarum est, nisi velis delirare, asserens, bruta animantia posse naturaliter propriè loqui; sicut insipienter multi Brachmanes & Indi putabant, Simias posse loqui, habereq; intellectum propriè, sed tantùm dissimulare, ne ab Hispanis, ad labores compellantur. Rectè Divus Augustinus lib: 11, de Genesi ad Literam, monet: *Ne quisquam*

existi-

existimans animantia, rationis expertia, humanum habere intellectum; vel in animal rationale, repente mutari, seducatur in illam opinionem ridiculam, & noxiam, revolutionis animarum vel hominum in bestias, vel in homines, bestiarum: Sic ergo locutus est serpens homini (nempe Evæ) *sicut Asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini: nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum: habent enim quædam, boni & mali Angeli similia, sicut Moyses, & Magi Pharaónis.* Neq; prædicti effectus, in aliquid aliud, præter substantias intellectivas completas refundi possunt. In quid enim? Ergo &c.

Eruditionis etiam gratiâ, Adverte *imò.* Falsum est, quòd peritia linguarum, antea ignotarum, possit oriri in energumenis à melancholia, complexionem vitiante: vel à siderum influxu. Ratio 1mi est. Quia (præterquam, quòd arbitrariè, melancholiæ tribuatur tanta vis) Videmus innumeros melancholicos, non tantùm species necessarias ac peritiam novarum linguarum, vi melancholiæ non acquirere: verùm imperitos ut antè manere. Item, aliàs optanda foret & procuranda ab omnibus melancholia, complexioq; vitiata, utpote mater tantæ peritiæ. Demum, Ad quid exorcismi Ecclesiastici (quibus tamen multoties arreptitii curantur) contra melancholiam, sensûs & rationis expertem? Aristoteles, dum ex suo, vel potiùs aliorum sensu, dicit in Problemat: sect: 31. qu: 1. *Animus melancholicus, potest ea præstare, quæ Energumeni.* intelligendus est loqui de quibusdam minutioribus operibus: qualia solent esse in fœminis, præsertim multùm melancholicis: ut immutatio vultûs, clamor, inquietudo, &c. Ratio 2di, præter etiam jam dicta est. Quia testatur ipsa Experientia, quòd Luna, aliaq; sidera, species solùm sui immittant, non aliarum rerum, præsertim ignotarum: sine speciebus autem, notitiam habere non possumus, quid vocabula ignoti idiomatis denotent. Concedendum tamen est, quòd certis Lunæ periodis, plus vexentur Energumeni: ast id fit, vel ob humores tunc magis vexationi dispositos: vel ipse dæmon vexat corpus lunaribus incrementis, *ut esse lunæ credatur, quod est diabolici criminis:* ut benè advertit Sanctus Chrysologus Serm: 51. intendens scilicet, ut hâc ratione blasphemetur creatura Dei.

Peritia lingvarū peregrinarum non provenit à melancholia.

Nec à siderum influxu.

Adverte *2dò.* Toletus lib: 1. de Anima cap: 3. tex: 53. q: 9. docet. Probabile esse, admirandam sublevationem corporum in äëra, provenire

Sublevatio admiranda

da corporũ in aëra non oritur naturaliter à fervore Orationis. nire forsan ex motu ipsius animæ rationalis, sursum naturaliter ferente corpus suum, qui motus est in anima, ex suavissima mentis in Deum contemplatione, ac ferventi oratione, quo impetu quodam ad ipsum fertur. Sed hanc Cardinalis Toleti doctrinam non approbo. Tum quia miror Toletum ipsum nunquam sic orasse ferventer, saltem eo fine etiam, ut suæ hujus Opinionis (ut ipsemet fatetur) novæ, haberet experimentalem probationem. Tum quia minùs credibile est, neminem orâsse ferventer, nisi qui sursum elevatus fuit: ac non nisi toties orâsse ferventer, quoties elevatus. Item, aliàs ferventior Oratio causasset sublevationem majorem, & adhuc ferventior, majorem: siq; debuissent aliqui, qui ferventissimè orabant, elevati fuisse naturaliter cum corporibus longè suprà nubes. Non videtur proinde recedendum à communi Doctorum sententia docentium, hypocritas orantes aliquando è terra sublevari ope dæmonis: Sanctos autem Viros, ope bonorum Angelorum, à quibus etiam lumen illud, quô sic elevati, fulgere ordinariè solent, causatur.

3tia Propositio.

Independenter à Fide, Existentia Angelorum, intellectui rectè disposito, sat efficaciter suaderi potest, & probari.

Rationibꝫ probatur Existentia Angelorũ. PRobatur imò. Quia ex una parte, non implicat produci substantias completas intellectivas, libertate præditas, superiores hominibus: seu Angelos: quæ enim in hoc, vel umbra solidæ implicantiæ? Ex altera parte, illos defactò actu dari, tenuerunt omnes sapientiores Ethnici Antiqui: ut Mercurius Trisinegistus, Orpheus, Homerus, Hesiodorus, Thales Milesius, Pythagoras, Xenocrates, Socrates, Plato, Aristoteles, veteres Peripatetici & Platonici. Imò omnes Gentiles pro comperto habebant, dari bonos ac malos Genios, à quibus proinde oracula exspectabant, & beneficia postulabant: tenentq; nunc omnes Gentium Nationes, & in his innumeri summâ auctoritate, summô ingeniô, excellenti virtute ac doctrinâ conspicui: è quorum numero etiam multi fide dignissimi, Angelos à se defactò visos esse, constanter affirmârunt: ut constat ex plurimis Historiis certissimis. Neq; est ullum prudens fundamentum, dicendi, illos omnes, deceptos fuisse,

isse, vel decipere voluisse. Ergo dantur Angeli.

Adverte *1mò.* Dum Sanctus Thomas qu. 16. de malo, art. 1. dicit: Peripatetici Aristotelis sectatores non posuerunt dæmones esse. Vel tunc Sanctus Doctor (ut notat Franciscus de Lugo Disput: 1. de Angelis cap: 1.) nondum plenissimam Peripateticorum veterum notitiam adeptus fuerat: vel loquitur de aliquibus recentioribus: vel non posuisse dicit, esse dæmones, quales asserit Fides Christiana, nempe propter peccatum, rudentibus inferni detractos in tartara. Porrò ipse Aristoteles docuit eos dari, dicens 2 Rhethor: Dæmones, DEI opus esse.

Adverte *2dò.* Si dicat Atheus implicare Angelos, cùm non sit causa productiva illorum, nempe DEus. Contra est: cùm enim juxta Atheos imperfectiora hæc Entia, puta, Elementa, corpora cælestia, poterant prosiliisse ex nihilo: neq; ad sui possibilitatem indigebant causâ: Cur Angeli dicendi implicare, seu non esse possibiles ex defectu causæ?

Probatur 2dò Propositio. Quia effectus superiùs enumerati sub Propositione 1ma. Item operationes Energumenorum mirabiliores, ut peritia linguarum peregrinarum, quas loquens nunquam didicit, vel ante scivit: sublevatio in àëra &c. non possunt commodiùs refundi, nisi in Angelos. Ergo &c.

Impotentia submergendi undenam provenit?

Accedit *1mò.* Quia constat tot experientiis, mulieres plurimas, præsertim si fuerint suspectæ non lævi cum fundamento de magia, vel aliunde id probatum sufficienter fuerit; ligatis licèt manibus & pedibus, aquæ injectas non submergi, nec posse submergi: verùm supernatare aquis. Sèd hujus non potest multoties, alia causa sufficiens assignari, nisi quòd id fiat auxiliô extraordinariô alicujus naturæ intellectualis, distinctæ ab hominibus, seu ope alicujus Spiritûs. Ergo &c. Dixi: *Multoties.* Concedi enim fortè posset cum aliquibus non mediocriter doctis, estq; conforme Archimedi, in libello de supernatantibus aquæ, posse id aliquo in casu provenire ad tempus exiguum, ex certa dispositione corporis atq; complexione: videlicet, si mulieres illæ sint ventricosæ, protensoq; utero, ac pulmones laxissimos habeant, ubera maximè fungosa, intestina ampla, ideoq; copiosè flatibus impleantur: unde facilè innatant & tunc potissi-

tissimùm, quando adactæ metu submersionis, spiritum cohibent, & fauces claudunt. Asserere autem, quòd ejusmodi supernatatio, nunquam proveniat ope alicujus Spiritûs, videlicet, Angeli boni, vel mali, temerarium est, contrariumq; multis experimentis ac testimoniis gravissimorum Auctorum. Breviter noto. Nemini licere uti probâ hâc aquæ frigidæ. Tum quia id est sacris Canonibus prohibitum, estq; judiciô Summorum Pontificum, ut Stephani quinti, Honorii 2di, Lucii 3tii, ac Innocentii 3tii, hæc proba *inutilis, plebeja inventio, peregrinum* (id est alienum ab Ecclesiæ moribus) *judicium, superstitiosa adinventio, destituta Patrum documentis.* Tum quia ex Historiis pluribus constat, multoties, & veras sagas submersas, & plures innocentes & Sanctos, aquis mergi non potuisse. Vide Patrem Delrio lib: 4. Disq: Mag: cap. 4.

Item unde agilitas & motus ipsius cadaveris?

Accedit *2dò.* Quia pluries contigit apud nos in Polonia, Russia, Lithvania: item in Ungaria, ut testantur plura authentica exempla, & ego multoties ab oculatis fide dignis testibus audivi, quòd cadaver humanum repertum sit, non tantùm diuturno tempore esse incorruptum, flexibile, rubicundum, sed insuper caput, os, ac linguam, quandoq; & oculos movere, linteamina, quibus fuit involutum deglutire, imò & vorare partes sui corporis. Quandoq; etiam notatum est, quòd cadaver ejusmodi è tumulo exsurgat, compita, domosq; obambulet, his & illis, se conspiciendum præbeat : Ac quosdam etiam invadat & suffocare nitatur. Cadaver ejusmodi, si viri sit, vocatur ex Ruthenico, Upier: sin muliebre, Upierzyca: quasi diceres, plume factum: hoc est plumis seu pennis instructum corpus: vel quia leve & agile redditur ad motum: vel quòd plumæ alicujus generis, & forsan ex pulvinaribus hominis demortui desumptæ, & in cineres redactæ, cadaveri leviter aspersæ, maleficio huic deserviant. Porro illius agilitatis ac motuum in cadavere, sufficiens alia causa assignari non potest, quàm, quòd dæmon, illud cadaver, etiam aliquando hominis Sancti, in finem maleficii possedit ex pacto antecedenter inito cum malefica, permittente DEo: & tamdiu nocituro dæmone, quousq; illud maleficium, non dissolvatur. Dissolvi verò ordinariè in Polonia censetur per abscissionem sarcularem illius humani capitis cadaverici: quod, an tali ratione liceat, defendunt aliqui ex eo. Quia

ma-

major est habenda ratio vivorum hominum, quàm cadaverum: beneficiumq; præstatur illi cadaveri, ne amplius possideatur à dæmone: cùm melius sit, esse sine capite, & sine dæmone, quàm cum capite, & cum dæmone. Neq; ille si viveret, posset esse rationabiliter invitus. Insuper, cùm illud cadaver sit iniquus aggressor vivorum, potest truncari. Alii tamen (quibus etiam favet Responsum Revisorum Nostrorum Romanorum anno 1696. 5. Maji) licitè id fieri posse negant acriter. Cùm contra maleficia, uti liceat remediis petitis ex medicina: item exorcismis ac Sacramentis Ecclesiæ, invocationibus Sanctorum &c. atq; destructione signorum, per quæ dæmon nocet: sed absq; alio maleficio, vana observantia, & peccato, atq; irreligiositate: dicta verò amputatio, vel omnes, vel aliquem ex his defectibus, sapiat, præferatq; quandam sævitiam in mortuos.

Incantatio serpentum fit ex pacto cum dæmone.

Accedit *3tiò.* Quia incantatio serpentum non fit naturali verborum potestate, verùm ope dæmonis ex pacto saltem implicito, quod ipsum constat. Tum quia illa carmina incantantium non sortiuntur effectum, nisi à certo genere hominum pronuntientur, qui solent esse vitæ perversissimæ. Tum quia carminibus nulla potest inesse naturalis efficacia ad alliciendos potiùs serpentes, quàm aliud genus animalium: carmina enim non sunt efficacia ratione soni, cùm is activus non sit: nec ratione significationis: cùm illam serpens, utpote brutum animal, percipere nequeat. Tum ex unanimi consensu Patrum: ex quibus Sanctus Augustinus lib: II. de Genesi ad literam cap: 28. sic loquitur. [Quòd putantur audire & intelligere serpentes verba Marsorum (*Marsi, fuerunt quidam populi Italiæ, qui salivâ suâ, serpentum morsibus medebantur: ut scribit Plinius lib: 7. Histor. cap: 2.*) ut eis incantantibus prosiliant plerumq; de latebris, etiam illic diabolica vis operatur- hæc non parva testatio est, Naturam primitus humanam, serpentis seductam esse colloquiô: gaudent enim dæmones, hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationes hominum, serpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos possunt: hoc autem facere permittuntur, ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quædam cum hoc genere animalium familiaritas.] Hucusq; Sanctus Doctor. Nec refert, quòd dicatur in Psalmo 57. Veneficus sapienter incantare aspidem. Sapiens enim (ut ait hìc Cassiodorus) etiam in malo sumitur.

Et Glossa addit: Sapienter. id est, quantum ad artem suam, & in opinione vulgi.

Astra moventur ab Angelis.

Probatur 3tiò Propositio nostra tertia. Quia sidera cælestia moventur ab Intelligentiis, seu Angelis. Quod ipsum probatur multipliciter. *imò*, Auctoritate: id enim asserunt Philosophi cum Platone & Aristotele. Theologi omnes cum Divo Thoma. Patres cum Sancto Augustino lib: 1. de Trinitate. Divus Thomas Opusculo 9. Artic: 3. „hæc habet: Cælestia corpora à spirituali Creatura moveri, à nemine „Sanctorum, vel Philosophorum negatum, legisse me memini. Opu„sculo 10. Quòd Angeli sint motores cælorum non solùm à Philoso„phis est multipliciter probatum, verùm etiam à Sanctis Doctoribus, „evidenter asseritur. Opusculo 11. Artic. 2. Mihi etiam videtur, quòd „demonstratione probari possit, quòd ab aliquo intellectu, cælestia cor„pora moveantur. Imò severiùs de Potentia q. 6. Art. 3. ait: Fidei sen„tentia est, quòd corpora cælestia moveant localiter Angeli. Sanctus etiam Bonaventura in 2. Distinct. 14. art. 3. q. 2. Hanc Sententiam vocat rationi, fideiq; consentaneam. In Scholis quoq; Nostræ Societatis prohibita est doceri Propositio hæc: *Motus cælorum est omnino ab intrinseco, & nullo modo ab Intelligentiis.* *2dò.* Quia non ab alio, quàm ab alio Intellectu, seu assistente Intelligentia videtur posse tam exacta & constans & artificiosa regularitas, multiplexq; uniformitas motûs Planetarum sine errore semper errantium, & cæli stellarumq;, provenire: nec non varietas cursûs solis, quâ vicissitudine, summa inæqualitas, est summa æqualitas: ut loquitur Sanctus Nazianzenus lib. 3. de Theologia. Quod enim fundamentum grave tribuendi id rebus, vitâ & ratione carentibus? præsertim cùm juxta satis probabilem Sententiam recentium Astronomorum cælestia corpora fluida sint, unà cum sole, & quidem ita, ut in sole multæ absumantur ejus partes ferè in dies singulos, licèt postea reparentur: macularum item atq; umbrarum continuâ successione, mutuis inundationibus, sol varietur: quæ maculæ alterantur physicè, & aliæ aliis citiùs deficiunt, magnitudine verò suâ multæ ex illis maculis, æquales sunt toti terraqueo globo: ut præter alios observavit Pater Scheinerus, ac refert in sua Rosa Ursina: unde non posset esse eadem adeò constans vicissitudo diei ac noctis, & constans varietas hyemis, æstatis, aliorumq; temporum

anni

anni, nec possent à longè præcognosci certò, & prædici eclipses, solstitia, si non concedatur ab Intelligentia solem moveri. *3tiò.* Quia gubernatio non debet provenire à tali, quod est longè imperfectiùs eô, quod gubernatur, saltem loquendo prudenter ac connaturaliter. Sed si motus gubernativus Mundi, qui magna ex parte, est motus astrorum ac cæli, procederet à forma eorundem, tunc gubernatio proveniret ab eo, quod est longè imperfectius gubernatô: quia magna ex parte gubernatio hominum & animalium, quæ sunt longè perfectiora quavis formâ inanimatâ, proveniret à forma cælorum & astrorum inanimata. Ergo &c. *4tò.* Quia sicut in parvo Mundo, id est homine, dantur duæ partes, una Materialis, alia Intellectiva: ita conveniens est, in magno Mundo dari duas partes, unam Intellectivam & aliam Corpoream: & sicut in Mundo parvo, Intellectiva movet & regit corpoream: ita & in Mundo magno, Intellectiva debet movere ac regere corpoream: cum hoc tamen discrimine, ut pars Intellectiva Mundi magni, solùm assistat corporeæ. *5tò.* Quia sicut materia prima, quia indifferenter respicit formas, indiget agente extrinseco, ut eas successivè suscipiat: ita & Corpora Cælestia, quia indifferenter respiciunt spatia, per quæ moveri debent, neq; meliùs in uno, quàm in alio se habent, ideo non possunt ex naturali inclinatione ab uno spatio ad aliud moveri, sed indigent Motore extrinseco, & quidem Intellectivo, propter dicta. *6tò.* Motus reptilium imperfectus & tardissimus, provenit à Principio vivente. Et quidni motus velocissimus ingentium corporum cælestium admirandus, toti Mundo utilissimus, ac pernecessarius habeat aliquam sui causam specialem, vitâ præditam, incapacem lassitudinis? *7mò.* Quia aliàs non posset reddl causa solida, cur sol v. g. in orbem perpetuò & tam rapidissimè agatur? Cur confectò diurno vel annuo cursu suo, non quiescit? (idem proportionatè dic de aliis cælestibus corporibus) cur non tendit ad aliquem terminum, ut in illo quiescat? sicut videmus in motu gravium & levium. Siquidem tali continuo motu, nec quidquam sibi acquirit, nec quod habet, tuetur & conservat: sed tantùm continuo tali motu, ad existentiam, augmentationem, perfectionem, ac conservationem sui, corpora sublunaria summè indigent: quorum indigentiam, cùm non præcognoscant sol, aliaq; sidera, utpote vitæ, rationisq; expertia, non possunt rotationem illam intendere, &

velle ex affectu succurrendi Mundo inferiori: quare admitti debet aliquod Ens, vel aliqua Entia intellectiva, longè excedentia vires, naturamq; humanam, à quibus illi motus causentur. Et licèt Elementa, & mixta Corpora gravia & levia in centrum suum moveantur per insitam gravitatem ac levitatem, non sequitur, quòd etiam corpora Cælestia à Naturali sua vi, ac impetu & formâ, moveantur: ut volunt Guilhelmus Parisiensis, Valesius, Nierembergius, Telles. Disparitas enim patet tum ex dictis. Tum quia gravium & levium, quæ sub cælo sunt motus, nihil habent tam artificiosi & admirandi, ut motus corporum cælestium. Tum quia, ut sapienter Divus Thomas 1.p.q 70, Artic: 3. dicit: [Quòd corpora Cælestia moveantur ab aliqua substan-, tia apprehendente, & non solùm à Natura, sicut gravia & levia, pa-, tet ex hoc: quòd Natura non movet nisi ad unum, quô habitô qui-, escit, quod in motu corporum cælestium non apparet: unde relinqui-, tur, quòd moveantur ab aliqua substantia apprehendente.] Quod si dicas cum Lessio, Celada, Joanne de Benedictis, multò verisimilius esse, motum cæli & astrorum causari immediatè à DEo, ut causa particulari. Tunc adhuc immediatiùs, ex motu corporum cælestium infertur DEI Existentia, quam unicè principaliter evincere intendo. Quia tamen censetur minus esse Philosophicum, ad Causam Primam recurrere, cùm possint aliæ assignari creatæ, assignenturq; ex communissimo sensu Doctorum, Intelligentiæ: sensusq; sit Patrum & Theologorum, à DEO inferiora gubernari per superiora, & infima per media, in finesq; suos dirigi: à quo sensu ut recedatur, cùm nulla convincens afferatur ratio, ideo potius ei standum est.

CAPUT VII.

De insufficientia Entium causatorum ad existendum. Et de Causa productiva Corporum Cælestium.

Prima Propositio.

Quòd nihil se ipsum producere

Nihil se ipsum efficienter physicè producit, saltem quò ad primò esse, nec naturaliter se quidpiam sic producere potest.

Est

Est id adeò certum ac evidens, ut hoc nec Athei, saltem ingeniosiores, negent; nec ullus unquam Sapientum. E numero Sapientum audiantur aliqui. Plato in Timæo ait: Quidquid gignitur, necessariò ab aliqua causa gigni, asseruimus. Aristoteles libro de motu Animalium cap: 3. Impossibile est quidpiam ipsum sibi esse causam, præexistere enim oportet movens ei, quod movetur: generans ei, quod generatur: ipsum autem se ipso prius nullum est. Idem Aristoteles, vel quisquis est Auctor Theologiæ secundùm Ægyptios lib:3. cap: 3tio. [Rationi consetaneum non est, aliquid à se ipso, tanquam ab Agente existere, præsertim cum Agens omne, eâ re prius habeatur, quam suâ vi efficit: falsumq; sit, idem se ipso in una ac eadem ratione prius esse ac posterius.] *possit, probatur Auctoritate.*

Sanctus Augustinus libro de immort: Animæ cap: 8. *Sit nostræ ratiocinationis exordium, quòd nulla se res facit, aut gignit, alioquin erat, antequam esset. - Verissimum est, nullam rem posse à se fieri.* Similia habet lib: 1. de Trinitate, cap: 1. Sanctus Anselmus Monologii cap:28 *Nihil per se ipsum fieri potest, quia quidquid fit, posterius est eô, per quod fit, & nihil est posterius se ipso.*

Sanctus Bernardus lib: 5. de Consid: cap. 6. *A se cæpit nihil, nisi fortè quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid antequam esset: quod utrumq;, quia Ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium.*

Sanctus Thomas 1mâ parte quæst: 2. Artic. 3. *Nec invenitur, nec est possibile, quòd aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod est impossibile.* Et omnes Sancti Patres ac Theologi, ex eo inferunt, Patrem æternum distingui realiter à Filio, quia Pater producit Filium.

Probatur insuper Propositio multiplici Ratione. Tum quia, si aliquid causaret physicè efficienter immediatè se ipsum quò ad primò esse, tunc res existeret, antequam existeret: ut enim daret sibi primò esse, deberet existere; nihil enim non existens, & quod nunquam extitit, nec existit in aliquo sui, potest causare physicè immediatè, existens: nemo enim dat, quod non habet ullo modo: & quia nondum haberet suum primum esse, nondum existeret. Ergo existeret antequam existeret. Tum quia daret sibi primò esse, ut supponitur: & non daret: quia supponeret primum esse, per quod da- *Ratione item multiplici.*

daret sibi esse. Tum quia per se notum est. Id quod nihil est, non habere vires, ut alteri physicè det verè esse. Ergo multò magis nec sibi ipsi: cùm in hoc sit specialis difficultas, utpote identificans correlativè opposita: nempe, producens, producto. Tum quia nunquam compertum est, quod aliquid se ipsum produxerit: Quin ipso lumine Naturæ instructi, dum videmus effectum de novo positum, statim inquirimus distinctam ab eo causam. & si quis nobis monstraret pro causa effectûs, ipsum effectum: v. gr. pro causa Filii, ipsum Filium: pro causa ignis a, ipsum ignem a: exnunc insipientiæ illum argueremus. Ergo apparet, quòd id, saltem naturaliter fieri non possit. Cur enim nunquam factum? Cur intellectus & lumen naturæ, contrarium edocet? Tum quia si semel concedatur, quòd ignis à (idem dic de rebus possibilibus quibuscumq;) posset se producere, tunc esset Agens respectu sui necessarium, nullo alio indigens, præter suum nihil: proinde ignis à, & omnes res possibiles, puta, innumeri soles, Astra, Animantia, necessariò se producerent, imò produxissent se longè antè. Tum quia, nec materia ima, potest se recipere, nec forma informare: nec unio potest esse vinculum sui ad se ipsam: nec conditio potest esse ad se ipsam conditio: nec approximatio potest esse sui approximatio: nec dispositiones, possunt esse dispositiones ad se ipsas: nec idem potest esse sibi ipsi simile: sic nec causa physica, se immediatè efficienter, quò ad imò esse saltem naturaliter producere potest. Imò quòd nec divinitus fieri hoc possit (quidquid contradicat Fraperius & Saraceni) evincunt multæ ex adductis rationes, nec non consensus sapientum: ideoq; proscripta est meritò è Scholis Nostris Propositio hæc: Potest creatura aliqua elevari, ad se ipsam primâ vice producendam. Non diffiteor tamen, Probabilem esse Sententiam aliquorum Doctorum, asserentium cum P: Suarez, quòd Creatura jam existens, & causata aliunde, possit, non quidem naturaliter, & ut causa principalis, sed divinitus, ac ut instrumentum obedientiale, producere se physicè immediatè efficienter quò ad 2dò esse: imò quòd defacto Christus Dominus, in cælo existens, toties reproducat se ipsum physicè sub speciebus Eucharisticis, quoties à Sacerdote, debitè proferuntur verba consecrationis. Verùm hoc gratis admisso, stat inconcussa Veritas Propositionis nostræ imæ; ut patet.

Dices

Dices. Potest idem, se ipsum conservare etiam directè: ut aliqui opinantur. Ergo potest idem se ipsum etiam imò producere. Respondeo. Transeat Antecedens, propter dicenda infrà in Tractatu 3tio in argumento decimonono. Nego Consequentiam. Qui enim admittunt Antecedens, in tantum id admittunt, in quantum idem, dum conservat se, præsupponitur præexistere aliunde causatum: & sic opinantur, posse idem secundùm suum esse præexistens, influere ad suum esse consequens: ante primam autem sui productionem, non præsupponitur res præexistere, imò supponitur non esse simpliciter: quâ ergo potentiâ, quod omninò non est, se ipsum faceret? Rationes etiam allegatæ suprà, Cur aliquid se ipsum non possit producere quò ad imò esse, non videntur militare contra Antecedens, adeoq; Disparitas, inde etiam petenda est.

2da Propositio.

Nunquam id factum, nec fieri potest naturaliter, ut aliqua duo Entia causaverint, vel causent se physicè efficienter, mutuò quò ad primò esse.

Nec duo Entia possunt se causare efficienter quò ad primò esse.

HÆc Propositio ita evidens est, ut nec ipsi Athei, teste P. Haunoldo lib: 1. de Deo Contr: 2. audeant statuere duo Principia à se invicem producta ab æterno. Rectèq; Sanctus Anselmus Monol: cap. 3. dicit: *Irrationalis cogitatio est, ut aliqua res sit* (intellige imò & efficienter) *per illud, cui dat esse: nam nec ipsa relativa sic sunt per invicem.* Estq; omnium Theologorum ac Philosophorum nullo discrepante, Sententia (ut testatur Petrus de Godoy in 1. p. D. Thomæ Disput. 3. num. 224. eximius ex Doctissimo Ordine Prædicatorum Theologus, pòst Episcopus Oxomensis) quòd mutua efficientia principalis secundùm eandem rationem formalem in eodem genere repugnet: licèt posse dari mutuam inter duo causalitatem, in diverso genere causæ, vel secundùm diversas rationes formales etiam in eodem genere, à pluribus doceatur non improbabiliter: licèt item probabiliter quidam admittant causalitatem mutuam quò ad 2dò esse: hi tamen eam non admittunt, nec possunt admittere, sine aliquo tertio, utrumq; producente, & quidem miraculosè. Sic explicata Propositio probatur.

 Tum

Tum Inductione & Experientiâ manifestâ. Quæ enim illa duo Entia se produxerunt, vel producere efficienter naturaliter possunt, quò ad primò esse? Siccine homo mas, se solo, aliquando 1mò produxit fœminam in instanti a, & ab eadem fœmina, in eodem instanti a simul productus primò fuit? idem dic de Leone, aquila, planta, alisq; Entibus. Tum quia quæro, quis illas duas causas determinaret ad causandum se mutuò? Si dicas, quòd à se possint determinari. Urgeo. Cur ab æterno se omnia sic non determinârunt & causârunt? Item, si aliqua se saltem causârunt sic ab æterno, cur non omnia? Quare item nunquam visi sunt duo ignes, è nihilo erumpere in tempore se mutuò quò ad primò esse producentes? idem dic de aliis Entibus, cùm id dicatur fieri posse & quidem naturaliter, faciliùsq; ad captum nostrum foret, ut duo Entia simili ratione è nihilo in tempore prosiliant, quàm ab æterno. Tum quia, si a causaret b, quò ad 1mò esse, & b vicissim causaret a, quò ad 1mò esse, tunc à, & haberet primum suum esse ante b: quia daret 1mum esse ipsi b; & simul non haberet 1mum esse ante b; quia supponitur accipere primum suum esse à b. Tum quia, ut aliquid se ipsum producat quò ad primò esse, implicat: ut constat ex dictis: & implicat ex eo etiam, quia ad omnem operationem suam physicam, & ad actionem ad se terminatam, necessariò supponitur, primò esse. Ergo etiam necessariò supponi debet esse primò ad operationem, & actionem terminatam ad rem à se realiter distinctam. Et certè, quod non est sufficiens sibi ad esse, quomodo sibi potest esse sufficiens ad producendum physicè efficienter tale Ens, à quo 1mò accipiat sufficientiam, ut ponatur, existatq; in rerum natura, seu ut producatur? Tum quia implicat, ut aliquis acquirat pedes, ab ipso cursu: oculos, à visione: à volatu, alas; quæ antè supponitur non habuisse. Ergo etiam implicat, ut aliquid possit acquirere 1mum esse suum ab effectu suo, cui primò esse dedit effectivè.

Illustratur. Ut aliqui duo penitus stulti, se doceant, debet saltem unus ex illis discere id aliunde priùs, quod docturus est alium, & non à penitus stulto, qui hoc ipsum ignorat: ut evidens est. Ergo pariter, ut duo Entia, quorum singula sunt sibi se solis insufficientia ad esse, dent effectivè sibi esse, debet unum illorum aliunde habere esse, & non primò ab alio illo, cui dat primò esse, quod similiter supponi-

ponitur esse insufficiens sibi se solo ad esse.

3tia Propositio.

Sol, Luna, Astra, Cælum, non sunt Entia à se.

PRæterquam, quia nullum est fundamentum positivum (quod enim?) tribuendi illis hanc eminentissimam perfectionem: imò rationem dicem (ut constat ex dictis suprà cap. 1.) omnis perfectionis simpliciter simplicis; multiplicatioq; realis Entis à se, implicat: ut constat ex capite 1mo. Præterquam etiam, quòd ingeniosiores Athei doceant, Omne Ens esse essentialiter ab alio, nec ullum possibile, quòd sit à se. Præter, inquam, hæc,

Corpora Cælestia sunt ab aliquo Ente producta.

Probatur Propositio multipliciter. *1mò.* Quod est Ens à se, seu sibi sufficiens ad esse, seu sui juris, & à nullo distincto, quò ad naturam suam dependens (hæc enim omnia idem sonant) illud est Ens in omni genere perfectissimum: ut in hoc Tractatu demonstratum est Cap. 1. sub 5ta Propositione. Sed Sol, Luna, Astra, Cælum, non sunt Entia in omni genere perfectissima; ut patet: sunt enim Entia Materialia, extensa, quanta, ex partibus realiter composita, intellectu ac libertate, sensuq; omni destituta, & vitâ intrinsecâ: non minùs quàm elementa alia, vel adamas aut smaragdus. Nulla enim est in Sole, Cælo, organorum varietas aut distinctio, nec nutriuntur vitaliter, nec crescunt: ipsa etiam eorum figura, dispositio, præsertim verò magnitudo vastissima non est proportionata animabus vegetativis, vel sensitivis, utpote quæ exigunt partium approximationem, ut vicissim foveri possint, & in se influere: nullum etiam vitæ indicium aut opus in astris & cælis invenitur: nam illuminatio ac influentiæ, sunt naturales actiones, non minùs, quàm in igne vel aqua: motus etiam localis, præsertim non progressivus, nullum est vitæ indicium: siquidem ab impetu, vel naturali, utì levia feruntur sursum, gravia deorsum: vel ab extrinseco provenire potest· qui ergo cælum appellârunt vivens, vel animatum: locuti sunt metaphoricè, ratione Intelligentiæ moventis cælum; vix autem aliquis Philosophus per tot millia annorum inventus, qui cælum propriâ animâ informatum esse censuerit: ut dicit Suarez in Metaph. Disp: 29. Sect: 2. Scripturæ autem

Intellectu, sensu, & vitâ omni destituuntur.

tem sacræ textus, quibus videtur innui contrarium, accipiendi sunt (ut docent Interpretes sacræ paginæ) vel per Prosopopæiam, vel per Metonimyam, continens ponendo pro centento ; ut cùm dicitur, terra etiam judicanda; vel per Hyperbolem, vel per Analogiam & Metaphoram vel demum non ex veritate, sed ex hominum erronea opinione ; Ut cùm legimus Jerem: 7. Job. 15. & alibi. Militia cæli; de Astris ac Cælis: Similiter explicandi textus aliquorum Patrum. Imò ipse Divus Augustinus lib: 1. Retract: cap. 7. Quæ aliàs de Solis ac Lunæ vita asseruerat, ait, metaphoricè accipienda esse sicut (inquit) de mari scriptum est, quòd fremat in utero matris suæ, volens progredi, cùm utiq; non habeat voluntatem. Sapienter proinde Sanctus Damascenus è sensu communi Sanctorum Patrum, lib: 2. Fid: Orthod. cap: 6. dicit: *Nullus, cælos aut sidera, animata esse existimet: animâ quippe ac sensu carent.* Quare meritò proscripta est è Scholis Nostris Propositio hæc: *Planetæ, tanquam viventia, moventur ab intrinseco.* Neq; ab ullo jam sine gravi temeritatis nota suscipi potest.

Mutantur varianturq; intrinsecè.

2dò Probatur. Quia Cælum & Astra mutantur, varianturq; intrinsecè. Ergo non sunt Entia in omni genere perfectissima. Ipsa enim mutatio, est quædam mors. ut ait Sanctus Augustinus: jam verò acquisitio de novo, vel amissio alicujus boni intrinsecè perfectivi, Enti perfectissimo ac optimo quò ad suam naturam accidere non potest. Proinde sunt facta, & non Entia à se. Consequentia utraque patet ex dictis: unde Divus Augustinus lib: 11. Confess. cap: 4. dicit: „Cælum & terra clamant, quòd facta sint, mutantur enim atq; vari„antur. Et lib: 8. de Civit. cap: 6. Viderunt isti Philosophi (nempe „Platonici) nullum corpus esse DEum- Viderunt, quidquid mutabi„le est, non esse summum Deum. Antecedens etiam constat, Tum ex eorum motibus, sine quibus applicari non possunt ad agendum in variis locis. Tum quia, ut ait Plato in Polit: Quoniam Cælum & Mundus corpus participaverunt, mutationis expertia semper esse non possunt. Tum quia sunt corruptioni obnoxia: ut ante Aristotelem, omnes Antiqui docuerunt Sapientiores, Plato, Heraclitus, Anaxagoras, Cleantes, Zeno; docentq; idem fere omnes antiqui Sancti Patres, præsertim Græci: item Expositores sacrorum Voluminum, nec non Theologi & Philosophi plurimi; videturq; id esse confor-

mius

mius sacræ Scripturæ. Insuper comprobant id ferè innumeri insignes recentiores Mathematici, ut allegat P. Christophorus Borrus in sua Astronomia parte 5. Artic 1. cum Tichone de Brahe, inter alia ex eo etiam, quòd cometæ, novæ stellæ, phænomena, in cælo propriè dicto, seu sidereo generentur de novo, & corrumpantur· observatumq; ope telescopii à Patre Kirchero, Scheinero, aliisq; , quòd sol tanquam mare fluctibus asperum, ac fluctuantibus undis crispum, hodie aliter, quàm heri, & cras aliter, quàm heri se habeat; quòd ingentes fumorum globos evomat; quòd umbræ cum luculis quotidie in Sole permisceantur incredibiliter, vastissimumq; illud luminum pelagus, macularum atq; umbrarum continuâ successione, mutuis inundationibus serieq; indissolubili varietur, illæq; maculæ alterentur physicè, aliæ aliis citiùs deficiant, sintq; ex illis maculis multæ, magnitudine æquales, Europæ; aliæ, æquales, Asiæ; aliæ, totâ terrâ habitabili non minores. In Lunâ item (quam esse nostro globo terraqueo similem, adeoq; compositam ex terra & aqua sat probabiliter docent non pauci Astronomi, quibus adhæret P. Kircher, & P. Schottus in Itinerario 1. Dialogo 1. cap: 1. §. 4.) quotidie mutationes conspiciuntur (idem multoties observatum in aliis quoq; Astris) lumenq; suum à sole derivat, imò probabiliùs & aliæ stellæ. Nec obest, quòd libero oculo facilè non deprehendantur hæ mutationes in sole: id enim facit distantia ingens à sole. Certè si quis nostrûm in globo Lunæ consideret, indeq; terram lustraret, nullas in ea mutationes cerneret, ratione magnæ distantiæ. Sed demus, Cælum & Astra esse incorruptibilia; incorruptibilitas hæc non arguit illa esse Entia à se: potest enim conjungi cum imperfectione magna; ut constat in Materia ima, quæ est Ens imperfectissimum, & tamen incorruptibile; secus ratio Entis à se: potestq; provenire vel ex carentia contrarii: vel ex conditione materiæ: vel ex quadam rei simplicitate, incorruptibilitas: ut sapienter notat Suarez.

3tiò Probatur. Singuli homines, quin tota collectio humana, seu species, non est Ens à se: ut constat. Ergo multò magis, sol, astra, non sunt à se: utpote Entia absolutè longè imperfectiora: Unde Divus Augustinus lib. de duabus Animabus cap: 4. [Si fortè turbati, à me Manichæi quærerent, Num etiam muscæ animam huic luci (id est soli) *Sunt absolutè imperfectiora animantibus*

ſoli) præſtare cenſerem? Reſponderem. Etiam. Nec me terreret muſca, quòd parva eſt, ſed quòd viva, firmaret. Quæritur enim quid illa membra tam exigua vegetet? quid huc atq; illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat? quid currentis pedes in numerum moveat? quid volantis pennulas moderetur & vibret? quod qualecunq; eſt, benè conſiderantibus in tam parvo, tam magnum eminet, ut cuivis fulgori, oculos præſtringenti, præferatur.] Et libro de vera Religione cap: 29. [Non qualiſcunq; moles, quanquam iſta viſibili luce præfulgeat, ſi vitâ careat, magni æſtimanda eſt: quælibet namq; viva ſubſtantia, cuilibet non vivæ ſubſtantiæ, naturæ lege præponitur.] Idem docet Plato in Timæo, ac Theologi cum Divo Thoma, qui 1. p. q. 3. artic. 1. dicit: [Corpus vivum, manifeſtum eſt, quòd eſt nobilius corpore non vivo.] Et certè in uno culice, formica, aut ape (ut prudenter lib. 1. Hiſtor. notat Nierembergius) eſt, quod plùs mireris, quàm in aſtris: & in illis majus ingenium artificis eſt, cùm & in ipſo artificio, ingenium inſit, quod non ſit in aſtris vel ſole.

Corpora Cæleſtia quòd non ſint Entia abſolutè independentia, demonſtratur multipliciter.

Confirmatur Propoſitio multipliciter. *1mò*, Quia, quâ ratione ſol (idem dic de aliis aſtris) cenſendus eſt, Ens eſſe à ſe, ſuiq; juris, qui multis (loquor verbis Sancti Chryſoſtomi Homilia 10. ad Pop: Antioch.) ad ſui ſubſtantiam eget, nec ipſe ſibi ſufficere poteſt: quippe ut vadat, cæli indiget, tanquam pavimenti cujuſdam ſuppoſiti; & ut luceat, àeris puritatis & tenuitatis, quem vincunt nubes & muri, & alia quædam corpora, ipſius lucem abſcondentia; corrigunt autem ipſius intemperantiam, rores, & fontes & àeris frigiditates. Addo. Qui incepit in tempore, cum exiſtentia Mundi? qui nec impedire poteſt, ne Lunæ interpoſitione, toties eclipſetur; nec eſt potens illuminare ſimul totum orbem terræ? qui eſt omnis quietis expers: ſed ſemper certâ de loco in locum motione commigrat, impellente Intelligentiâ, in Mundi commodum? *Quem creavit* (ſimul Aſtra, Lunam & Cælos) *DEus, in miniſterium cunctis Gentibus, quæ ſub cælo ſunt.* Deuter. 4. Idq; ipſa Cælorum, Aſtrorumq; diſpoſitio, ac influentiæ proclamant? Qui eſt inſtar lucernæ, à DEo conſtitutus in magna hac aula, iſtam Univerſitatem colluſtrans.

2dò. Sol & Aſtra ſunt indifferentia, ut ſint in hac vel illa parte cæli. Materia item illorum fuit indifferens ad hanc vel illam formam cæle-

cæleſtem: imò in ſententia plurimorum, etiam ad formas ſublunares. Ergo habent cauſam efficientem ſui, ac determinantem ſe potiùs, ut ſint in hac, quàm in illa parte cæli, ſitque materia ſub hac potiùs, quàm illâ formâ.

3tiò. Quia, *quòd nulla compoſitio ſit ſine componente, ut patet omnibus intellectum habentibus & ratione utentibus*, ut loquitur Richardus à S. Victore lib: 5. de Trinit: cap. 3. *Omnis* enim, ut benè notat Doctor Angelicus lib: 1. contra Gentes, cap: 18. *compoſitio indiget aliquo componente: ſi enim compoſitio eſt, ex pluribus eſt: quæ autem ſecundùm ſe ſunt plura, in unum non conveniunt, niſi ab aliquo componente uniantur.* Cùm igitur ſol & aſtra ſint compoſita ex partibus, nempe ex materia & forma, aut ſaltem ex partibus integralibus, neceſſariò habent componentem ſui cauſam, non enim ſe ipſa componere poſſunt: quia nihil eſt cauſa ſui ipſius, eſſet enim prius ſe ipſo, quod eſt impoſſibile. *Componens autem eſt cauſa efficiens compoſiti*, ut ibidem dicit Divus Thomas. Ergo Sol & Aſtra habent cauſam efficientem ſui, & ſic non ſunt Entia à ſe.

4tò. Quia abſolutè loquendo poterant eſſe majores globi aſtrorum, quàm defactò ſint: poſſunt item dari plures Soles, & Aſtra: ut probatum, & illuſtratum ſuprà hic Cap: 4to. Ergo non ſunt à ſe hæc aſtra. Item Motus Aſtrorum provenit efficienter à cauſa aliqua ſuperiore incorporea: ut oſtenſum ſuprà Cap: 6to. Quidni multò magis illorum ſubſtantia habeat cauſam ſui efficientem.

5tò. Quomodo Sol, Ens à ſe, qui eſt verus & materialis ignis, vel aliquid igneum? ut id fusè, eruditè ac ſolidè probat, præter alios, Pater Scheinerus in ſua Roſa Urſina, non ſolùm ex Sanctorum Patrum, Eccleſiæ, Philoſophorum & Mathematicorum ſenſu, ex ſacris itē Literis, ac hebræis fontibus; ſed etiam probat validis rationibus cum ſufficiente ſolutione Objectionum in contrà: favetq; Etymon Hebræum. Sol enim hebraicè vocatur; *Schames*, quaſi dicas: *Scham es*, id eſt, *ibi ignis*. Qui ad vocem Joſue, Solem eſſe Ens à Deo productum, agnoſcentis, ſtetit: ac invocante Iſaiâ Dominum, reverſus eſt decem lineis in horologio Achaz, per gradus quos deſcenderat, dieſq;, ferè triplo quàm ſolet, longior tunc effectus eſt, ſub Ezechia Rege, quæ portentoſa regreſſio Solis, cùm & in Babylone viſa eſſet, ac ejus cauſam

Sol eſt quid igneum

ſam eſſe in Judæa, rumore percepiſſent Babylonii, miſſi fuerant ad Ezechiam Legati *Principum Babylonis, ut interrogarent de hoc portento, quod acciderat ſuper terram.* ut legitur 2do Paralip: cap. 32.

4ta Propoſitio.

Sol, Luna, Aſtra, Cælum, non ſunt à caſu fortuito.

Evidenter deducitur & multifariè, Corpora Cæleſtia non eſſe à caſu fortuito producta.

PRobatur & illuſtratur. *imò* Archymedes Sphæram vitream Siracuſis expoſuerat cunctis videndam, in qua, Solis, Lunæ, ſtellarum motus, tarditate & velocitate diſſimillimi, ut in cælo fit, repræſentabantur: cujus meminit Cicero lib: I. Tuſc. Claudianus etiam de illa Sphæra, hæc habet:

- - Jura poli Regnumq; Deorum
Ecce Siracuſis tranſtulit arte Senex,
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.

Similem vitream cæli machinam habuit quondam Nero, quam, orando, S. Torpes aulicus, confregit. Coſdròás etiam Rex Perſarum (ut ſcribit Cedrenus) fabricari fecit machinam, in qua cæli effigies eſſet, aſtrorumq; converſiones cum Angelis Sceptrigeris adſtantibus, admirabili ſpectaculô, indeq; imbres defluebant, micabant fulgura, reſonabant tonitrua: in medio autem, Coſdroes, quaſi Deus humanus, ſpectabat omnia. Athenæus item lib: 12. teſtatur, Demetrio Regi, fuiſſe chlamydem, cui intextus erat polus, in quo erant ſtellæ, ac duodecim ſigna Zodiaci. Vidimus etiam ſæpe ex varia materia confectas ſphæras, in quibus ordo ſignorum Cæleſtium, & Aſtrorum, lineamentis vel coloribus variis exhibetur. Ejuſmodi exiguas ſphæras, quæ tamen ſolummodò umbræ quædam ſunt ſphærarum ingentium Cæleſtium, & illam chlamydem, quicunq; intellectu non plenè deſtitutus conſpexit, evidens eſſe judicavit, non à caſu fortuito eſſe factas, ſed ab intellectiva cauſa. Ergo multò magis id evidens de Sole, aliiſq; corporibus Cæleſtibus: ſiquidem hæc, ut per ſe patet, incomparabilter ſuâ inexplicabili pulchritudine, perfectione, magnitudine, perpetuitate, utilitate, ſuperant omnes ſphæras ſuprà dictas, & quaſcunq; chlamydes factibiles à quocunq;.

2dò. Probatur & Illustratur. Evidens est, stultum esse, asserere fortuito innumerorum characterum jactu libros v. g. Virgilii, scitè impressos, repentè & casualiter emersisse; vel Tentorium grande perelegans, adamantibus, aurôq; coruscum, à mero casu dispositum esse. (idem dic de ingenti speculo crystallino) Vel horologium rotatile affabre, pauculis rotulis constans, factum esse ex concursu fortuito rotularum ac ferramentorum. Ergo multò magis evidens est, stultum esse, idem asserere de Cæli, & tot Astrorum ordinatissima machina, quæ est grandis quidam Liber Divinitatis, ac Speculum Divinorum: ut eam vocant Trismegistus, Sanctus Basilius, & alii. Est præstantissimum velut Tentorium Mundi; juxta illud Isaiæ 40: *Expandit Cælos sicut tabernaculum.* Est Horologium totius Naturæ; horum enim motibus mensurant etiam Gentiles, annos suos, menses, dies, horas; & quidem per tot annorum millia, hoc Horologium nulla ex parte factum deterius, semperque æquali motu, ac cursu procedit. Quodcunq; artefactum, puta, calceus, v. g. vel vestis, vel olla, evidenter demonstrant, quòd non sint casu fortuito, sed à peritia alicujus Artificis facta; & quidni magis demonstrant Cælestia corpora, se à Summo Artifice facta? Cur impie, paras cibum, excolis vineam, & agros? Cur non exspectas, ut ipso casu fortuito parentur cibi, floreat vinea, generentur segetes? Non ad Doctorum scholas, sed ad artificum, puta, sutoris, sartoris, figuli, coci, officinas, mittendi homines illi impii, qui de Existentia DEi Summi horum Opificis, vel dubitare etiam impiissimè præsumunt, ut sic vel ibi, stolidissimi discant, Deum esse.

Principalis Propositio confirmatur multipliciter. *1mò.* Quia sine fundamento ac temerè asseritur, quin absurdum est censere, illud casualiter factum, à cujus existentia, ordine, & motu, totus inferior Mundus pendet: & quæ superant hominum omnium, artiumq; vires, ac ingenia, asserere, sine arte, absq; ratione, solo casuali motu & concursu Atomorum, producta; cùm lumen naturale dictet, illa, quæ ad sui existentiam, requirunt summam rationem, existere dependenter à ratione, seu intellectu, & non à casu.

2dò. Quia Casus & Fortuna varietati amica, inordinata & indeterminata sunt, constantiam, ordinemq; respuunt; & quæ casu ac for-

tuito accidunt, perpetua esse nequeunt, cùm non habeant Causam perpetuò conservantem, ac dirigentem. Dispositio verò & motus Astrorum, admirandam eandem constantiam, ordinemvè servant. Item si ex fortuita Atomorũ conjunctione factus est Sol & Luna, cur per tot millia annorũ, non est simili ratione, factus 2dus vel tertius sol, & Luna multiplex, quæ constanter luceant? Si item casu sic coàluerunt, cur casu non dissolvuntur? *3tio.* Quia Casus & Fortuna sunt Causæ per accidens, seu causæ casuales; & quæ fiunt à causa per accidens, possunt fieri à causa per se, & causa propria. Casus item ac Fortuna reducuntur ad causam efficientem; ut docet Aristoteles 2. Physic: textu 66. Omnisq; causa per Accidens, habet aliam priorem nobiliorem causam per se, ad quam revocetur. Ergo si Cælum & Astra sunt à Casu fortuito, eo ipso habent causam sui per se, vel habere possunt; hæcq; certè non est alia, nisi summus Intellectus, summæ Potentiæ conjunctus. Nota diligenter. Datô etiam per impossibile, non concessô; à casu fortuito, Corpora Cælestia facta esse. Quæro: Illæ ipsæ innumeræ species Atomorum, quarum fortuita conjunctione asseruntur facta esse. Quæro inquam: à quo nam sunt factæ illæ atomi? Non enim sunt Entia à se. Neq; Casus & Fortuna sunt à se: ut patet ex dictis. Non etiam factæ ab aliis atomis, alio casu & fortunâ: de his enim ipsis aliis, quæro, à quo nam sunt? donec sistatur in Ente à se, seu Deo. P. Athanasius Kircher in sua China illustrata, folio 156. refert, Brachmanes multos opinari, Primam rerum Causam, esse araneum, qui ex ventre suo, continuâ filorum evolutione, Elementa primùm, deinde Cælorum globos efformavit: Opusq; suum continuâ assistentiâ gubernet usq; ad Mundi interitum. Opinionem hanc, quis prudens non rideat?

sed ab Ente summæ Potentiæ.

5ta Propositio.

Causa illa, quæ produxit Corpora Cælestia, est Ens summæ Potentiæ.

Quanta amplitudo Cælorũ & siderũ?

VEritas Propositionis patet ex Vastitate Cælorum amplissima, quæ quàm stupenda sit, vel inde aliquomodo colligitur. *1mò.* Quòd totus Terraqueus globus respectu cæli Firmamenti, sit instar puncti: ut demonstrat inter alios Ptolomæus, (Astronomorum Phænix, qui floru-

floruit sub Adriano Imperatore, anno Domini 130.) lib: 1. Almagesti cap: 6to.

2dò. Quòd omnes stellæ fixæ, licèt sint ferè innumeræ, & singulæ ingentis magnitudinis; sunt enim longè majores toto Terraqueô globô, ob ingentem tamen à terra distantiam, ac ob nostrorum sensuum infirmitatem, videntur nobis velut exigui lichni, aut clavi igniti, cælo infixi: magnumq; spatium intercedit Cæli, inter stellas, vacuum stellis. *Sol* item (ut ait Cicero lib: 2. de Natura Deorum) *licèt multis partibus major atq; amplior, quàm terra universa sit.* Est enim juxta communem Antiquorum ac Recentiorum Astronomorum sententiam, major 166. vicibus, quàm totus Terraqueus globus: imò juxta Ricciolum, insignem Mathematicum, major 38600. Et Sanctus Basilius Homilia 6ta Hexàëmeron dicit, quòd *Sol* sit *immensæ molis, & in infinitum grandior eô, qui nobis videtur:* tamen comparativè ad Cælorum amplitudinem, est quid exiguum.

Quanta eorum distantia à terra?

3tiò patet eadem Veritas, ex ingenti distantia Cæli à terra, & ex admiranda velocitate Corporum cælestium. Pater Christophorus Clavius, præstantissimus Mathematicus, ex communi Astronomorum sententia (quibus, utpote in sua scientia peritis, credendum est.) asserit: Quòd si bis mille annis viveres, & quotidie directè ad cælum ascenderes ad centum milliaria, idq; continuò: post bis mille annos nondum pervenires ad concavum Firmamenti: nam bis mille annis, tantùm conficeres septuaginta tres milliones milliarium: jam autem inter concavum Firmamenti & terram intercedit spatium majus, quàm octuaginta millionum milliarium: nam juxta Alphraganum & alios, spatium illud continet milliaria 80942471. $\frac{1}{2}$-$\frac{3}{2}$. Rursum post alios bis mille annos, tantundem quotidie ascendens, non pervenires à Concavo Firmamenti, ad convexum ejusdem; Nam crassitudo Firmamenti, continet similiter milliaria 80942471. $\frac{1}{2}$-$\frac{3}{2}$. Deniq, post quatuor, & plura annorum millia, tantundem quotidiè ascendens, non pervenires à convexo Firmamenti ad Cælum Empyreum. Quàm igitur ingens est totius circuli amplitudo! Hinc Baruch Propheta in Ecstasi sua, contemplatus, exclamat: *O Israël, quàm magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* Vide Cornelium à Lapide

in hunc locum ; & in Caput 1. Actorum: item Patrem Blanc in Psalm: 147.

Quanta velocitas siderum?

Celeberrimi etiam Mathematici asserunt, & demonstrant, quòd Luna in minima sua distantia à terra, singulis horis conficiat milliaria Germanica 11615. In maxima verò distantia 13723. & dimidium. Solis velocitas adhuc major longè; nam in minima distantia, conficit sol horis singulis milliaria Germanica 247282. In maxima autem distantia, circiter milliaria 273571. Unde longè plus, sol unâ horâ conficit spatii, quàm globus tormentô excussus conficeret, quinq; millibus horarum: licèt quolibet horæ minuto percurreret tria milliaria, & consequenter unâ horâ percurreret milliaria 45. germanica.

Celeritas demum stellarum fixarum, positarum ad æquatorem, longissimè adhuc major, quàm Solis: quia conficiunt unâ horâ, milliaria germanica 3149666. & dimidium.

6ta Propositio.

Causa illa, quæ produxit Cælestia Corpora, est Ens summæ Sapientiæ.

Corpora Cælestia producta sunt ab Ente summæ sapientiæ.

VEritas Propositionis præter alia innumera, patet etiam ex his. Quòd Ens illud, tam ingentia Corpora Cælestia, à se producta, pulchritudine admirandâ & ordine convenientissimo, disposuerit. Sol, ut cætera omittam, in medio planetarum est collocatus juxta Archimedem, Chaldæos, Ciceronem, Plinium, Ptolomæum, Clavium, & communiter alios: ut inde quasi è regni medio, vim suam quoquoversum diffunderet, atq; attemperaret: si enim esset supra omnes plenetas, multò magis si supra stellas fixas, ex tanta locorum distantia, multò remissiùs interventu lucis, inferiora corpora calefaceret, ac omnia propemodum, frigore obrigescerent; si verò sol esset proximus terræ, ibi, ubi nunc est luna, vel infrà, ardoribùs solis cuncta deflagrarent, ob ejusdem vicinitatem. Non consistit immobilis: aliàs Mundi status foret turbulentissimus, rerum ordo dissolveretur, maximaq; pars terræ esset inhabitabilis. Habet motum tum longitudinis diurnum, tum latitudinis annuum, eumq; excentricum: ut hâc diversitate motûs, subjectis Regionibus temperies conservetur; temporum, videlicèt ; Hyemis, Æstatis, Autumni, ac Veris habeantur vicissi-

Sol in medio planetarũ quare constitutus?

Diversitas motûs so-

vicissitudines; annorum, dierum curricula transigantur. *Dies* enim, ut rectè ait S.Basilius Homiliâ 6. Hexaëmeron, *est aër illuminatus à sole: aut quantitas temporis tanta, quò sol in globo nostro dimidio, moram trahit. Annus autem solaris est, cùm ad idem punctum sol, unde profectus est suaptè redierit.* Sapientia Entis illius summa demonstratur etiam ex eo, quòd innumeri cœlestes globi, immensæ ferè magnitudinis & distantiæ à terra, celerrimè moveri possint, moveanturq; continuò per tot annorum millia, & quidem sine sui, saltem totali corruptione, facilèq; reparabili, si in aliquo sui, aliquando corrumpantur.

laris quid-nam efficit?

CAPUT VIII.

De causa productiva Elementorum.

Prima Propositio.

Elementa, scilicet; Terra, aqua, àër, ignis, non sunt Entia à se, nec sunt à casu fortuito.

PRobatur iisdem ferè omnibus Rationibus (paucis immutatis) quibus Capite immediatè superiori probatum est, Corpora Cælestia non esse Entia à se, nec à casu fortuito. Insuper casum non esse Causam Elementorum constat ex Probatione Propositionis sequentis.

2da Propositio.

Causa illa, quæ produxit Elementa, est Ens summæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis.

EX magnitudine enim eorum intelligitur ab intellectu rectè dispofito, Creator Omnipotens; ex Ordine & dispositione, perfectione, aliisq; proprietatibus, summè sapiens; ex necessitate ac utilitate eorundem Elementorum, summè Bonus. Verùm ut magis pateat Veritas Propositionis, aliquatenus consideremus breviter singula Elementa, eorumq; mixta quædam imperfecta.

TERRA, omnium Elementorum gravissima; Mundi subsellium, ingentis est amplitudinis. Terraquei enim globi circumferentia Circuli maximi, est milliarium germanicorum 5400. Diameter medius inter justo majorem ac minorem circulum, est milliarium 1720. Superficies

Terræ Elementum, suâ amplitudine,

immobilitate, fæcunditate, pulchritudine, aliisq; proprietatibus, demonstrat Causam sui productivam esse Ens summè Potens & sapiens.

ficies convexa totius terraquei globi, est milliarium quadratorum 9288000. Soliditas deniq;, est milliarium 250156000. Tanta moles è nihilo eruta, & in medio äere, in Mundi medio collocata, sic volente Summô Opifice ut æqualiter undiq; distaret à Cælo & Astris, ad excipiendos eorum influxus, consistit immota in medio Universi, quia terra est Elementum gravissimum, quæ gravitas illam impellit deorsum ad centrum Universi, in illoq; eam tenet. Quanquam alii cum Patre Kirchero, probabiliter opinantur, stabilitatem terræ provenire ob qualitatem magneticam, quâ, ipsa terra tenetur fixa ad polos Mundi. Alii addunt, globum terræ stare immotum, quia arctissimis undiq; magnetisini vinculis ligatur: constat enim (ut ipsi volunt) ingentibus saxi & ferri circulis, à polo ad polum excurrentibus, visq; magnetica undiq; ab ipsius centro, ad omnia extremitatis puncta diffunditur, & sic universa terræ fabrica secum ubiq; constricta tenetur. Ut verò habitabilis esset, & idonea generationi rerum, non coöperta est tota, aquæ Elementô, licèt hoc sit levius, quàm terræ Elementum; unde eminere deberet super terram. Tot fossæ in terra magnæ profunditatis, quibus flumina, maria includuntur. Diversis in locis innumeras ferè species diversas lapidum (ut saxorum, marmoris, magnetis, &c.) Lapillorum pretiosorum (ut smaragdi, adamantis, gemmarum.) Metallorum (ut ferri, æris, argenti, auri &c.) Nec non aliorum mineralium: ut sulphuris, salis, &c: in suis visceribus continet, eaq; suppeditat abundè hominibus, non tantùm ad usus necessarios, verùm etiam ad commoditatem, ad ornatum, ad medicinas, ad delicias. Et quidem, ut observatum est; ordinariè terra continet mineralia in locis ac montibus illis, qui sunt magìs steriles, & infrugiferi; ut sic terræ foecunditas maneret illæsa. Per tot annorum millia perseveranter est foecunda in productione tot variarum herbarum, florum, fruticum, arborum, segetum, vitium. Tot animalium, sylvestrium, cicurum, domesticorum, atq; hominum, est altrix & sustentatrix. Terræ facies quàm conspicua in montibus, vallibus, fontibus, fluminibus! insuper Vere & æstate in pratis, campis, hortis, sylvis! Vide etiam dicta suprà in Tractatu 1. Capite 3. sub Propositione 5ta.

Itidem aquæ Ele-

AQUÆ Elementum, licèt multò minùs sit, quàm Elementum terræ: siquidem terræ profunditas ad centrum usq; extenditur, com-

ple-

plectiturq́; juxta Clavium, & alios, milliaria Italica 3500, & amplius: maris autem profunditas, vix ad duo aut tria milliaria perveniat: imò ut plurimùm, semimilliarium non excedit: ut nautæ experti sunt, qui in medio etiam Oceano, bolide profunditatem maris inquirentes, ubiq; profundum reperiunt, & non nimis longè à superficie maris. Tamen ingens aquæ est copia; ut patet ex latitudine & profunditate Oceani, marium, fluminum & paludum; ex multitudine fontium; plurimaq́; per viscera terræ diffusione aquarum. Quàm stupenda origo fontium, fluviorum! & non redundantia maris, licèt omnia flumina intrent in illud. Tot genera continet piscium! Intus per occultos & innumeros canales, ac tubos terreos, aquæ alluunt terram, ne arescat, & in minutissimos pulvisculos dissolvatur; simul tali ratione ipsæ aquæ marinæ percolantur, dulcescunt, redduntur q́; idoneæ variis usibus. Extranea etiam aquarum & terrarum intermixtio, inter alia, plurimùm confert, faciliùs per navigia devehendis oneribus. *Quid enumerem insulas, quas* (ut loquitur S. Ambrosius lib: 3. Hexàëmeron cap: 5.) *velut monilia plerumq́; prætexit DEus, in quibus ii, qui abdicant se intemperantiæ sæcularis illecebris, fido continentiæ proposito eligunt Mundum latere, & vitæ hujus declinare dubios anfractus.* Non solùm astrorum situs, sunt indices, sed & Insulæ, sunt velut quædam vestigia marinorum itinerum: sunt item peropportunæ ad facilem trajectionem, & ut terra tandem alicubi, aut terræ jungeretur, aut exiguâ interpositione aquarum distaret à terra, sicq́; homines & animantia, per immensa maria faciliùs transvehi possint.

mentum, idem demonstrat.

Quanta Aquæ necessitas & utilitas! sine aqua nec corpus, animalium, nec ulla cibi virtus potest nasci, nec parari: ideoq́; provisum est, ut passim, facilèq́; haberi possit. Quandoq́; tamen (ut notat Theodoretus serm: 2: de Providentia) DEus voluit deesse aquam, aut nonnisi cum multo labore haberi ex puteis effossis, ut disceremus, quantum sit bonum aqua, quam divina Bonitas, ubiq́; ferè absq́; nostra magna cura suppeditat. Maris item quanta sit necessitas, & utilitas, & cur salsum: Vide suprà in Tractatu 1. Capite 3. sub Propositione 5ta.

Nec non aëris Elementum.

AERIS Elementum usq́; ad concavum Lunæ sumptum, magnitudine suâ totum terraqueum globum, id est totum utrumq́; Elementum

tum terræ & aquæ simul sumptum excedit circiter vicibus 865803. ut deducit ex Ptolomæo, aliisq; Astronomis, Pater Clavius: tanta est & ubiq; obvia indeficiens (ut cum Divo Nazianzeno Oratione 34. loquar) hujus thesauri copia, quia & summè necessaria. Tenuis est substantiæ, äër, ut ita possit vacuum excludere: interiora animalium facilè subire: colorum imagines recipere: corpora etiam omnia occulta & inclusa, vestire; frequenter agitari: sicq; ab infectione præservari: ad formandos diversos sonos usui esse; ac ut per illum, sonus, odor, species rerum visibilium, lumen, & res lumine perfusæ, atq; ipse aspectus fluere: in illo moveri corpora: volatilia volare, possint; nos loqui, & respirare animantia: sine quo respirio animalia vivere nequeunt; ne tamen per accessum caloris extrinseci, nimiùm tenuis redderetur äër, sicq; non idoneus respirio animalium, admixtione variorum corpusculorum repletus est. Ex natura sua, omnium colorum, saporum, odorum, sonorum, expers factus est äër; ut hæc omnia debitè à sensibus percipi possent: si enim ex se esset äër v. gr. viridis, vel ruber: tunc omnia objecta, coloris viridis vel rubri esse, oculis nostris apparerent; sicut per viridia perspicilia aut rubra, videntur omnia viridia aut rubra. Si esset odoris ingrati, saporis acris, vel dulcis, omnia eodem odore infecta, dulciaq; aut acria sentirentur. Si esset sonorus, difficulter saltem soni & strepitus aliorum objectorum, vocesq; humanæ perciperentur.

Præterea Aër, est Armamentarium, & quædam Naturæ officina, in qua, ex duobus nonnisi materialibus principiis, & quidem minutissimis, exilibusq; , nempe vaporibus, ac exhalationibus terreis: ò quanta mirabiliũ meteororũ producitur abundantia! In äëris enim media Regione, ex vaporibus, per variam frigoris temperationem, fiunt nubes, pluviæ, nives, ac ordinariè etiam grando. In äëre infimo, nebula, ros, pruina, gelu. In suprema äëris Regione, & in media ac infima, ex copia exhalationum terrenarum, fiunt venti, totq; stupenda meteora ignea; ut fulgura, fulmina, stellæ cadentes, cometæ etiam aliqui. Porro, quanta in nubibus varietas formarum, colorum, motuum! quanta in illis copia gravium aquarum; & tamen in sublimi äëre pendent, vibrantur, volant! Quàm mira dispositio, ut licèt vapor in secunda Regione äëris positus sit, non tamen totus subitò concrescit, sive in pluviam,

viam, sive in nubem, & grandinem: sed sensim, ut ita veluti per cribrum, guttatim transmittatur; ne terra subitò, nimiô humore obruatur. Quantum robur & vehementia ventorum, ac fluminum! licet eorum substantia sint nonnisi exhalationes terreæ tenues, exiles; quanta eorum celeritas, & quàm admirandi effectus fulminum! Quanta verò necessitas & utilitas meteororum, innuo. Pluviæ terram frugiferam (quod, & ros, nebulaq; præstat) efficiunt: aërem refrigerant: viventia reficiunt; potum animantibus, fluminibus multis ac fontibus perpetuitatem, conferunt: Idem præstant & nives, quæ insuper, dum instar velleris, vel pulvinaris molliter contegunt terram, fit, ut ejus intus calor conservetur, ac nimium gelu, seminibus nocere nequeat. Pruina, gelu, & frigus, reptilium corpora, quæ plantis ac seminibus nocent, perdunt; vim vegetativam in radices distribuunt; eamq; in altũ eluctantẽ, gelu & pruina frigore suo, seu flagellô quodam, ad inferiora compellunt: calorem terræ ac omnium viventium introrsum agunt, ne evanescat. Hinc, animantia & homines, in Regionibus frigidis, robore & magnitudine (cæteris paribus) præstant iis, qui in calidis Regionibus degunt. Venti, exhausta & labore confecta, recreant ac reficiunt: æstum refrigerant; aërem ventilant, ne corrumpatur: imbres terris subministrant, eosdemq; nimios compescunt, modò adducendo, modò diducendo nubes, ut per totum orbem, pluviæ dividi possint; segetem excitant, & latentem frugem ruptis velamentis suis, adaperiunt: arbores, plantas, & sata, fovent, ac vegetant: navigia propellunt &c.

Quænam necessitas & utilitas Meteororum?

IGNIS, nobilissimi Elementi quàm stupenda activitas! quàm inexplicabilis ac celerrima ejus multiplicabilitas! ex una scintilla, quantum incendium derepente exoriri potest! quanta verò ejus necessitas, illustriaq; commoda sint, audi Divum Basilium Homiliâ 3 Hexaëm: [Essentia ignis necessaria Universo, non solùm ad terrestrium rerum administrationem, sed ad ipsius etiam Universi totius integritatem; mutilum enim esset, si unum hoc ipsi maximè Elementorum omnium, opportunissimumq; deesset. Necessaria Mundo Natura ignis, non solùm, quia facultates omnes ac artes, quibus vita nostra subministratur, ac continetur, ad operationes exercendas suas, ignis egeant naturâ; texendi inquam, suendi, ædificandi, mulcendiq; ferri facultas,

Elementi ignis proprietates aliquæ & utilitates recensentur.

atq; agricultura: verùm etiam neq; stirpium pullulationes, neq; fructuum concoctiones, neq; animalium, aut terrestrium, aut aquatilium ortus, neq; alimenta etiam istorum ulla, aut initiò fuissent, aut tempore aliquo permansissent, si calor in ratione rerum non esset.] Hucusq; Divus Basilius. Accedit. Quòd beneficiô ignis, arcemus frigora, de nocte habemus lucem ad agendum, ad propulsanda adversa, ad dirigendos gressus, necessariam; habemus item in antris, speluncis, salis, & mineralium fodinis, diem. Imò terra, igne destituta periret, ideoq; subministrat Natura tam varios facilesq; modos, necessarium adeò Elementum excitandi, multaq; fomenta ad illud conservandum. Prætermitto. Quòd Magni nominis Philosophi & Patres aliqui, tradunt de Igne, sub concavo Lunæ existente, qui sine ullo pabulo conservatur. Prætermitto inquam: Magis enim probabilior videtur mihi illorum esse Opinio, qui censent, nullum ibi existere propriè ignē; sed in vastissimo illo spatio esse tantummodò ætherem, qui in substantia nihil est aliud, quàm ipsius partes aëris subtilissimæ; flamma autem ignis nostri, quòd semper sursum tendat, provenit id ab aëre graviore, qui halitum ejusdem sursum extrudit: Aër enim noster est vapidus & crassus, ignis autem est levior.

Ignis verus estne sub concavo Lunæ?

CAPUT IX.

De Causa productiva Plantarum.

Prima Propositio.

Plantæ non sunt Entia à se, seu sufficientia sibi Entia se solis ad esse. Nec sunt Entia producta à casu fortuito.

Plantæ sunt quid productū non à casu

PRima pars Propositionis constat: Tum ex plantarum intrinsecis imperfectionibus: Tum earum indigentia plurium ad suum esse & conservari: Tum ex earum pluralitate. 2da pars etiam Propositionis patet: Tum ex Propositione 2da: Tum, si casu fortuito sunt plantæ productæ: cur casu etiam non intereunt ita, ut nunquam ullæ renascantur? Tum quia impie Athee, non audes asserere, casu productam vestem, quâ operiris, vel calceamenta tua, & quâ fronte asseris plantas casu esse productas? Vide etiam dicta suprà Cap: 7. sub Propositione 3tia. 4ta,

2da Propositio.

Causa, quæ produxit Plantas, est Ens summæ Potentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis.

POtentia summa & Sapientia elucent, quòd innumeræ species herbarum, fruticum, suffruticum, & arborum, productæ sint: innumeraq; sit fructuum multiplicitas, inexplicabilisq; in iis, figurarum, colorum, saporum, aliarumq; qualitatum, proprietas. *Quæ species* (loquor verbis Sancti Ambrosii lib: 3. Hexaëmeron) *pleni agri, quis odor, quæ suavitas, quæ voluptas agricolarum? quis alius Artifex, præter Deum possit tantam rerum singularum exprimere venustatem- Quanta varietas arborum, quàm diversus in singulis & pulcher ornatus!* Omissis innumeris; quàm multicolor Rosa Sinica, quæ (ut scribit P. Kircherus in China illustrata folio 177.) arboribus innata, singulis diebus colorem bis mutat, purpureaq; modò tota, modò omninò candida evadit. Item Viola nocturna illa, quæ diversos pro solis ascensu aut descensu, colores ad sensum mutat: & quæ interdiu nullo odore pollet, exspirat autem noctu nobilissimum, gratissimumq; odorem. Quàm stupenda arboris illius, Sinicæ folia, quæ, si decerpta tangantur, moventur, & abeunt! ut refert Pater Schottus in Physica curiosa: propè finem.

Plantæ suâ inexplicabili varietate, constructione suarum partium, attractione alimenti, suô incrementô, aliisq; proprietatibus, testantur Deum esse.

Quàm admiranda & aptissima ac pernecessaria ad suos fines (nempe attractionem alimenti, ejusq; deductionem & fructificationem) in quacunq; planta, est constructio partium! Tolle radicem infixam terræ, tolle fibras, & poros, per omnes partes plantæ diffusos: jam nec attrahi alimentum (quod radice velut in terras ore demerso trahitur) nec attractum undiq; diffundi poterit. Tolle corticem, sustulisti munimentum arboris adversùs cæli intemperiem. Medulla utpote mollissimum quid, ne facilè corrumpatur, interiore semper sede reconditur, & ad extra, ligni firmitate tegitur; sine ramis, non esset (saltem ut plurimùm) fructuum multiplicitas, nec eorum sine foliis tutamen, decorq; arboris; nec sine fructibus forent plantarum plurimarum, perennitatis quædam seminaria. Dixi: *Ut plurimùm.* In China enim (teste Patre Kirchero & aliis) arbor est, dicta à Sinis: Po lo nie, quæ quamvis amplissimis foliis oneretur, nec fructum tamen, nec florem in iis fert ullum; sed in trunco producit cum tem-

pore fructum tuberoſum tantæ vaſtitatis, ut ſingulis portandis, ſinguli homines ſint neceſſarii, & vel unicus fructus, decem aut viginti hominibus ad comedendum ſufficiat: eum Sinæ nominant: Saccum melleis fructibus confectum: cùmq; rami tantæ moli ferendo non eſſent, providit Auctor Naturæ DEus, ut illi tam graves fructus, ex ſolidioris trunci ſubſtantia, educerentur. Similis huic arbor, quam, Papaya, Indi vocant: ex cujus trunci cortice, ſupernè, infernèq; erumpit unà cum floribus tuberoſus fructus. Porro inexplicabile, quantâ ſolertiâ proviſum eſt, ut cuncta vegetabilia, ſemine multiplicato, vel particulis à ſe ſuppeditatis, ex terra & aqua propagentur, ac reparentur. Quidni quæram rectè cum Sancto Clemente lib: 8. Recognit: *Quæ ratio, cui vel brevem ſenſum habenti, per irrationabilem Naturam, & non per divinam Sapientiam conſtare videbitur?*

Magnæ Potentiæ & Sapientiæ documentum. Quòd (ut ſapienter annotavit Divus Baſilius Homil. 5. Hexaëm.) una aqua lutoſa, ſeu terreus humor, per radices attracta, alio modo radices, alio caudicis corticem, alio lignum, alio medullam alit; eadem & folium fit, & in ramos, ſurculosq; dividitur, & incrementa frugibus præſtat; lacrymæ deniq; ſucciq; ſtirpis, eadem ex cauſa manant; quorum quantum ſit inter ſe diſcrimen, ac differentia, quis ratione conſequi poterit? Ab eodem rurſum humore in vite quidem, vinum: in olea, oleum emergit; atq; non ſolùm id mirabile eſſe videtur, quô pactô, idem penitus humor, hic quidem dulcis evaſit, ibi autem pinguis eſt factus; verùm etiam illud in dulcibus ipſis, inquam, fructibus, qualitatis varietatem ejusdem inenarrabilem eſſe. Quot præterea differentiæ ſunt colorum! eandem in pratis aquam conſpexeris, hoc in flore, rubeſcentem; in alio, purpuream; in hoc, cœruleam; in alio, pallidam. Quin & longè plures odorum differentias offerentem inveneris, quàm ſint ipſæ varietates differentiæq; colorum.

Quanta miracula ſunt! (exclamat Sanctus Ambroſius lib: 3. Hexaëmeron) ſi ſpectes, quemadmodum jacta in terram ſemina, reſolvantur, ac niſi mortua fuerint, nullum fructum afferant; ſi verò fuerint quadam ſui morte reſoluta, in uberiores fructus reſurgant, & quidem tam multiplices; ut ex uno grano frumenti, enaſcantur centum quandoq; grana; imò in quibusdam partibus etiam quingenta.

Quis

Quis explicare valet, in tanta unius grani parvitate, & nulla sui dissimilitudine, ubi latet ligni duritia, & lignô tenerior medulla, asperitas corticis, viriditas radicis, sapor fructuum, suavitas odorum, diversitas colorum, mollities foliorum?

Quis item explicare sufficienter queat, quàm mirabiliter ex crassiori (ut docetur à P. Kirchero in Itinerarii 2di, Dialogo 2. cap: 4. & aliis) alimenti parte, corpus exterius ac visibile plantæ fiat; nempe scapus, cortex, ramus, ex subtilioribus verò effluviis, in crassiori sedimento existentibus, fiant flores & folia: ac ex foliorum, florumq; subtilioribus partibus, fiat fructus: ex hujus tenuioribus partibus tandem semen fiat: in cujus medio, veluti in corpusculi centro, latitat vis illa spermatica verè admiranda, & ipsa anima vegetabilis; arbor scilicet virtualis, cum radicibus, trunco, ramis, foliis, floribus, fructibus, quibus tota vegetabilium substantia componitur.

Quis Divinæ Potentiæ & Sapientiæ magnitudinem non agnoscat? quòd tam exiguæ portioni, quæ vix octo millesimam ducentesimam, seminis partem æquat, tanta ad simile sibi producendum facultas indita sit; & quæ vix atomi quantitatem ad spermaticum suum corpus comparata, exæquat, in præamplas tamen enascatur plantas, & arbores. Tilia Neostadiana ad Cocharum fluvium (ut refert Schottus) tam ampla est, ut circumferentia ipsius trunci sit pedum 27: digitorum 4: ambitus ramorum, pedum ferè 43. Ficus Indica tam ampla est, ut terna hominum millia, sub illa arbore latere possint. In Brasilia arbores sunt tantæ crassitiei, ut sexdecim viri, protensis manibus unam arborem complecti nequeant: item tantæ magnitudinis, ut in earum cavitatibus, domus ædificentur: intus quoq; convivia celebrentur, magno barbarorum numero. Visi etiam Pepones, plùs quàm centum librarum.

Tilia Neostadiana, & Ficus Indica, item arbores in Brasilia quantæ amplitudinis!

Sapientia summa elucet, quòd (ut cum pluribus advertit Sanctus Isidorus Pelusiota lib: 3. Epist: 170) non uno eodemq; tempore, frumentum & vinum, & oleum, & poma, variiq; flores existant: Verùm prata quidem antecedant, sequantur autem segetes, quas deinde vinea excipiat, ac deniq; agricolam ad oleam racemus transmittat. Anni videlicet partibus, tanquam optimum quendam chorum agitantibus, ac per temporis longinquitatem, agricolam recreantibus. Nam si cun-

si cuncta confestim ad vigorem suum pervenirent, perfectò agricolæ industria, ob temporis brevitatem in angustias adduceretur, atq; omnia corrumperentur, & interirent, quòd ille, uno eodemq; tempore colligendis & comportandis omnibus rebus, minimè par esset. Benè Regius Psaltes cecinit Psal: 144. de DEo: *Dat escam in tempore opportuno.*

Sapientia item elucet, quòd (verba sunt Sancti Basilii Homiliâ 5. Hexäem:) genibus præcingantur culmi frumenti, ut illis veluti quibusdam vinculis corroborati, spicarum facilè pondus ferant, atq; sustineant, cùm plenæ jam fructuum, gravidæq; , ad humum suo pondere inclinant; propterea avena quidem inanis atq; vacua tota est, quòd nullo prorsus culminis pondere premitur: frumentum autem, natura, seu clariùs Naturæ Auctor, geniculatô culmô confirmâsse videtur; in theca verò granum recondidit, ne sit exposita frugilegis præda; insuper & aristarum vallô, veluti telis objectis, contra animalculorum morsum munivit. Quarum plantarum rami prolixiores sunt porrecti latê per äerem, earum & radices porfundiores sunt, & circumquaq; latè etiam diffunduntur; perinde, quasi natura, fundamenta quædam, respondentia superiorum ponderibus, subjecisset. Quarum stirpium molliusculi sunt fructus, earum folia veluti tutiora quædam opercula crassiuscula sunt; quarum duriusculi sunt, eæ, tenuiores, levioresq; obtinent frondes; illud in ficis; hoc in nucibus, intueri licet. Nihil fit prorsus præter certam rationem, nihil temerè agitur. Omnia in se se latentem, admirabilemq; Sapientiam habent. Hæc S. Basilius. Similia habet Divus Ambrosius lib: 3tio Hexäemeron, cap: 14.

Bonitas Divina in plantis relucet.

Bonitatis summæ documenta aliqua, innuo ex Sancto Ambrosio lib: 3. Hexäemeron. Nihil inane germinat terra, alia esui, alia potui, alia, alii nascuntur usui. Nihil vacat. Quod tibi putas inutile, aliis utile est; imò ipsi tibi frequenter, alio est usu utile; quod escam non adjuvat, medicinam suggerit; & sæpè eadem, quæ tibi noxia sunt, avibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Quid enumerem succos herbarum salubres? Quid virgultorum, ac foliorum remedia? Cervus æger, ramusculos oleæ mandit, & sanus fit; locustas quoq;, folia oleæ arrosa, liberant ab ægritudine; rubi folia, superjacta ser-

pen-

penti, interimunt eum; culices non tangent te, si absinthii herbam cum oleo coquas, & illo te perunxeris. Herba Cha, vel Cia, vel Te, caput ab omni vaporum fuligine liberat, adeo, ut (teste Kirchero in China illustrata) Viris literatis, nec non magnâ negotiorum mole distentis ad vigilias continuandas, nobilius, aptiusq; remedium à Natura non concessum videatur. Herba Quei comesta, risum & lætitiam parit, tristitiâ expulsâ. Indi beneficio herbæ Coca, ore gestatæ, famem repellunt. &c.

Patris Kircheri judicium de herba Te.

CAPUT X.

De Causa productiva Animalium.

Prima Propositio.

Animalia non sunt Entia à se, nec à casu fortuito producta.

PAtet ex iis, quæ dicta sunt Capite 7mo sub Propositione 4ta. & Capite 9. sub Præpositione 1ma: item ex Probatione Propositionis sequentis.

2da Propositio.

Causa productiva animantium, Ens est summæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis.

Recensentur summæ Potentiæ & Sapientiæ plurima documenta necnon Bonitatis, quæ relucent in Animantibus.

PRæter structuram corporis cujusvis animalis, quò ad organa sensuum, viscera, nervos, aliasq; partes, planè admirandam (ut constabit aliquomodo ex dicendis infrà Cap: 11. de Structura hominis: præter inquam hæc, aliaq; innumera) summam Potentiam ac Sapientiam declarant hæc. * Quòd multiplex genus Animalium sit productum, nempe Quadrupedum, Volucrum, Aquatilium & Insectorum; ac in singulis generibus, tot, quò ad magnitudinem, formam, mores, colores, motus, vocem, ciborum sumptionem, locorum inhabitationem, & quò ad alias actiones, accidentia, & circumstantias, tot inquam, Species diversæ. Piscium quidem species, vult Oppianus Cilix, Pöeta doctissimus (ut refert Sanctus Hieronymus in Ezechielis Caput 47.) esse 153, ejusq; opinionem videtur approbare. Plinius libro 9. Nat: Hist: cap. 14. & lib: 32 cap: 11. dicit: Aquatilium esse 176 genera: Piscium verò 74. species; præter crustis intecta, quæ sunt 30.

** Quot genera & ſpecies Animantiũ*

Sanctus Iſidorus lib: 12. Ethim. cap: 6. aſſerit, diſtinctas Aquatilium ſpecies, reperiri 144. Arias Montanus, perfectorum Animantium ſpecies, cenſet eſſe 150; Serpentium verò & reptilium ſpecies, ſentit Pererius eſſe 25. Geſnerus & Aldrovandus opinatur, avium ſpecies eſſe ferè 150. Verùm rectiùs Divus Ambroſius lib: 5. Haxaëmeron ait: *Quàm multæ ſint ſpecies, & nomina Piſcium, non poſſumus enarrare; - - Genera Avium quis poteſt memoriâ aut cogitatione comprehendere?* Idem pari ratione dicendum de terreſtribus Animalibus; præſertim cùm in Indiis, aliiſq; terris antea ignotis, reperiantur nova ſemper, antea incognita animantia. Certè, Veteribus, unum tantùm genus Pſittacorum fuit cognitum; nunc verò, poſt novum Orbem, in quo eſt magna eorum copia, detectum, ſupra centenas, colore ac magnitudine inter ſe differentes ſpecies Pſittacorum, ſunt repertæ; Ut refert Schottus in ſua Phyſica lib: 9. In tanta tamen varietate Animantium, Illud commentum DEI mirabile, quòd (ut obſervat Lactantius lib: de Opificio DEI, cap: 7.) una diſpoſitio & unus habitus, innumerabiles animantium præferat varietates. Nam in omnibus ferè, quæ ſpirant, eadem ſeries & ordo membrorum eſt; imum enim caput, & huic annexa cervix: item collo, pectus adjunctum, & ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter; item ventri ſubnexa genitalia, ultimo loco femora, pedeſq;. Nec ſolùm membra, ſuum tenorem ac ſitum in omnibus ſervant, ſed etiam partes membrorum; nam in uno capite ipſo, certam ſedem poſſident aures: certam oculi, nares item, os quoq;, & in ore dentes & in lingua: Quæ omnia, cùm ſint eadem in omnibus Animantibus, tamen infinita & multiplex diverſitas figurarum eſt, quòd ea, quæ dixi, aut productiora, aut contractiora lineamentis variè differentibus comprehenſa ſunt. Illud etiam commentum DEI mirabile, quòd eadem ſemper in animantibus ejuſdem ſpeciei, ſit corporum & partium proportio; iidẽ ferè etiam colores; licèt ſæpè variè intermiſti. Mirabile item, quòd ex parvo Animantis ſemine, nullam ferè diſſimilitudinem partium præferente, fiat tanta diverſitas partium; ut caro, oſſa, nervi, viſcera, &c: fiant & ingentis quoq; etiam vaſtitatis belluæ. Plinius enim lib: 32. Natur: Hiſt. cap: 1. ſcribit: Cetos, ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum pedum, latitudinis eſſe. Sanctus Baſilius Homiliâ

Cetorum & avium

miliâ 7, Hexaëm: dicit, quòd Cete, cùm ad summam aquæ superficiem enatârint, instar Insularum sæpenumero apparent. Albertus Magnus lib: 24. Cap: de Ceto refert, cavitatem oculorum ceti, tantam esse, ut quindecim, ac etiam viginti homines capiat; & os tam amplum, ut, dum spirat, & aquam ex fistulis evomit, integras aliquando naviculas impleat, ac submergat. Elephantus item, plùs carnis habet, quàm quinq; nostrates boves. Paulus Venetus scribit, se ultra Madagascar, de bipede ave, Ruc dicta, sæpè ab incolis illis audisse, quòd alas tantas habeat, ut pennæ, duodecim passus longæ sint; ipsa autem tam fortis, ut Elephantum elevet in altum, & asportet, deinde cadere sinat, ut mortui carne vescatur. Aldrovandus quoq; narrat, in Æthiopia aquilas, tantas esse, ut bovem, vel equum integrum, pedibus abripiant. Vide Cornelium à Lapide in Cap: 11. Levitici, versu 13. Porro hæc omnia ortum habent de semine exiguo, in quo tota illa symmetria, tantorum corporum latet. Nec minus Commentum mirabile Potentiæ & Sapientiæ relucet in parvis Animalculis: imò videtur quodammodo majus relucere. [In magnis siquidem (ut ait Plinius lib: 11. cap: 2.) corporibus, aut certè majoribus, facilis officina sequaci materia fuit. In his tam parvis, atq; tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio! Ubi tot sensus collocavit in culice? (& in aliis longè adhuc minoribus Animantibus) ubi visum in eo prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? quâ subtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura, disposuit jejunam caveam, uti alvum? avidam sanguinis & potissimi humani sitim accendit? telum verò perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio? - Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit?] Hæc Plinius.

quarundã magnitudo stupenda.

Eximia item Potentiæ ac Sapientiæ documenta hæc: Quòd tot specie diversis, & in individuo innumeris animantibus, provisum sit de proportionato tantæ multitudini, & tam diversæ eorundem inclinationi, pabulo. Quòd nulla, per tot millia annorum, species interierit, licèt aliquibus illarum, valentiores plurimi, bellum perpetuò inferant; sic Aquilæ, corvi, mustelæ, vulpes, canes, & homines, necem leporibus inferunt; Ovibus lupi, &c. Quòd singulæ species terre-

ſtrium & volatilium, diverſâ voce inſtructæ ſint. Quòd Animantibus illis (ut obſervavit Plato in Protagora: & lib: de Officiis cap. 2. ac alii) quæ ſolent eſſe præda majoribus, & frequentiori interitûs periculo ſubjacent, data ſit copioſa generandi fæcunditas ad conſervationem ſpeciei; è contrà rapaci Animantium generi, exigua quædam ſeminis propagandi conceſſa facultas. 1mum patet in fæcunditate ovium, leporum, &c: lepores enim concipiunt ac pariunt quovis ferè anni tempore, & intra exiguum tempus, mirum in modum multiplicantur; 2dum patet ex paucitate leonum, trigridum, aquilarum, vulturum. Quòd minimis animalculis, ut api, formicæ, araneæ, bombyci, &c: plùs prudentiæ, ſolertiæ, ac induſtriæ largitus eſt Naturæ Auctor, ad virium corporearum ſarciendum defectum, quàm multis grandioribus animantibus.

Sapientia inſignis relucet, quòd unaquæq; Animantium ſpecies, habeat corpus Naturæ ſuæ peridoneum, ad ſuasq; naturales functiones exercendas, accommodatum; ut multa Inductione probat Divus Baſilius Homiliâ 8. & 9. Hexaëmeron. Ex illo aliqua innuo. Quæ carnibus veſcuntur volatilia, iis alia eſt compoſitio, atq; forma, modo victûs ipſarum accommodata; ungues his inſunt adunci, acuti, & roſtrum ſimili modo, celeritasq; volatûs atq; pernicitas, ut facilè præda capiatur, diſtractaq; atq; dilaniata, prædatori pabulum fiat. Si volucres eas, quæ gaudent aquis, conſpexeris, diverſam ab aliis, in iis compoſitionem inveneris: namq; pedes non fiſſos, ut cornicis; non uncos, velut earum avium, quæ carnibus veſci ſolent, ſed latos, atq; membraneos obtinent; ideò ſanè, ut commodiùs fluitare ſuper aquas, natareq; poſſent; pedum membranis, perinde, atq; remis diſpellentes humorem. Sin item animadverteris, ut olor (anſer, anas) in profundum immiſsô collô, ex imo ſibi cibum exhauriat; apertè tunc Creatoris inſpexeris Sapientiam, comperiesq; porrectius collum, quàm ſint pedes, ideò Opificem adjunxiſſe, ut illud perinde, atq; lineam piſcatoriam, ipſe deducens in altum, occultum inde pabulum conſequatur. Vehemens eſt panthera, & ad impetus faciendos propenſa, pernixq;; atq; idoneum ipſi eſt corpus, humilitate ac levitate ad animi motiones, agitationesq; ſubminiſtrandas. Pigerrima eſt Urſæ Natura, ſolitaria, ingenii occulti, ac profundi; ſimile ſanè corpus &

ipſam

ipsam ambit, grave compactum, indistrictum, accommodatum se se occultandi feræ pergelidæ. Carnivoris animalibus acutos præstitit dentes; est enim talibus opus ad alimenti talis formam, atq; naturam; quæ verò non utrinq; dentibus armata sunt, iis numerosa conceptacula, compluresq; meritò, variasq; pabuli cellulas exstruxisse videtur. Collum prolixum Camelus obtinet, quô par sit pedibus, & eam, quâ vescitur, herbam attingere valeat. Quid sibi vult proboscis Elephanto? quoniam molis hoc animal maximum, huic si grande, pro rata membrorum inferiorum, pedumq; ratione, collum adjunctum fuisset, inattrectabile penitus esset, exsuperante pondere semper ad humum vergens; nunc autem caput quidem per colli admodùm paucas vertebras cum spina conjungitur, proboscidem autem habet, officium subeuntem, munusq; colli, quâ, planè tam pabulum sumere, quàm potum etiam exhaurire solet. Non solùm autem in tam magnis animantibus, verùm & in parvis, minimisq;, immensam inspicere DEI Sapientiam nobis, admirariq; licet. Non Elephantem admirari potiùs consuevi, propter tantùm magnitudinis fastum, quàm soricem, qui formidolosus est Elephanto; aut scorpii tenuissimam partem, aculeum inquam, quem cavum perinde, atque fistulam, Artifex Universi, quô virus per ipsum ictis infundatur, atque imprimatur, exstruxit.

Sapientia elucet, quòd nascituro pecori (ut ait Sanctus Clemens lib: 8. Recognit.) lac præparatur in uberibus, ac statim ut natum fuerit, nullo docente, scit ubi alimoniæ suæ horrea requirat. Gignuntur autem non solùm mares, sed & fœminæ, ut ex utroq; possit rursus constare posteritas, inditaq; iis cupido gignendi, ne species intereant. Quòd (ut dicit Sanctus Ambrosius lib: 6. Hexaëmeron) & si pastor erret in discretione ovium, agniculus in discretione matris, nesciat errare: agniculus balatu frequenti, absentem matrem citat, ut responsuræ vocem excitet, multis licèt versetur in millibus ovium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem; illa quoque inter multa agniculorum millia, solum filium tacitô pietatis testimoniô recognoscit. Quòd ea animalia, quæ sunt nobis perutilia, ut, oves, boves, fecerit mansueta; animantibusq; quemadmodum vita eorum tutior esset, ante provisum est. Omnes enim (ut notavit priùs etiam Lactantius libro de

Opificio DEI, cap: 2.) suis ex se pellibus tecta sunt, quò faciliùs possent vim pruinarum & frigora sustinere: Singulis autem generibus, ad propulsandos impetus externos, sua propria munimenta constituta sunt; ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus; aut, quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis, pernicitate fugiendi; aut quæ simul & viribus & celeritate indigent, astu se protegant, aut latibulis sepiant. Itaq; alia eorum, velut plumis levibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta ungulis: vel instructa cornibus: quibusdam in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci ungues; nulliq; munimentum ad tutelam sui deest. Aliis ad tutelam sui datum est robur in calcibus: aliis spiculum in cauda, vel ore; aliis data ad præsidium sui durities testæ, vel spinosa cutis, aut perniciosus afflatus.

In Avium efformatione insignis Sapientia relucet.

In Avium efformatione elucet Sapientia, præter dicta suprà. Illæ enim, (ut notavit cum multis, Pater Lessius lib: 1. de Providentia) Minuto sunt capite; & in rostrum acuminato, quò faciliùs àërem findant; pedibus aduncis, ad ramusculos arborum, quibus insident, complectendos; plumis aversis, ne obsint volatui; quæ inter volandum, ita corpori applicantur, ut àër minimè subintret: alæ levissimæ, & ita conformatæ, ut facillimè explicari ad volatum, & rursus contrahi possint, molli cavitate idoneæ ad àërem in motu colligendũ, & in quiete ad corpus decorè, arctèq; tegendum; non habent plumas & alas sursum erectas, aliàs enim contra ventum sibi contrarium, volare, saltem commodè non possent; caudâ, quasi clavô nauticô, volatum suum adæquant & regunt. Quàm dulcisonus & artificiosus multarum Avium cantus! quàm ingeniosa modulatio, quàm sonoræ earum in pectore lyræ! Quàm floridus in multis plumarum & pennarum ornatus! Pavonis pluma vestis multicolor (ut loquitur Tertullianus lib: de Pallio) & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia: toties deniq; mutanda, quoties movenda: quoddam ver florum exhibet: imò Pavonis pennis, & plumis, nulla, potestis (alloquitur S. Augustinus Manichæos lib: 2. de Manich: cap: 16. (vestita floribus prata conferre. Avicula etiam Americana (ut refert Bisselius, Argon: Amer. lib: 14. num: 6.) magnitudinem gryllorum habens, quidquid oculus trahit colorum, id omne

supra Pavonum & Iridis varietatem, in illo volucris breviario, Auctor Naturæ miscuit. Porrò tanta diversitas colorum, & partium, in quovis animante, mirabiliter augetur ex introsumptione alimenti, ad illos colores, ac partes, similitudinem non habentis.

In Piscium formatione elucet Sapientia; illi enim, utpote magnam cum Avibus agnationem habentes, non incongruè vocari possunt: *Aves aquatiles:* & Aves, è converso: *Pisces áërei.* Nam, ut benè ait S. Ambrosius lib: 5. Hexaëmeron cap: 14. Volandi usus, species est natandi; sicut enim aquam, natando piscis incidit: ita avis áërem volatu celeri secat: atq; utriq; generi similiter cauda suppetit, alarumque remigium, ut pisces ad priora se alis subrigant, atq; ad ulteriora procedant; caudæ quoq; gubernaculô, vel quò velint, se facilè gubernant: vel impetu quodam è regione iter suum dirigant: aves quoque áëri, volatibus suis, velut aquis innatant. Quod in avibus sunt plumæ, hoc in piscibus sunt squammæ; quas aversas habent, ne obsint natatui; quod in iis, pennæ: hoc in his sunt pinnæ: quas habent ad ventrem, alii binas, alii quaternas, aut plures: in dorso insuper pinnam, instar membranæ productam gerunt; ut proni natent. Tolle branchias, vel eas, ne instar follium attolli possint, occlude, suffocabitur piscis; illis enim emittitur aqua, tam ea, quæ hauritur ad cordis refrigerium, quàm quæ influit, dum esca capitur. In Balænis, cetis, delphinis, locò branchiarum, efformavit Auctor Naturæ, fistulas, vel foramina, quibus illa aqua emittitur; efformavit item in illis pulmonem, ut áërem attrahere, aliorumq; sanguineorum more, spirare possint, cùm ad refrigerationem eorundem, sola aqua non sufficiat, iis, utpote ob sanguinis ubertatem, calidioribus. Non ut bos, aut ovis (advertit Divus Ambrosius lib: 5. Heaëm: cap: 5.) ex una parte dentes habent pisces, sed utraq; pars armata est dentibus; quia in aqua sunt, & si diutiùs cibum versarent, & non citò admitterent, aquarum alluvione de dentibus illorum, esca posset auferri, ac dilui; idcirco densos & acutos habent, ut citò incidant, citò conficiant cibum, facilè & sine aliqua mora, & sine dilatione transmittant. Caput plerisq; angustum, quò faciliùs aquam dividant; oculos habent immotos, quia degunt in Elemento, ubi minùs sunt offensionibus obnoxii. Siquidem pisces statim natare incipiunt, indigent,

Necnon in Piscium.

gent, ut dirigantur; quare & formationes piscium incipiunt ab oculis. Ceto, cùm sit visus hebetior, ideo ipsi (ut multi tradunt) Natura Prima, tribuit pisciculum oblongum, cui nomen, musculus, tanquam ducem praeeuntem, ejusq; est quasi oculus, ac monitor, cibum monstrans, vada, & pericula cavenda indicans.

Bonitatis Divinæ documenta in productione animantium.

Bonitatem demum Primò Principalis Causæ productivæ animantium, patenter demonstrant pleraq; ex suprà dictis: nempe, Conservatio specierum; Provisio alimenti, & mediorum ad sui tutelam; Efformatio peridonea corporis &c. Insuper demonstratur eadem Bonitas ex eo; quòd animantia, non solùm Moschifera, Bezoárdica, sed omnia, nostris usibus destinata sint; alia enim nos pascunt (imò & quarundam avium ipsimet nidi, in mensarum deliciis sunt apud Sinas) alia vestiunt, alia recreant, alia sanant, vel sanitatis præsidia afferunt; alia ad imitationem & exemplum conducunt. Unde dicitur Proverb: cap: 6. Vade ad formicam ò piger. Documenta item Bonitatis eximiæ, inter innumera, accipe hæc: Longè pauciora sunt venenata, & noxia animalia, quàm innoxia: hominiq; adversùs noxia, tot præsidia collata sunt. Non ad multos menses durant pulices, culices, muscæ, vixq; ulla insecta excedunt annum; apes autem, utpote multùm proficuæ hominibus, ad septimum usq; vivunt annum. Locustæ pariunt in exitu veris, & mox à partu moriuntur: vermiculis circa collum innascentibus tempore partûs, qui eas strangulant: ut refert Cornelius à Lapide in Isaiæ Caput 40. v. 22. Omnes lupæ, intra duodecim dies pariunt; nimirum, quòd toto anno, non ampliùs, quàm decem dies coëunt; & sues agrestes, semel tantùm quot annis coëunt; domesticæ tamen sæpè. Teste Aristotele lib: 9. Histor: Animal. cap: 34. providit natura avem, cui Fulica, nomen est; dicitur, & Ossifraga, ac græcè φηνη: hæc, postquam aquila nidô pullos suos ejecit, illa, ejectos non sinit perire, sed excipit, ac unà cum suis educat pullis. Seps serpens parvus tabificus, cæcus est, aliàs noceret plurimùm Adversùs Basiliscum, producta Mustela, quæ tantâ vi contra Basiliscum pollet, quantâ ille contra homines: ut scribit Nierembergius lib: 6. Nat: Histor. cap: 20. Idem refert lib: 1. Theopolitici cap: 11, quòd Bojuningo serpenti virulentissimo, crepitaculum appensum est, ut proximi admoneretur periculi. Tigrides Bengalæ, incredibilis

dibilis odii ac noxæ, habent comitem Peram animalculum, quod latratu instantem feram indicat, ut caveant. Tigridibus item indidit Bonitas Auctoris Naturæ instinctum validum, & efficacem, ut, dum se conferunt ad bibendum in Gange, vel aliquo alio fluvio, id faciant ore admoto ad secundum fluminis cursum, nunquam ex adverso; nec unquam bibant ex lacu, aut fossis, aquis immotis, ne aqua pilorum venenô infecta, sibi ipsis interitum causent: Tigrides enim circa labra, prælongos emittunt pilos, quos adeo venenosos experientia docuit, ut, si quispiam sive homo, sive ipsamet bellua, illorum vel unicum, incautiùs susceperit, irremediabili sui ipsius toxicô intereat. ut refert Pater Kircherus in China illustrata fol. 82.

Audio jam (verbis utor Divi Ambrosii lib: 6. Hexaëm: cap: 2.) aliquos insusurrare dicentes: Quamdiu aliena discimus, & nostra nescimus? quamdiu de reliquis animantibus (Plantis, Elementis, Corporibus cælestibus) docemur scientiam, & nosmet ipsos ignoramus? illud dicatur, quod mihi prosit, unde me ipsum noverim. Ex hominis etiam structura faciliùs adhuc haberi potest notitia DEI. Sit ergo.

CAPUT XI.

De Causa productiva Hominis, & ejus Anima.

Prima Propositio.

Homo non est à casu fortuito.

PRæter dicta superiùs, ubi demonstratum est, Corpora cælestia, plantas, animalia, non esse à casu fortuito, nec esse à se; ad demonstrandam veritatem Propositionis hujus, adjicio ista. Lactantius (quem Divus Hieronymus appellat, Christianum Tullium) lib: de Ira DEI, cap: 10. ait: [Simulacrum hominis & statuam, Ratio & ars fingit: ipsum hominem de frustis temerè concurrentibus fieri putabimus? & quid simile veritatis in ficto? cùm summum & excellens artificium nihil aliud, nisi umbram & extrema corporis lineamenta possit imitari- quisquamne igitur sanus existimat, quod homo ratione & consiliô facere non potest, id concursu atomorum passim cohæren-

Demonstratur, Hominem non à casu productum.

,hærentium perfici potuisse? Vides in quæ deliramenta inciderunt, ,dum nolunt effectionem, curamq; rerum, DEO dare.] Fertur, Albertum Magnum, statuam, hominis formâ exstruxisse, quæ libramentis ac rotis intus latentibus, articulata quædam verba pronuntiabat; hanc statuam, Divus Thomas Aquinas, ab Alberto missus ad conclave, ubi illa latebat; cùm audisset loquentem, perterrefactus, machinam fuste contrivit: at post interrogatus, cùm dixisset, se statuam confregisse, exclamavit Albertus: Opus triginta annorum destruxisti. Statua illa, tam diuturno labore, à tanto Viro, non casu aliquo confecta fuit; & ipsum hominem, vivum, intellectivum, casu confectum credemus? hominem inquam, qui teste Aristotele lib: 6: Ethic: cap: 6. *Est rerum omnium, quæ in mundo sunt; una omnium præstantissima.* teste verò Pythagora, *est omnium Mensura*; ex hominis enim fabrica, tanquam perfectissimo naturæ ædificio, sumpta est omnis Architectonicæ symmetria; ut docet veterum Architectorum præstantissimus, Vitruvius lib: 3. suæ Architect: cap: 1. & alii. Unde ad commensurationem humani corporis facta est & Arca Nòë: ut ostendit Divus Augustinus lib: 15. de Civit: cap: 26to: Salomonis quoq; templum exstructum: ut demonstrat Pater Vilalpandus; pluraq; quàm centum millia proportionum, in solius hominis fabrica consideranda veniunt; ut cum pluribus notavit Pater Lessius lib: 1. de Providentia num: 36. Hominemnè casu factum censebimus, qui est μικροκοσμος, Mundi majoris Breviarium; totius enim Universitatis summam in se aliquomodo continet, estq; quoddam velut conclave naturæ; est enim in illo mixtum ex Elementis corpus: vita stirpium: brutorum animantium sensus: Angelicæ mentis, propter intelligendi vim, participatio. Quem, ob Naturæ Majestatem, Sapientissimi quiq; Ægyptiorum, meritò appellârunt, Miraculum Miraculorum: quibus consonat S. Augustinus Homiliâ 37, ex 50. inquiens: *Miratur alia homo, cùm sit ipse mirator, magnum miraculum.* Porrò quàm magnum sit miraculum homo, Probatio sequentis Propositionis manifestat.

2da Propositio.

Causa productiva hominis est Ens summæ Potentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis.

DOcumenta Omnipotentiæ ac Sapientiæ, inter alia innumera, sunt hæc: Ex parva gutta ferè homogenea humani seminis, conjecta in Naturæ officinam, consurgit tam excellens fabrica hominis, cum tanta diversitate partium, & numerasitate! illarum nutrimentum & augmentum, ex introsumptione & concoctione multiplici, quàm mirabile! Concurrunt quidem Parentes ad generationem prolis, semen ortûs jacientes: verùm quis edocuit matrem, ex injecto semine, per commutandi vim infantilia membra formare? quis tot ossâ, tot mirîs conjuncturis inter se arctè conjunxit? tot nervos, omnis motûs fortes ministros, toto corpusculo infantis, tam opportunè ac sapientissimè distendit? quis tot venas sangvinis, ad omnes partes diduxit? tam stupenda ad sensationes toto corpusculô effodiendas posuit organa? quis ossâ, nervos, venas, viscera, carnem, sanguinem, aliasq; partes & membra ita colligavit, ut cùm diversa corpori videantur præbere officia, in tantam tamen complexionis gratiam conveniant, ut omnia sibi necessaria, omnia probentur accommoda. Nihil enim in homine membrorum est, quod non & necessitatis causâ sit, & decoris. Quis inquam hæc efficere potuit, nisi Ens summæ Potentiæ & Sapientiæ? Rectè illa Mulier, repleta sapientiâ & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad filios suos, 2. Machab: 7. „Nescio, qualiter in utero meo apparuistis: neq; enim ego spiritum „& animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego „ipsa compegi: Sed enim Mundi Creator, qui formavit hominis na-„tivitatem, quiq; omnium invenit originem & spiritum, vobis iterum „reddet cum misericordia & vitam.

Fabrica humani corporis quàm excellens!

Caput, reliquis membris eminet, tanquam Cælum elementis; Arx, urbis mæniis: ex octo frustis seu ossibus constat: tum ut tutius esset (parte enim fractâ, non est necesse totum vitiari) tum ut fuliginosa excrementa commodiùs evaporare possint, & venæ ingredi; ossâ illa octo, suturis tenuissimis conjuncta sunt, ut firmiùs contineantur, ne evanescat calor cerebri, frigoriq; aditus minùs pateat, ac

Capitis structura admiranda.

major ſit, tali ratione, ſecuritas cerebri. Capilli capitis, nos defendunt à ſole, & à pluviis tegunt, friguſq; arcent. Mollius eſt cæteris cerebrum, quia omnes ſuſcipit ſenſus: eò enim nervi referunt univerſa, quæ vel oculus viderit; vel auris audierit: vel odor inhalaverit: vel lingua increpuerit: vel os, ſaporis acceperit: ut dicit Sanctus Ambroſius, ac Philoſophia docet. Membrana cerebri tenuiſſima, ne cerebrum gravitate lædat: duriſſima item; ut dilabi ſubſtantiam, in concuſſionibus illius, non patiatur.

Item Cerebri.

Nec non oculorum.

In Oculis, ut in puriſſimæ Naturæ ſpeculo, quivis facilè, ſummam Potentiam & Sapientiam cernere poteſt illius Opificis, qui tantam in fronte exſtruxit ſpeculam. In antrum quoddam ac veluti ſinuoſam vallem retruſi cernuntur oculi, quô & eorum ſecuritati provideatur, & minori Naturæ diſpendio, ſpiritus ac ſpecies viſibiles, diſſipentur, ſicq; collecta virtus ſit fortior: unde & homines habentes profundos oculos, acutiùs ac longinquiùs vident, quàm qui habent oculos prominentes. Quin ut extrinſecus, irruentibus injuriis, minus ſint obnoxii, oſſibus undequaq; & palpebris quaſi propriis ſepimentis ſunt obvallati; palpebræ enim ſunt poſitæ contra improviſos luminis, fumi, ac pulveris incurſus, juvantq; ad rectam directionem radiorum viſualium, & ut ad libitum videret oculus, quæ & quando vellet. Pilis, tanquam telis & haſtilibus, muniuntur, quibus cilii nomen impoſitum, quo pulviſculorum, feſtucarumq; damna arceantur, ac excludantur in volatu culices, aliaq; inſecta; ſupercilia verò ſunt, ut tectum quoddam, quæ defluentem à fronte ſudorem excipiant, & ad tempora transmittant. Duo collati ſunt oculi: cùm enim viſus ſit maximè neceſſarius homini, proviſum eſt, ut, ſi unus lædatur vel deſtruatur, alter eidem ſufficienter inſerviat. Rotunda eſt eorum figura: hæc enim maximè eſt ad motum idonea, & minùs læſioni obnoxia. Magnitudo eorum tanta eſt, quanta ad rerum imagines ſufficit: natura tota eſt humida, mollis, lubrica, ſplendens, perlucida, ut celeriùs rerum omnium colores ac imagines, excipiat. Tota oculi fabrica conſtat ex nervo optico, ſeptem tunicis, tribus humoribus, ſeptem muſculis; quorum unus movet oculum ſurſum; alter deorſum; tertius ad dextram; quartus ad ſiniſtram; quintus & ſextus oculum circumagit; ſeptimus eundem ſuſtentat, ut obtutum figat: conſtat

venis

venis & arteriolis quàm plurimis, copiosôq; adipe, quô tanquam lanâ obvolutus oculus, mollius intra suam orbitam recumbat, ac faciliùs moveri possit. Portento simile est, quòd uno corpusculo, aptissimè, tam varii generis particulæ conclusæ sint. Quòd tam distantia objecta, tam celeriter, sine ullo labore; & propinqua objecta, tam exquisitè attingat: quodve in illo, sine ulla confusione, concentrentur species tot objectorum. Quòd sit index internorum animi affectuum, ac morum. Quòd illi provisa sint omnia necessaria ad videndum: nempe lumen, objectum coloratum, & specierum diffusio.

Auris tympanum, nonne clarè personat sapientissimum suum Architectum? Auditûs infimam sedem ambiunt tria ossa tenuia (ut ex communi Physicorum sensu & experientia, docet Comptonus) unum instar incudis, alterum instar malleoli, tertium ad formam stapedis. His vicina est membrana, per quandam cavitatis illius partem transversa, quam tympanum vocitant: Et ut ad oculos, ita ad aures, nervi à cerebro derivantur; ut spiritus animales, ad eas deferant, & ut cerebrum vicissim, per eas, species rerum ab auribus recipiat: Auditus ipse consistit in materia quadam fluida, & subtilissima, instar aëris purissimi, quæ sita est in imo tortuosi cujusdam tractûs instar labyrinthi, qui per varios flexus, eò tandem ducit. Extra autem eminent aures, & tegendi causâ factæ, tutandiq; sensûs, ac ne adjectæ voces laberentur, atq; errarent priùs, quàm sensus ab his pulsus esset. Duros & quasi corneolos habent introitus, multisq; cum flexibus, quòd his naturis relatus ampliatur sonus; ut cum aliis notavit Cicero lib: 2. de Nat: Deor. Ipsæ quoq; sordes aurium, non inutiles: nam & ligant vocem, ut tenacior ejus in nobis memoria sit, & gratia: &, si quæ bestiola irrumpat, in visco inhæreat. *Aurium.*

Nares, quàm sapienter positæ sunt! ut odores percipiantur, purgamenta capitis defluant, spiritus trahatur: humidæ perpetuò, ad pulverem, multaq; alia repellenda. In summitate interioris partis narium, olfactus situs est, ac in duabus particulis carnis spongiosis, instar mamillarum, quæ cerebro sunt proximæ. *Nariũ, &c*

Gustus in lingua; quàm admirandè locatus est, præsertim in ipsa cuspide linguæ! Sensus verò Tactus, diffusus est per totum ferè corpus, residetq; in carne, sed præcipuè in nervis: objectum cujus

ſunt primæ qualitates; durities item ac mollities, impulſus; item qualitas dolorifera, & cauſans voluptatem. Licèt verò in aliquo ſenſu ſuperetur homo à quibuſdam animantibus; ut Viſu, ab aquila: olfactu, à cane &c: tamen in collectione omnium ſenſuum, ſuperat homo reliqua animalia. Prætermitto admiranda ſensûs interni communis, & Appetitûs.

Linguæ humanæ officia. Linguæ humanæ quot ſunt munera, tot Potentiæ & Sapientiæ inſignia documenta. Lingua, Typus verborum: Mentis & arcanorum explicatrix: Manus Rationis: Memoriæ Clavis: Tribunal Judiciale poculentorum ac eſculentorum. Illa cibum colligit extenuatum manſumq; dentibus, agitatione, impulſu, motibusq; ſuis, depellit ac tanquam edentis manus detrudit in ſtomachum. Illa eſt efformatrix vocis, quæ omnium animantium voces vincit magnitudine, ſpectatâ humani corpuſculi portione: vincit varietate: nam cætera animalia paris ætatis, ferè ſimilem ſemper habent vocem; vincit & ſuavitate: ſi excipiat paucas canoræ vocis aviculas: vincit demum teneritudine ac mollitudine; hinc tot, tantæq; cantuum inflexiones: tot argutiæ ſoni in cantu, ad imitationem uſq; abſolutam cantûs avium, & quorumvis animalium. Palati concavô, tanquam teſtudine (ut notat cum aliis Lactantius lib: de Opificio DEI, cap: 10.) tegitur linguâ, circumvallata dentibus, quaſi murô; dentes autem ipſi, ne nudi, eſſent horrori, gingivis mollibus, quæ à gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honeſtantur. Plures ſunt porro dentes, ſcilicet triginta duo: ne uno exesô, aut afflictô, omnes paterentur. Structura eorum æqualis: quia talis ad benè loquendum neceſſaria; durities eorum, ſicut in molari lapide major eſt, & aſperior, quàm in cæteris oſſibus; ut ad conterendos cibos, pabulumq; ſufficerent.

Dentium ſtructura

Faciei. Faciei humanæ quanta miracula! In Facie, vultuq; noſtro, cùm ſint decem aut paulò plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere. In tam parva parte hominis, quàm excellens quandoq; pulchritudo! quàm clarè Facies, ſui mutatione indicat affectiones corporis, affectusq; animi innumeros! Sed de hoc vide plura infra in Tractatu 3tio, ſub Argumento 28.

Manuum & Digito- Digitis manuum loquuntur muti; ſed ipſa conſtructio manuum & digitorum, non tacitè loquitur Bonitatem ac Sapienti-

am

am sui Artificis. Bonitatem quidem, quòd contulerit manus, quæ sunt Instrumentum instrumentorum: ut eas sapienter Aristoteles appellavit. Sunt Instrumentum ad omnes artes necessarium, paciq; non minùs, quàm bello idoneum: Rationis ac Sapientiæ ministri. Manuum beneficiò, Sapientum conscripta vel impressa monumenta habemus: habemus & memoriam eorum, quæ aliàs si non fuissent connotata à nobis, excidissent memoriâ; nec non absentes, literariè alloquimur. Imò Manus, etiam ad vocis humanæ usum collatæ sunt: si enim (ut notavit cum aliis Sanctus Gregorius Nyssenus lib: de Opificio hominis, cap: 8.) homo sinè manibus fuisset, carpendus ei per labra cibus fuisset: illa proinde crassa, & dura esse debuissent, & lingua, vel carne ampla, solida, aspera, quâ simul cum dentibus comminueret cibum: vel contra mollis versus latera fluidaq; ; cujusmodi est canum lingua: sicque homo ineptus redderetur ad loquendum. Sapientiam verò sui Opificis loquitur manuum talis dispositio, uti defactò est: hôc enim pactô ad rectam corporum multiformium comprehensionem optimè constituta est. Corpora sphærica, ut benè teneantur, digitos quinq; requirunt: quæ minima sunt, digitis duobus, eisq; summis, indice & magnô comprehenduntur: quæ autem iis paulò sunt majora, iisdem quidem digitis, sed non extremis: quæ verò iis adhuc aliquanto majora, tribus digitis, nempe magnô, indice, ac mediô: & si qua adhuc his sunt majora, quatuor deinceps & quinq; post hæc jam totâ manu apprehenduntur; ad corpora deniq; his ipsis majora, manus altera adducitur; quorum nihil sanè fieri posset, nisi manus in digitos multiformiter divisa fuisset. Si ex uno latere formatus non esset pollex, sed omnes quinq; in una recta linea essent facti, multitudo eorum foret inutilis; siquidem quod tutò apprehenditur, aut undiq; circulô, aut omnino ex locis duobus contrariis comprehendatur, oportet; id quod periisset, si omnes in una recta linea, uno ordine facti fuissent digiti: nunc verò hoc ipsum digitô uno aliis oppositô, diligenter servatum est: qui digitus est brevior, ne alios impediat: & crassior, ut ipsa suâ crassitie fiat robustior; ideoq; & pollex dictus: quòd vi ac potestate inter cæteros polleat, siquidem aliis æquivalere debet in labore. Si carnosa non esset digitorum extremitas, sed ossea, non possemus corpora parva: ut, festucam, pilos

constructio indicat Bonitatem & Sapientiam DEI.

comprehendere; rotundi ſunt, ut ſint fortiores ad ſuſtentandum, quod apprehenderunt. Unguis, extrinſecùs, ut firmamentum eis appoſitus eſt: juvant item ungues ad radendum, ſcalpendum, excoriandum ac divellendum: creſcunt ungues in longum ſolummodò, aliis ſemper ſubnaſcentibus unguibus novis, & antiquos propellentibus: ut in locum ejus, quod aſſiduè exteritur, in ipſorum extremitate ſit aliquid, quod ſufficiatur. *Sic igitur* (inquit Galenus lib: 1. de Uſu partium, capite 11. ex quo ſuperiora etiam de Manibus ac Digitis deſumpta ſunt, magna ex parte) *ad ſummam naturæ Providentiam pervenit Unguium conſtructio.* Quidni multò magis conſtructio Nervorum, arteriarum, cordis, hepatis, viſcerum, aliarumq; hominis partium nobiliorum? Quidni & Circulatio ſanguinis tam in homine, quàm in animalibus? de qua Circulatione, Medici Claſſici ac Philoſophi, hæc tradunt; quòd nempe ſanguis, motu veluti circulari, à Corde, tanquam à centro, ad circumferentiam, in univerſum Corpus, beneficiô arteriarum profuſus per venas undequaq;, tanquam à circumferentia ad ipſum tandem venæ cavæ truncum refluit; indeq; rurſum per dextrum Cordis ventriculum & pulmones, ad eundem ſiniſtrum Cordis ſinum redit, pari modo in arterias iterum remittendus. Quod ipſum, præter experientiam, comprobatur etiam ratione hâc. Quia talis circulatio debet fieri; tum ad calorem vitalem corporis conſervandum: tum ad variorum, qui in eo fiunt productionem. Nam quantumvis ingens ignis cordi ineſſe concipiatur, calefacere tam remota membra non poſſet, niſi ad ea novus ſanguis deflueret, qui calorem deperditum reſarciret. Imò fieri non poſſet, quin ſanguis ipſe, qui naturâ ſuâ frigidus eſt, non congelaretur, niſi ad cor ſucceſſivè deveheretur, in quo novum calorem acciperet, novosq; ſpiritus mutuaretur! nec nutriremur, niſi ſangvis in omnes corporis partes afflueret, & aliquæ ejus in extremitatibus arteriarum, per quas tranſeunt, membris adhærerent, ac in earum loco ſuccederent, quas inde amovent; nec cibi conquerentur, ac in ſtomachum ingeſti, converterentur in chilum, niſi in eo adeſſet vis è Corde per arterias dimanans, quæ cibos minueret, ac eorum ſolutionem juvaret.

Circulatio ſanguinis, cur?

Objectio contra

Quod ſi quis dicere audeat: plurima quidem Sapientiæ documenta relucere in ſtructura hominis, ſed non Bonitatis: probaretq; id

imò

imò ex eo. Quia homini est corpus, à natura nudum, & inerme; Anima item, tanquam tabula rasa, omnibus artibus destituta. *2dò.* Quia probi sunt sæpè infelices, improbi felices. Huic Respondetur. *Ad imum.* Homo pro corporis nuditate, Manus: pro Animæ inertia, Rationem ac locutionem accepit: hisq; tribus, tanquam Ministris rerum infinitarum, corpus vestit, armat, modisq; omnibus custodit; Animam verò, artium & scientiarum cognitione ornat; Bruta autem, quia sibi vestes & arma parare non poterant, neq; pro libitu, ea assumere, & deponere, collata sunt illis vestes & arma semper adhærentia, quæ etiam cum crescentibus crescerent, nec indigerent refici. Ad 2dam Objectionem Responsum est abundè suprà in Tractatu 1. Capite 2do sub Propositione 3tia & 4ta. *structurâ hominis, dissolvitur.*

3tia Propositio.

Anima humana est substantia Spiritualis.

Rationibꝰ varijs evincitur, quòd Anima humana sit substantia.

QUòd Anima sit Substantia, & non Accidens, patet. Est enim Ens per se. Non ordinatur à natura primariò ad aliquid creatum adæquatè à se distinctum· est Principium nobilissimarum tot operationum: Domina suorum actuum, constituitq; per se Compositum substantiale, nempe hominem. Et certè si Anima rationalis, non est substantia, multò minùs aliqua Forma vel Materia, vel Compositum aliquod esset substantiale. Quòd verò sit Spiritualis, probatur hæc Veritas, multiplici Ratione. *1mò.* Quia Objectum Animæ rationalis in cognoscendo, est Universalissimum: cognoscit enim non solùm Objecta præsentia, præterita, & futura: sed etiam purè possibilia, & impossibilia: Item res indivisibiles: ut, puncta, lineas, & Entia spiritualia saltem possibilia; item Objecta Universalia, à sensibus remota, abstrahendo à circumstantiis materialibus individualibus, loci, temporis, magnitudine, colore, figura, & similibus. Elicit Conclusiones universales scientificas, ex Principiis universalibus; discurrit de rebus abditissimis, altissimis, deq; rebus longè post futuris: cognoscit æternitatem, relationes, proportionem unius ad aliud &c. Ejusmodi autem Objecta, & tali modô, nulla potentia materialis attingit: hæc enim, non nisi objecta attingit determinata aliqua certi generis: *Et quidem spiritualis*

ris: ut patet in potentia visiva, auditiva. Imaginativa etiam potentia, tantùm se ad sensibilia extendit, & quidem conjuncta certis circumstantiis. Nec est ullum fundamentum positivum elevandi naturaliter Potentiam materialem ad ea omnia cognoscenda objecta, & tali momodô, ut cognoscit Anima humana.

2dò. Quia Anima reflectit se suprà se (hiq; actus reflexivi sunt independentes à phantasmatibus) & suas actiones cognoscit se cognoscere: discernitq; an cognoscat certò, & quali certitudine: an solùm probabiliter, & quali probabilitate. Nulla autem virtus corporalis, aut organica agit simpliciter in se ipsam, aut reflectit se suprà se: sic Oculus non videt se, nec suam visionem: nec Auris audit se, nec suam auditionem. Ergo &c.

3tiò. Quia Anima humana delectatur cognitione rerum æternarum, Veritate, Famâ: resistit cupiditatibus corporis; desiderat naturaliter Religionem, Justitiam, aliasq; Virtutes; quæ non conveniunt naturæ corporeæ; habet dominium in suos actus, est liberrima in agendo, positis etiam omnibus ad agendum requisitis &c. Hæc omnia satis manifestè homini non pervicaci declarant, Animam esse substantiam spiritualem.

4tò. Quia Intellectus hominis est spiritualis. Quod ipsum probatur. Tum quia facultas materialis percellitur, ac inepta redditur per vehementiam sui Objecti: sic Auditus læditur per sonum nimis acutum: Visus, per objectum nimis lucidum &c. Intellectus verò noster non læditur per Objectum suum summè verum, sed in illud maximè fertur. Tum quia Intellectus noster expeditior est in cognoscendo, si se homo retrahat à sensibilibus, & oculos claudat: si verò esset materialis, multùm juvaretur in suis operationibus per Objecta materialia & sensibilia. Tum quia Intellectus, quantum ex se fortior redditur cum tempore; nemo enim meliùs ratiocinatur, quàm is, qui per multos annos ratiocinatus est: nisi fortè per aliquod accidens, corrumpantur organa corporea; jam verò Facultas corporea, per suas actiones debilitatur cum tempore. Ergo intellectus non est corporeus, sed spiritualis. Ergo & Anima est spiritualis: Intellectus enim vel identificatur Animæ: vel est ipsius proprietas & passio; proinde quò ad suam Essentiam non perfectior, quàm Anima. Propter

has

has Rationes adductas, dico cum Sancto Augustino, Proposit: 28. *Incorpoream esse Animam, etsi difficilè tardioribus persuaderi potest, mihi fateor facilè esse persuasu.* Et quidem apud Christianos certissimum id est. Scriptura enim sacra hanc veritatem docet: dicitur siquidem Ecclesiaste ultimo. *Revertatur pulvis ad terram suam, & spiritus redeat ad DEUM.* Joannis 19. de Christo Domino: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Ipseq; Christus Matth: 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* · Item: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Et Beatissima Virgo in Cantico suo, Lucæ 1. *Exultavit spiritus meus in DEO.* Sanctus Paulus ad Roman: 8. *Spiritus Sanctus reddit testimonium spiritui nostro:* id est, Animæ rationali.

4ta Propositio.

Anima humana est immortalis.

POsse absolutè dari Animam, quæ sit Substantia spiritualis, immortalis, certum est. Quæ enim in hoc implicantia? Defactò autem Animam humanam nostram esse immortalem, probatur multipliciter: *imò*, Quod docet Scriptura sacra: item quod docuit Christus Dominus, Vir summæ Innocentiæ, Patrator miraculorum, illud est consonum Veritati: ut constat ex iis, quæ fusè dicta sunt suprà in Tractatu hoc 2do, cap: 3. & cap: 12. infrà dicentur. Sed Scriptura sacra, & Christus Dominus docent, Animam humanam esse immortalem: ut evidens est. Nam toties promittitur vita æterna, & ignis æternus intentatur. Danielis 12. *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam: alij in opprobrium.* Ecclesiastæ 12. *Ibit homo in Domum æternitatis suæ.* Sapientiæ 3. *Justorum Animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autē sunt in pace.* Elias dum vellet Filium Viduæ in Sarephta resuscitare, 3. Reg: 17. dixit: *Domine DEUS meus, revertatur, obsecro, Anima pueri hujus in viscera ejus: & exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est* (scilicet è limbo) *Anima pueri intra eum, & revixit.* Christus etiam Dominus dixit Matth: 25. *Ibunt hi in supplicium æternum: Justi autem in vitam æternam.* Et Matth: 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: Animam autem non possunt occidere.* Ergo Anima humana est immortalis.

Immortalitas animæ humanæ, Argumentis multifariis stabilitur.

2dò. Quod omnes Gentium Nationes, omnibus ætatibus, & in iis quique Sapientissimi tenuerunt, & tenent esse Veritati conforme, illud tale est. Ut constat ex dictis suprà in hoc Tractatu 2do, cap: 2. sub Propositione 3. Sed Animam humanam esse immortalem, tenuerunt & tenent omnes Gentium Nationes, etiam Barbaræ, ut Indi Orientales & Occidentales, Japones, Turcæ, Mauri, Gentiles veteres, & in iis doctissimi quiq;. Sanguis item ex tot millionibus Martyrum effusus, clamat Animam immortalem esse. Ergo est.

3tiò. Animæ humanæ est à Natura insitus appetitus æternitatis: item innatus est appetitus vitæ beatæ (quod sit appetitus innatus, non elicitus, constat ex eo: quia singulis naturis benè constitutis sentitur inesse quovis etiam vitæ tempore & usu rationis, quiq; nec opinantes stimulat.) Sola autem vita æterna est verè beata; nam non æterna conjungitur anxietati ac timori eam amittendi. Ergo Anima est immortalis. Aliàs ille appetitus esset otiosus, frustraneus, fallax, continuoq; afflictivus Animæ. Hoc autem dici nequit. Natura enim nihil facit frustra: nec fallitur natura circa finem suum, maximè naturalem, nec fallax esse potest inclinatio universalis omnium rectè sentientium. Accedit. Quia debet dari status aliquis, in quo capacitas humanæ potentiæ intellectivæ & volitivæ expleri possit, & quiescere tanquam in centro suo: expleri item possit appetitus sciendi. Sed hic status non est præsens vita, ut patet, constatq; etiam ex dictis. Ergo datur vita altera, proinde & Anima in vita illa durare debet.

4tò. Omnis Substantia spiritualis, est incorruptibilis. Sed Anima humana est Substantia spiritualis. Ergo est incorruptibilis, proinde & immortalis. Omnis enim Substantia vivens (qualis utiq; est etiam Anima?) si est incorruptibilis, est immortalis: hoc enim nomine Immortalis, denotatur. Minor hujus Syllogismi constat ex Probationibus superioris Propositionis 3tiæ, quæ cum hac Minore planè coincidit, Major probatur. Quidquid est naturaliter corruptibile, corrumpitur, vel ex defectu subjecti: vel, quod subjectum illius, sit receptivum contrariorum accidentium, exigentium destructionem ipsius: & sic pereunt formæ substantiales materiales: Vel ex introductione contrarii; ut plurima accidentia: Vel ex defectu Causæ conservantis; ut lux, aliæq; certæ qualitates: Vel quia finis ipsius est defectibilis:

bilis: unde hoc præeunte, nulla est necessitas, ut maneat. Sed Anima humana non potest corrumpi ex defectu Subjecti: cùm nullum habeat: Nullum etiam habet sibi contrarium, quod ipsam destruat: Assensus enim & dissensus pugnant solùm secum, non contra Animam: ut patet. Nec causa illius conservativa est defectibilis, nempe DEUS. Neq; connectitur cum fine defectibili; est enim ratione sui, cùm sit Substantia. Ergo est incorruptibilis: proinde immortalis.

Confirmatur. Quia sicut Creatio, ita & annihilatio, non potest fieri naturaliter. Sed si Anima destrueretur, tunc annihilaretur: Non destrueretur enim manente illius Subjectô: nam illo caret. Ergo Anima destrui non potest.

Eandem de immortalitate Animæ veritatem, quæ est fundamentum totius honestatis, comprobant insuper plurima. *1mò.* Tot apparitiones Animarum, comprobatæ tot & tantis testimoniis. *2dò.* Tot resuscitationes mortuorum. *3tiò.* Tot miracula ad Ossa Sanctorum Martyrum patrata. Unde Sanctus Gregorius Magnus lib: 4. Dialogi, cap: 6. dicit: *Si vitam Animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, Cur non perpendis vitam Animæ post corpus etiam per Ossa mortua, in virtute miraculorum?* *4tò.* Dæmones ipsi, qui inserviunt Magis: Quid enim per sua servitia lucraretur dæmon, si Anima cum corpore perit? *5tò.* Meliùs est mori, quàm peccare saltem graviter: id enim ratione naturali innotuit ipsis Ethnicis. Unde Juvenalis Satyra 8. ait: *Summum crede nefas, vitam præferre pudori.* Sed si Anima periret unà cum corpore, tunc non esset melius mori, quàm peccare; quia mors hominis esset summum ipsius malum: tolleret enim summum bonum intrinsecum, quia vitam præsentem. Recta autem Ratio dictat: quodvis malum pro summo malo avertendo, subeundum esse, & quodvis bonum pro summo bono retinendo, deserendum. *6tò.* Quia homines, dum sunt morti viciniores, dum jam Anima incipit separari à corpore, tunc supra communem vitæ ordinem prudentiùs ratiocinari, majora dicere, cogitare, & ordinare solent, quàm in omni vita antea. Item: quia Anima dum corpus in somno, tanquam cadaver jacet, illa videt absq; oculis: sine auribus, audit; sine ore, colloquitur; sine pedibus, ambulat, per totum orbem vagatur &c. Quæ omnia videntur indicare Animæ immortalitatem.

7mò. Quia Anima Rationalis est forma per se subsistens. Potest enim operari absolutè independenter ab omni sensu corporeo: nam multi etiam naturaliter passi sunt ecstasim: ut videre est apud Sanctum Augustinum, lib: 14. de Civit: cap: 24. apud Conimbricenses & alios. Auctores quidam ex eo etiam probant immortalitatem Animæ, quia horror naturaliter incutitur, dum conspicitur cadaver hominis, vel sepulchra mortuorum: item ex conscientiæ clamore & anxietate, præsertim dum morti sunt proximi illi ipsi, negantes immortalitatem; item ex honore, qui mortuis defertur.

Rationibus allatis saltem simul sumptis bene perpensis, verè cum Divo Augustino lib: de Immortalitate Animæ, cap: 4. dici potest: *Manifestum est, immortalem esse Animam humanam.* Severiùs loquitur Divus Chrysostomus Orat: 4. de Providentia: appellans eos, insanos, qui Animam negant esse immortalem: & perinde facere, ac si in die, diem esse negent.

Ad solutionem Objectionum deservientia.

Nota hic *1mò*. Si concedatur Animam humanam posse naturaliter post mortem manere, unâ vel alterâ die; concedi debet, posse illam & semper. Nihil enim est tertio die, vel anno, & sic deinceps, quòd ejus destructionem naturaliter exigat magis, quàm primo die. Non dependet Anima essentialiter ab organis materialibus, aut phantasmatibus, sed tantùm dependet secundùm statum vitæ præsentis. Horrere solet Anima separationem sui à corpore; ast ob incertitudinem venturorum super se, post separationem (unde horror iste confirmat potius Animæ immortalitatem) vel ob avulsionem à bonis temporalibus sensibilibus, quæ nimiùm quis diligebat. Hinc ordinariè, qui bona illa non nimis amârunt, habueruntq; testimonium conscientiæ rectæ, mori optârunt: Unde legitur Job 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Et S. Paulus desideravit dissolvi, & esse cum Christo, ad Philip: 1.

Nota *2dò*. Lux & sonus, sunt qualitates, estq; experientia pro illis, quòd desinant: Sonus item & similia, sunt accidentia, per se defectiva: statimq; dum sunt, desinere incipiunt per partes: causam insuper sui conservativam habent defectibilem: nihil autem his simile, potest ostendi in Anima humana, quæ est Substantia, & quidem indivisibilis. Si quæras; quidnam senserit etiam Aristoteles de Anima?

ma? Respondeo. Longè saltem probabiliùs est, quòd secundùm Aristotelem, Anima rationalis sit immortalis, idq; ipsum fusè probavi in libro, cui titulus: *Defensio Aristotelis & Philosophiæ Peripateticæ*, in Tractatu 1. sub 3tia Propositione.

CAPUT XII.

De Miraculis.

Prima Propositio.

Miracula conscripta in Evangeliis, sunt verè facta à CHRISTO Domino.

PRobatur Imò. Quia ab Evangelistis, & Apostolis, oculatis testibus, Viris Sanctis, conscripta sunt, qui pro Veritate Fidei, miraculis illis comprobatæ, vitam & sanguinem profuderunt, noveruntq; mendacium, grave esse peccatum, morte æternâ plectendum: crediturq; iis, dum ignominias Christi referunt, cur non credatur iisdem, dum referunt miracula Christi? Pulchrè sanè Divus Isidorus Pelusiota, (ut ipsemet lib: 4. Epist: 31. refert) Gentilem quendam Sophistam, qui de DEO crucifixo, in effusum risum solvebatur, in multorum corona sic convicit. Quæsivit Isidorus: Sed unde potes demonstrare, Christum crucifixum? Respondit Gentilis jactabundè: In vestris Evangeliis id scriptum est. Tunc Isidorus: Atqui in iisdem scriptum est, quòd resurrexerit, & in cælos redierit: si ergo unum credis Evangelio, crede & alterum. Hinc tantus est adstantium consecutus risus, & applausus, ut uterq; erubesceret: Isidorus de gloria; Gentilis de ignominia. Quadratus, Apostolorum Discipulus, Hadriano Imperatori porrexit librum pro Religione nostra compositum, in quo ait plurimos à se visos, qui sub Domino Christo, variis in Judæa oppressi calamitatibus, sanati fuerant, & qui à mortuis resurrexerant: ut scribit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Acutè item ac solidè Divus Augustinus lib: 1. de Cons. Evang: cap. 7. ait: *Quid causæ, cur de istis* (Pythagorâ & Socrate) *hoc credant* (homines infideles) *quod de illis, Discipuli eorum literis commendarunt, & de Christo nolunt credere, quod de illo ejus Discipuli conscripserunt, præsertim cùm ab eo, cæteros homines sapientiâ superatos esse fateantur, quamvis eum fateri DEum nolunt. An verò illi, quos, isto, multò inferiores fuisse non dubitant,*

Veritas miraculorum à Christo patratorum, demõstratur ex multis Capitibus imò. Ex Auctoritate eorum, qui ea conscripserunt.

tant, veraces de ſe diſcipulos facere potuerunt, & iſte non potuit? Et infrà cap: 8. *Si Scripturam eligunt, cur non Evangelicam, quæ tantâ auctoritate præpollet?* Certè ſi ad gratiam & gloriam ſui Magiſtri hæc ſcripſiſſent, omiſiſſent, vel breviſſimè ſolùm attigiſſent probra Chriſti: in miraculis verò recenſendis, in reditu ab inferis & aſcenſione explicanda, longam orationem texuiſſent; nunc autem videmus, eos moratos in exponendis ignominiis, cruciatibus, paſſione Chriſti: Reſurrectionem autem & Aſcenſionem, vix commemoraſſe: plurima admiranda Opera Chriſti conciſè, aridâq; oratione perſtrinxiſſe; ut Matthæus, dum ait cap: 4. v. 23. *Circuibat JESUS Galilæam- ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem.* Et cap: 14. v. 36. *Quicunq; tetigerunt fimbriam veſtimenti ejus, ſalvi facti ſunt.* Sanctus quoq; Joannes cap: 21. verſu ultimo, dicit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur omnia, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Ergo evidens eſt, eos ſincerè, non adulando, quidquam ſcripſiſſe. Non mediocre etiam Fidei (loquor verbis Sancti Ambroſii lib: 2. in Cap. 2. Lucæ) tibi hoc videatur exemplum, quòd vilis ſit perſona Paſtorum (addo ego: Evangeliſtarum & Apoſtolorum) certè quò vilior ad prudentiam: eò pretioſior ad fidem: Non Gymnaſia choris referta Sapientum, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſivit, quæ phalerare audita, & viſa, fucareq; neſciret.

2dò. Ex Oraculis Prophetarum & Sybillarū.

2dò Probatur. Quia patranda eſſe miracula à Chriſto, prædixerunt longè antè Prophetæ & Sybillæ. Iſaias enim inter alia dicit cap: 35.) *DEUS ipſe veniet & ſalvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus, claudus: & aperta erit lingua mutorum.* Ad hanc Prophetiam alludens Chriſtus Dominus, Matthæi 11. interrogatus à Diſcipulis Joannis: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Reſpondit: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Sanctus item Matthæus, ,quaſi explicans illam prophetiam, cap: 15. ait: [Et acceſſerunt ad ,eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cœcos, claudos, debi-,les, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & cura-,vit eos, ita, ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes; clau-

dos

,dos ambulantes; cœcos videntes: & magnificabant DEum Israel. Sybillæ etiam Libicæ de Christi miraculis Vaticinium habetur ejusmodi:

Ille quidem pressos morbis, sanabit & omnes
Læsos quotquot ei fident, cœciq; videbunt.
Incedent claudi, surdis audire licebit:
Insolitas mutis dabitur formare loquelas.
Expellet furias, oppressi morte resurgent.

Rursus alia Sybilla, ut refert Lactantius lib: 4. Institut: cap: 15. vaticinata est sic: *Fluvios perambulabit, morbos hominum resolvet, vivificabit mortuos, arcebit dolores à multis.*

3tiò Probatur. Quia nullus ex Pharisæis, vel aliis Hebræis, infensissimis hostibus Christi, scripto aliquo, falsitatis unquam convicit Evangelistas & Apostolos, narrantes miracula in medio Jerosolymæ, & aliarum Urbium facta. Imò, quinquagesimo circiter die post necem Christi, Sanctus Petrus, primâ concione in Urbe ipsa Jerosolymæ habitâ, convertit circiter tria millia Judæorum: & secundâ concione ibidem quinq; millia virorum: Multa etiam turba sacerdotum obediebat Fidei: ut legitur Actorum cap: 2. 4. & 6. Rabbi Haccanas, cùm Redemptoris gesta ac miracula oculatus eorum testis descripsisset, ita demum conclusit: *Sum ipse unus ex illis, qui credunt in eum, & ablui me aquis Sanctis, in ejusq; viis rectis incedo:* ut refert Galatinus lib: 1. de Arcanis Scripturæ, cap: 4.

3tiò. Quia nunquam falsitatis convicta, quin approbata à plurimis Judæorũ, miracula Christi.

Nec omnino contemnenda miraculorum Christi comprobatio desumitur ex Epistola, quam Edessæ Syriæ Civitatis Rex Abagarus, in totam Syriam Christi famâ & ejus miraculis pervulgatis: ut habetur Matthæi 4. scripsisse fertur ad Christum, in qua inter cætera leguntur hæc: [Insignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te sine medicamentis, & sine herbis factæ sunt, auditione accepi: cæcos enim, ut fama est, videre efficis: claudos ambulare, & leprosos mundas: spiritus iracundos & dæmones ejicis: eos etiam, qui diutiùs morbis pressi sunt, sanas; mortuos deniq; ad vitam revocas, &c.] Epistolam hanc, Eusebius, Histor: lib 1. cap: 3. testatur se in publicis Archivis & Annalibus Edessenæ Ecclesiæ Urbis reperisse, unà cum Re-

Necnon à Rege Abagaro.

sponsoria.

& utramq; è Syriaca lingua in græcam transtulit. Meminit & harum Epistolarum Sanctus Ephrem, ejusdem Civitatis Edessæ Diaconus in suo testamento: cujus Viri Sancti Opera legi consueverant publicè in Ecclesiis post Divinæ Scripturæ lectionem, teste Sancto Hieronymo in libro de Script: Eccles. Meminit item Darius Comes in sua Epistola ad Sanctum Augustinum scripta, quæ exstat tomo 2do Operum Divi Augustini, Epist: 263 Theodorus item Studita, in Epistola ad Paschalem Papam, & alii. Comprobat miracula Christi, etiam ipse Pilatus, qui, ut ait Sanctus Gregorius Thuronensis lib: 1. Historiæ, cap: 24. gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de Virtutibus Christi, tam de Passione, quàm Resurrectione ejus insinuat, quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta: Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit, quod Senatus cum ira respuit pro eo, quòd non ad eum primitus advenisset. Et longè ante illum Tertullianus in Apolog: cap: 5. ait: *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianorum, in sæculum introivit, nuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic Veritatem illius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui* (referendo nempe Christum in numerum Deorum suorum) *Senatus* (& præcipuè Sejanus, Præfectus Prætorii) *quia non in se* (id est, quia id inconsulto Senatu fecerat: decretum enim erat vetus, ne quis absq; Senatûs Auctoritate inter Deos referretur) *probaverat, respuit: Cæsar autem in sua Sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Et capite 21. enumeratis miraculis, Resurrectione, Ascensioneq; Christi dicit: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiavit* (quibus ut dictum est, credidit Tiberius, verùm Senatûs approbativâ Sententiâ destitutus est) *sed & Cæsares* (alii, Apostolorum monitis) *credidissent, super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares.* Ita enim se tunc sæculum, id est humanæ res habebant, ut Cæsarum imperiô egerent, & sæculo, ac Christiano malè consultum videbatur, si Cæsar idem & Christianus fuisset. Similia de Pilato habet Eusebius lib: 2. Histor. cap: 2do. & in Chronico ad Annum Christi 38. Orosius lib: 7. cap: 4. Cedrenus ac passim alii. Josephus item Judæus, Regio sanguine editus, qui proximè post Christum vixit (in excidio enim Jerosolymæ captus, Romam ductus ab Impe-

Item à Pilato.

Et à Tiberio.

à Josepho Scriptore.

Imperatore Tito, ei ac Vespasiano percharus, utpote cui prædixit Imperium, ob suiq; ingenii excellentiam, à Senatu & populo Romano promeritus, ut eo vivente, libri ejus Bibliothecæ publicæ traderentur, eiq; post mortem, statua ænea poneretur: à Sancto Hieronymo, Epist: 22. Livius Græcus appellatus) Is inquam, Josephus, divinâ virtute adactus: vel publicâ notitiâ & Veritate: vel quia jam fide (ut opinatur Galatinus locô suprà citatô) Christo adhæserat, in Judaismo licèt perseverans, generaliter confirmat miracula Christi, dum libro 18. Antiq. ,cap. 4. ita scribit: [Eodem tempore (nempe, quô Pilatus admini-,stravit Judæam) fuit JESUS, Vir sapiens: si tamen Virum eum fas ,est dicere: erat enim mirabilium operum Patrator, & Doctor eorum, ,qui libenter vera suscipiunt: plurimosq; tam de Judæis, quàm de Gen-,tibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ ,Gentis Principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non ,destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: apparuit enim illis ,tertia die vivus, ita, ut divinitùs de eo Vates, hoc, ut alia multa mi-,randa prædixerunt, & usq; in hodiernum diem, Christianorum genus ,ab hoc denominatum, non deficit.] Hæc ille. Addo & testimonium Mahometis, qui in Alcorano, capite Elbachera, introducit DEum lo-,quentem sic: [Dedimus JESUM Filium MARIÆ, ut faceret mira-,cula, & prodigia manifesta: & fecimus eum, per Spiritum Sanctum, ,& insufflavimus in MARIAM de Spiritu nostro, & conceptus est Chri-,stus ex Virtute DEI, de Matre Sanctissima & purissima, super o-,mnes mulieres.] *à Mahomete.*

Certè hæc Probatio 3tia, magni roboris est; nam ut sapienter advertit Divus Chrysostomus Homiliâ 28. in Joannem: Maximum Argumentum Veritatis est, cùm quis, inimicos in testimonium adducit. Et Lactantius lib: 4. de Divina Sapientia, cap. 12. Satis firmum testimonium est ad probandam Veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis.

4tò. Veritas miraculorum Christi, com-

4tò Probatur. Quia miracula Christi fuisse vera, probat miraculorum multitudo innumera, non tantùm ab Apostolis, verùm & ab innumeris aliis, ferè continuò per mille, suprà sexcentos annos, in nomine Christi patrata, vel ad Reliquias Sanctorum facta; conscripta à Viris doctissimis, sanctissimis, Athanasio, Hieronymo, Augustino,

probatur innumeris Sanctorum miraculis.

Baſilio, Gregorio, Sulpitio, Beda, Bernardo, Bonaventura, Antonino, & aliis: rigidè examinata à Sapientibus, etiam juramentis multoties teſtium oculatorum, omni exceptione majorum, comprobata, nec refutata à Coætaneis, ſed conſenſu tot populorum & Gentium acceptata. Sanctus Auguſtinus lib: 22. de Civit: cap. 8. recenſet fuſe multa miracula grandia, quorum ipſe teſtis de viſu fuit. Æneas Gazeus, qui vixit circa Annum Chriſti 490, Vir doctiſſimus, in fine libri ſui de Animæ immortalitate ac Reſurrectione corporum, aſſerit, ſe, propriis oculis vidiſſe Sanctos illos, qui in perſecutione Vandalica, abſciſſis linguîs, optimè loquebantur. Tribunal itidem Romanum, in miraculis inveſtigandis rigidiſſimum (ut demonſtravi in libro, cui titulus: *Gradus ad Atheiſmum*, in Tractatu 1.) ex Viris doctiſſimis congregatum. Item alia Tribunalia Eccleſiæ Orthodoxæ, per tot centena annorum, omnino ſemper erràſſe, vel ſemper mentita fuiſſe, in approbandis miraculis, quis prudenter ſibi perſuadere poteſt? Si autem, vel ſemel non errârunt, nec mentita ſunt in approbando aliquo miraculo, jam convictus eſt evidenter Atheus. Richardus Haclultus, licèt Calviniſta Miniſter Anglus, in ſecundo Volumine de primis Navi-,gationibns, parte 2. pag. 8. ſcribit ſic: [Pius ille Confeſſor Indorum, ,in iis, quæ ad Religionem pertinent Inſtitutor, Franciſcus Xavier: ,poſt multos exantlatos labores, poſt injurias & calamitates magnô ,animô ſuperatas, omnibus benedictionibus plenus, obiit Anno 1552, ,poſtquam multa hominum millia ad fidem Chriſti perduxiſſet. De ,hoc Viro ſancto, Virtutibus ejus, & mirabilibus, omnes recentes ,Hiſtoriæ teſtantur.] Verificatur etiam modò de noſtris temporibus, quod olim Divus Auguſtinus lib. 22 de Civit: cap. 8. ſcripſit de ,ſuis: [Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine, ſive per Sacra-,menta ejus, ſive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus: ſed ,non eâdem claritate illuſtrantur, ut tantâ, quantâ, illa (nempe con-,ſcripta miracula in Evangelio, vel Actibus Apoſtolorum) gloriâ diſ-,famentur. Canon quippe ſacrarum literarum, quem diffamatum eſſe ,oportebat, illa facit ubiq; recitari, & memoriæ cunctorum inhærere ,populorum. Hæc autem ubicunq; fiunt, ibi ſciuntur vix à tota ipſa ,Civitate, vel quocunq; commanentium loco: nam plerumq; etiam ibi ,pauciſſimi ſciunt, ignorantibus cæteris, maximè ſi magna ſit Civitas:

&

,& quando alibi aliisq; narrantur, non tanta, ea commendat auctoritas, ut sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus, à fidelibus indicentur.]

5tò Probatur. Quia, ut sapienter dicit Divus Thomas lib: 1. contra Gentes, cap. 6. Hæc tam mirabilis Mundi conversio ad Fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum: ut ea ulterius iterari necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Sed de hoc ipso vide plura infrà in Tractatu 3tio, sub Argumento 34. *5tò. Comprobatur ipsâ conversione Mundi.*

2da Propositio.

Opera mirabilia Christi Domini, non fuerunt facta vi Agentium naturalium: nec ope Dæmonis, verèq; erant talia, ut apparebant.

VEritas hujus Propositionis, licèt sufficienter constare possit ex dictis Insuper tamen per partes probatur. Prima pars Propositionis patet. Tum quia si non superant vires causarum naturalium, cur ejusmodi opera mirabilia non fiunt ab aliis frequenter? Aut edissere, quænam sunt causæ naturales talium mirabilium? Tum ex ipsis effectibus. Nam à sæculo non est auditum, quòd naturaliter aperti sunt oculi cæci nati. Vel mortui perfectè, planè revixerint. Tum ex modo. Quia Christus, mirabiles illos effectus subitò, sine ulla resistentia, & sæpissimè ad quamcunq; distantiam, sine impedimento interpositorum corporum, solo verbo, atq; imperiô patrabat: Vel certè oratione utebatur, & non alicujus rei adminiculô, quod ad illos effectus ex natura sua conduceret. Linivit quidem lutô oculos cœci: sed lutum potiùs ad obcæcandos oculos valet, quàm ad illuminandos. *Opera mirabilia Christi, superant vires causarum naturalium.*

2da etiam pars Propositionis evidens est, spectatâ tum summâ innocentiâ & perfectione Vitæ Christi Domini: ut meritò ex hostibus suis quæsierit Joannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tum spectato fine. Christus enim per illa mirabilia opera, nihil nocivum alteri, nihil contrarium honestati, nullum temporale lucrum intendebat; verùm solius veri DEI cognitionem, rectitudinem morum, eversionem idololatriæ, ac potestatis dæmoniacæ, ipsosq; etiam *Nec sunt facta ope Dæmonis.*

invitos nefarios spiritus è corporibus humanis ejiciebat. Si verò satanas satanam ejicit, quomodo ergo stabit regnum ejus? ut benè argumentatur Christus Dominus Matthæi 12. refellendo calumniam Pharisæorum blasphemantium: Hic non ejicit Dæmonia, nisi in Beelzebub, Principe Dæmoniorum. Accedit. Quia vera resuscitatio mortui, secundùm se spectata; alia autem mirabilia, spectata saltem eô modô, quô illa patravit Christus Dominus, longè superant vires Dæmonis.

Nec fuerunt illusoria.

3tia demum pars (quæ est contra quosdam Paganos, qui, ut testatur Origenes lib: 1. contra Celsum; miracula Christi, præstigias & sensuum ludificationes fuisse, calumniabantur) constat. Tum ex dictis suprà, & hic immediatè. Tum quia cæcus verè experiebatur se videre, ac sine ullo ductore, minimè erroneè, quò volebat, incedebat. Lazarus experiebatur se vivere, vixitq; post sui resuscitationem annis 30: ut scribit Sanctus Epiphanius. Mulier etiam illa nobilis & opulenta, à fluxu sanguinis tactu fimbriæ vestimenti Christi, verè se sanatam experta, testataq; id est non solùm voce, verùm etiam æneis statuis tam Christi, quàm suí effigiem repræsentantibus, in memoriam beneficii accepti erectis ante fores domûs suæ, Cæsareæ Philippi, quas se oculis suis conspexisse testatur Eusebius lib. 7. Histor: cap. 14. additq;, quòd ex basi illius statuæ Christi Domini, nascens herba, cùm Christi fimbriam tetigit, morbis quibuslibet medebatur: Julianus verò Apostata, statuam hanc dejecit, ac locò ejus, posuit suam effigiem, sed hæc fulmine icta dissiliit, teste Sozomeno lib. 5. cap. 21. Præstigiæ verò, sensuumq; ludibria facilè evanescunt, & ille, quem alii delusoriè censerent vivere, videre, vel sanatum esse, minimè se experitur esse talem. Tum quia, ut notat benè Euthymius in Caput 5. Joan: & ex Cornelio à Lapide. Christus, post facta miracula, solitus erat aliquid addere, ex quo miraculi veritas, ac magnitudo cerneretur. Sic paralyticum jussit tollere grabatum suum, Joan. 5. quod nonnisi sanatus, imò fortis ac validus facere potuisset; sic post multiplicatos à se panes, jussit fragmenta, panibus majora, colligi. Matthæi 14. Sic leproso sanato à se, dixit: Vade ostende te Sacerdoti, Matth. 8. Ut cognoscat se gratiæ operatione mundatum. inquit Origenes. Sic suscitatæ à se puellæ, jussit dare manducare, Matth. 5. Sic

aquam in vinum versam, præcepit ferri architriclino, qui optimum esse vinum, pronuntiavit &c. Tum quia innumera fuerunt opera mirabilia Christi, quorum effectus erant diuturni, & in nullo eorum inventa est fallacia etiam ab infensissimis Christo Scribis, ac Pharisæis. Unde non negabant, mortuum Lazarum, verè resuscitatum esse, sed potiùs malitiâ obcæcati, cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in JESUM. Joannis 12. Accedit. Quia, ut scribit Sanctus Augustinus lib. 19. de Civit. cap: 22. [Doctissimus Philosophorum, „quamvis Christianorum acerrimus inimicus, etiam per eorum Oracu„la, quos Deos putat, DEUM Christianorum, DEUM magnum, Por„phyrius confitetur.] Quâ ergo ratione, opera mirabilia Christi, præstigiæ meræ esse poterant? Addo. Faciant Athei similia opera mirabilia, vel saltem unum, ut ostendant præstigias fuisse, vel esse potuisse miracula Christi.

3tia Propositio.

Ante adventum Christi Domini in terras, plurima miracula vera sunt facta: & post ejus adventum.

INter alia enim innumera, facta sunt hæc. Diluviô Nôeticô totus Orbis involutus. Urbes quinq; sulphureo igne cælitus delapso, consumptæ. Moyses, viginti duo, clarissima edidit miracula. Elias duodecim: inter quæ, insigne illud fuit, quòd Sarephtanæ viduæ filium mortuum suscitaverit (& hic est primus ab origine Mundi, qui legitur suscitatus.) Eliseus viginti quatuor patravit miracula: inter quæ, Sunamitidis filium è morte suscitavit, suoq; cadavere, cadaver aliud reviviscere fecit. Josue, solem in cursu suo, immotum, fixumq; stare fecit circiter horis quatuordecim; vel ut sentit Divus Justinus in Dialogo contra Triphonem, horis viginti quatuor: imò tunc etiam constiterunt & alia astra. Isaias verò ad preces Ezechiæ, retraxit solem, decem gradibus. Sidrach, Misach, & Abdenago, tres hi Viri (erant enim tunc singuli, ferè quinquaginta septem annorum, licèt vulgò vocentur pueri in Scriptura: eò, quòd pueri abducti erant è Judæa in Babylonem) Regii sanguinis, & probabiliter, Eze-

Miracula varia recensentur facta ante adventum Christi.

Ezechiæ Regis nepotes, in medio camino ignis ardentis ambulabant innocuè: tuncq; multa miracula contigisse circa illos tres pueros, certum est: nam præter alia: ignis parcens pueris, concremavit Chaldæos longè consistentes: vincula dissolvit puerorum, corpora autem ac vestes eorum non attigit; in igne constituti, liberè loquebantur, uno ore dicentes: Benedicite omnia opera &c. Quod canticum miraculosè esse compositum ab iis in fornace illa, probabilius est: afflavitq; ventus roridus, qui ignis vim restinxit, ac pueros refrigeravit. Daniel in lacum Leonum, bis missus, semper ab illis illæsus &c. Sol item miraculosè defectionem & Eclipsim maximam passus est, positus in plenilunio, cùm esset ex opposito lunæ, passus inquam, dum Servator Mundi, crucis tormentum subiit. [Eramus (inquit etiam Sanctus Dionysius, Philosophorum Atheniensium præstantissimus, oculatus „testis: in Epistola sua ad Polycarpum) unà ambo nempe cum Apol„lophane, & stabamus ad Heliopolim, ac cernebamus, nec opinatò, „cùm luna se soli objiciebat: neq; enim compositionis tempus erat; „rursusq; cùm eadem, ab hora nona ad vesperum, se mediæ Solis li„neæ, præter naturæ ordinem opponebat: hæc sunt mirabilia illius „temporis, quæ Christus Auctor omnium efficere solus potest.] De hac miraculosa Eclipsi, testantur etiam Gentiles Scriptores, ut Thallus Chronographus & Phlegon Libertus Hadriani Cæsaris, Olympiadum egregius Supputator, qui lib: 14. hæc habet: *Quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis* (quem esse Annum Æræ vulgaris 33, apud omnes in confesso est) *magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio Solis facta est: dies, horâ sextâ, ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ cæli visæ sint.* Citat hunc textum & Philoponus: Archiva etiam testantur Romana: Unde Tertullianus in Apolog: ca„pite 21 dicit. [Eodem quidem momento, dies medium orbem signante „sole, subducta est: deliquium utiq; putaverunt, qui id quoq; super Chri„stum prædicatum nescierunt, & tamen eum Mundi casum relatum „in Archivis vestris habetis.] Lucianus quoq; in Actis sui Martyrii „alloquens Gentiles, dicit: [Perquirite in Annalibus vestris, & in„venietis temporibus Pilati, fugato Sole, interruptum tenebris diem.] Idem habet Origenes Tractatu 35. in Matthæum. Orosius etiam lib. 7. cap: 4. refert Multos Græcorum in suis libris id testari.

Eclipsis miraculosa Solis in Passione Christi.

Cer-

Certum item est, post adventum Christi Domini, nullum fuisse sæculum, in quo magna & plurima miracula non fuerint patrata; ut demonstrat Bellarminus & alii.

CAPUT XIII.

De Prophetiis.

Prima Propositio.

Futura contingentia nullus homo, viribus propriis, certò ac infallibiliter scire potest, licèt foret perfectus Astrologus.

PRobatur. Dicat tibi perfectus licèt Astrologus quædam præterita, imò & præsentia v. g. quid heri cogitâsti? vel nunc cogitas? quid scripsisti, legisti, & quantum? De cibo & potu quantum sumpsisti? Prænuntiet certò futura quædam contingentia v. g. quotnam poma arbor illa pomus latura sit? quantus ex illa tritici semente, spicarum, & in singulis spicis, quantus granorum numerus sit proventurus? Et certè fatebitur se nescire: cùm tamen hæc posterioris generis, faciliùs prædici possent. Arbores enim, stirpes, spicæ, multò magis, quàm homo à syderum influxu pendent, minùsq; varia & incerta solent illis evenire, quàm homini. Item si quærat solidè doctus Philosophus ex Astrologo judiciario. Quotnam sint cæli, an compositi ex forma, & materia, & an hæc sit ejusdem speciei cum materia sublunari? quot stellæ, qualisq; earum magnitudo? lumen unde desumant, qualis illarum vis, motusq;? & reperiet Astrologum in respondendo hallucinari: Vel si temerariè audax, determinatè responderit intrepidus, inquirenda sunt responsionis ejus fundamenta; clarèq; deprehendentur, esse vel omnino falsa, vel levissima, vel ad summum, probabilia. Si enim evidentia forent, non laterent summos Philosophos, ac proinde cessaret hoc in passu opinionum tanta varietas & concertatio, qualem cernimus. Cùm ergo Astrologus ignoret naturam astrorum, quidve respondendum sit ad illa quæsita: magis obvia, minùsve difficilia; quâ fronte jactare poterit, se certò ex astris corporeis scire, Regnorum, Urbium, bellorum, hominum eventus merè fortuitos, libertati spiritualis humanæ

Contingentia futura non posse certò prædici ab Astrologis, demõstratur multipliciter.

Ani-

Animæ planè subjectos? Vel certò scire meos actus tales futuros, vel aliorum circa me, qui vel immediatè, vel mediatè saltem, pendent à libertate, proinde à causa indifferenti & spirituali. Ex astris non potest certò colligere Astrologus, quo anno, mense, die, horâ, locô natus sum, & quæ mihi hucusq; obvenerunt bona vel mala. Qua ergo ratione scire præsumit, quantum adhuc victurus sum, annum, diem, locum, genus mortis meæ, aut quæ mihi bona vel mala obventura sunt?

Confirmatur Propositio, *imò* verbis Divi Ambrosii lib: 4. Hexaëmeron cap: 4. [Astrologi, quæ sua sunt, nesciunt: quomodo alia noverunt? Quid sibi immineat, ignorant. Quomodo possunt aliis, quæ sibi futura sunt, denuntiare? ridiculum est, credere, quia si possent, sibi potius providerent] *2dò*, Futura contingentia non possunt sciri à Creatura, in se, cum necdum sint in se. Nec possunt cognosci in causis creatis. Nam causa futurorum liberorum non est connexa ex se cum futuritione; cùm sit ex se indifferens, quia libera. Nec possunt cognosci in effectu aliquo: cùm nullum adhuc causaverint. Ergo ab homine naturaliter cognosci nequeunt. Sicut nequeunt à cæco colores videri. Nihil enim est in intellectu, quod non fuerit in sensu. Unde sapienter dicit Pindarus: Ad futura (intellige contingentia) cæcutiunt mentes humanæ. *3tiò* Confirmatur. Tum ex eo, quia Astrologia, levibus & planè ridiculis innititur fundamentis: scilicet, quòd signa Zodiaci, alia sint masculina, alia fœminina: alia humana: alia bestialia: quòd singuli planetæ habeant triangula quædam, ex signis tribus triangulariter opposita. Tum ex eo, quia Astrologia judicaria falsitatis convincitur in Geminis; estq; non tantùm ab universo Orbe Christiano, verùm etiam ab omnibus sapientioribus Ethnicis, semper damnata. Cicero lib: 2. de Divinat. dicit: [Permirum mihi videtur, quenquam exstare, qui etiam nunc credat Astrologis, quorum prædicta quotidie videt, re, & eventis refelli.] Porrò, ut prudenter notavit doctissimus Pererius in Genesin lib. 2. exercent hanc Astrologiæ artem, gaudentq; hisce commentis levissima quædam ingenia, lucri magis, quàm veritatis cupida: in Republica turbulenta, ac seditio-

sa,

ſa, & ſapientiæ optimatibus ſemper infenſa: rerumq; utilium & aliis notarum, faſtidioſa: & quibus non tam cordi eſt, & curæ, vera eſſe, quàm videri vulgo, ea ipſos ſcire, quæ ſummi Philoſophi neſcire ſe confitentur: Vulgus nonniſi ſtolidum, ad intelligendum hebes, infirmum ad judicandum, facile ad credendum, ejuſmodi Aſtrologis, aures & fidem libenter adhibet. Et ut ait Sanctus Baſilius: Quemadmodum aranearum tela, culices & muſcas; ita Aſtrologi, indoctos nonniſi aucupantur.

Cur aliquando vera prædicunt Aſtrologi.

Neq; dicas. Sed utiq; aliquando vera prædicunt Aſtrologi de futuris contingentibus? Reſpondetur enim id fieri. Tum quia, cùm multa prænuntient, caſu ex iis aliquid evenit: iſta tamen omnia, quæ aut temerè, aut aſtutè, vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, pars non eſt milleſima: ut benè ait Phavorinus apud Gellium lib. 14. cap. 1. Tum quia, ſi Aſtrologi ſemper falſum dicerent, ſemperq; contrarium eveniret illorum prædictionibus, eo ipſo, certò ſemper ſciremus, quid nobis eventurum eſſet; & ita, ſi Aſtrologus aſſereret, me ad ſexageſimum ætatis annum, non perventurum: jam certus eſſem, me perventurum, & ſic de cæteris; cùm tamen DEus, futura velit nobis eſſe occulta. Tum quia non raro Aſtrologorum prædictio vera eſt, ob ſtultam conſulentium credulitatem: inde enim exſurgit ingens ſpes boni appromiſſi ab Aſtrologo: vel ingens metus mali prænuntiati: hi autem affectus, plurimùm juvant, quatenus induſtriâ prædictos fines conſequantur; ut videre eſt exempla hujus ipſius apud Pererium in Geneſ: ad finem libri 2di. Inſuper quidam Aſtrologi, habentes ingenium ſagax, conſiderando temperamentum, affectionesq; hominum, & circumſtantias, ſe conſulentium, multa inde conjecturaliter inferunt eventura. Demum, quia ut libro 2do de Geneſi ad literam, cap. 17. ſcribit Divus Auguſtinus, *ſpirituum ſeductorum operatio eſt, quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur - partim quia vigent experientiâ callidiore - partim à Sanctis Angelis, quod ipſi ab Omnipotente DEO diſcunt, etiam juſſu ejus ſibi revelantibus. Aliquando autem iidem nefandi ſpiritus etiam,*

quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicant.- Quapropter bono Chriſtiano, ſive Mathematici, ſive quilibet impiè divinantium, & maximè dicentes vera, cavendi ſunt; ne conſortio Dæmoniorum, Animam deceptam, pacto quodam ſocietatis, irretiant.

2da Propoſitio.

Futura contingentia ſunt infallibiliter longè antè prænuntiata.

Demonſtratur, futura contingentia eſſe certò antè prædicta.

PRobatur. Quia mirabilis Nativitas Chriſti Domini, & Vita, præſertim verò ejus Paſſio, Mors, ac Reſurrectio: (utpotè magis difficilia ad credendum) ſunt à Prophetis ſanctis prænuntiata, pluribus antè ſæculis. Unde Sanctus Petrus, Actorum 3tio, dicit: *DEUS, qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit,- omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos.* Et Sanctus Paulus coram Feſto Præſide, Agrippaq; Rege, teſtatus eſt, quòd de Chriſto Domino nihil dicat, præter ea, quæ Prophetæ & Moyſes locuti ſunt, eſſe futura. Sanctus Philippus, Nathanaëli dixit, Joannis 1. v. 45. *Quem ſcripſit Moyſes, & Prophetæ in lege, invenimus JESUM.* Ipſemet quoq; Chriſtus Dominus, Lucæ 24. *Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis* (Diſcipulis duobus euntibus in Emaus) *in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant- & dixit:- Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me.* Ideoq; ut conſummaretur Scriptura (nempe: In ſiti mea potaverunt me aceto. Pſalmo 68.) dixit: Sitio. Adimpleviſſeq; ſe omnia, moriens in cruce comprobavit, dicendo: Conſummatum eſt. Certè Iſaias, qui prophetavit ferè octingentis annis Chriſti adventum; Non tam Propheta dicendus (loquor verbis Sancti Hieronymi) quàm Evangeliſta; & non videtur prophetiam texere, ſed Evangelium. Ex ipſo Iſaia, ſexaginta ſex Textus de Chriſto, explicat Novum Teſtamentum: Et Leo Caſtrius collegit har-

harmoniam singulorum Capitum Evangeliorum, quæ Isaiæ respondent; ut omnia Evangelia ex Isaia derivatata esse videantur. Lege interim Caput 52. à versu 13: & totum Caput 53 Isaiæ, de Passione, Morte Christi, ejusq; fructibus, quæ ibi ita sunt aperta, ut (inquit Sanctus Augustinus libro 18. de Civitate, cap: 29.) etiam inimici intelligere cogantur inviti. Lege Psalmum 21, quem Christus cruci affixus, cum lachrimis cecinit: totam continet is Christi Passionem, adeo clarè, ut non tam prophetia, quàm Historia esse censeatur Passionis Christi. Lege Libri Sapientiæ Caput 2. à versu 12. ad versum 22. Jeremiæ Capitis 4ti versum 20. Baruch caput 3. à versu 36. Danielis caput 9. à versu 25. ad finem: Zachariæ caput 13. à versu 6. Et experieris veram esse Propositionem nostram 2dam. Evolve insuper Moysis libros. Omnia enim Mosaica Sacrificia cruenta, præcipuè occisio Agni Paschalis, & sanguis Testamenti; item Aqua expiationis: Aquæ amaræ, versæ in dulces per ligni injectionem: transitus maris rubri: Venditio Josephi in Ægyptum, & ejus pòst, glorificatio: Manna: Exaltatio serpentis in ligno. Hostia animalium, quibus peccata imponebantur, ac liberè dimittebantur. Mors Summi Sacerdotis, post quam exules in Patriam redibant: Civitates quinq; refugii; Victoria ex Amalecitis, reportata, dum teneret extensas manus suas Moyses; Item Arca Noë: Scala Jacob: Sacrificium panis & vini Melchisedech: Abraham offerens filium suprà montem. *Omnia hæc* & similia *in figura contingebant illis*, ut loquitur Sanctus Paulus 1. Corinth. 10: præfigurabantq; Vitam, Passionem, & Christi Mortem, ejusq; fructus, & Sacramenta, ab eo instituta. Quid singuli Prophetæ de Christo, ejusq; Ecclesia prædixerint, tractat inter alios fusè Divus Augustinus, Sanctùs Justinus & alii passim. Porrò notatum est à Viris sapientibus, ex Veteris Testamenti libris, contineri in Novo Testamento, Textus plures, quàm trecentos, ab Evangelistis, Apostolis, & Christo Domino citatos, ad nostræ Fidei Mysteria confirmanda, præcipuè de Vita, Morte, & dignitate Christi.

Neq; dicas imò. Prophetias illas, à Christianis esse confi-

Objectio in contra solvitur duplex.

ctas: Vel ex Hebræo Textu non esse antiquitus benè versas in linguam Græcam. Contra enim solidè urget Divus Augustinus libro 1. de Consen: Evang. inquiens: [*Quemadmodum ad confirmandam Religionem Christianam, voluit DEus præmittere Prophetas, qui longè ea vaticinarentur, quæ completa postea fuêre in Gentibus, & quidem eas Scripturas voluit haberi præ manibus Judæorum inimicorum, ne dicerent Gentiles, hujusmodi prophetias à nobis confictas; ita ne objicerent iidem detractores, in gratiam Christianorum, Judæos: vel ad confirmanda nostra, aliquos ex Christianis, post Christum, ita in Græcam lingvam vertisse Scripturas; voluit quadam singulari Providentiâ, trecentis annis ante Christum, eas per Judæos Interpretes ex Hebraica transferri in lingvam Græcam.* Non absimilia habet idem Sanctus in Psalmum 68. Libro 18, de Civit: cap. 46. Epistola 3. ad Volusianum, & alibi.

Neq; dicas 2dò. Prædictiones illas fuisse casuales. Nisi velis imprudenter & impiè etiam dicere Evangelium ab Evangelistis, Historias item omnes ab Historicis, casualiter esse conscriptas. Accedit, quòd omnia Christum concernentia sint prænuntiata cum omnibus circumstantiis loci, temporis, qualitate &c.

De Sybillarum Oraculis.

Confirmatur Propositio. Quia Gentilium prophetissæ, Sybillæ, quarum Oraculis nihil habent Ethnici, aut verius aut fidelius. Unde Pòëta fidem suis dictis aucupans dixit: *Credite me vobis folium recitare Sybillæ.* plurima clarè prædixerunt longè antequam fierent, præsertim de Christi Nativitate, Vita & Passione: ut videre est cl apud Sanctum Augustinum lib: 18. de Civit: cap. 23. & Oratione contra Judæos, Paganos, & Arianos, cap. 16. item apud Lactantium libro 4. Institut: & alios plurimos.

Nota. Quòd plurima Sybillina carmina de Christo, ante ejus adventum, censebantur monstrosa quædam Oracula, nec illorum Veritas penetrabatur à legentibus illa; sicut, licèt Christus Dominus sat clarè & distinctè, futuram suam Passionem prænuntiaret, tamen, ut ait Sanctus Lucas cap. 18. *Ipsi nihil horum intellexerunt, & erat*

ver-

verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Verissima tamen fuisse illa Oracula, eventus probavit.

2dò Probatur eadem secunda Propositio Inductione. Genesis 40. Joseph prædixit Pincernæ Regis Ægypti, & Pistorum Magistro incarceratis, quòd prior, post triduum sit restituendus pristino officio, posterior verò in cruce suspendendus. Idem, Genesis 41. prædixit Pharaoni, septem annos sterilitatis, post septem annos fertilitatis magnæ. 1mo. Regum 3. 10. & 28. Samuel prædixit summo Sacerdoti Heli, pœnas graves subeundas: Sauli Regiam dignitatem & victorias: dein & mortem violentam. Nathan (2. Reg: 12.) Davidi, ob adulterium & homicidium adjunctum, pœnas atroces, & mortem infantis: Eidem 2. Reg: 24. ob numeratum populum, Gad Propheta pestilentiam. Propheta (dictus Jaddo, juxta Sanctum Hieroymum) prædixit 3. Reg: 13, Josiam nasciturum, & ab illo immolandos sacerdotes idololatras super altare, illudq; scindendum, ac effundendum cinerem. Ahias Cœcus dignoscit uxorem Jeroboam Regis. 3. Reg: 14. prænuntiatq; domui Regis multa mala, mortemq; filii ipsius. Juxta verba oris Eliæ (3. Reg: 17.) clausum est cælum tribus annis, & Viduæ non defecit hydria farinæ, & lecythus olei, non est imminutus, usq; in diem, in quo data est pluvia, juxta verbum Eliæ. Dixit Elias (3. Reg: 21.) Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel, &c, Item (4. Reg: 1.) De lectulo super quem ascendisti (Ochozias Rex) non descendes, sed morte morieris. Elizæus (4. Reg: 3.) prædixit Regibus Juda, Isràël, & Edom, in deserto pluvias, & victoriam ex Mòábitis: Mulieri verò (4. Reg: 4.) dixit. In tempore isto, & in hac eadem hora, habebis in utero filium. & cap. 5. Nàámo Principi Syriæ mundationem à lepra: Giezi verò lepram prædixit. Idem Elisæus (4. Reg: cap. 7.) dixit: Hæc dicit Dominus in tempore hoc, cras, modius similæ, uno statere erit, & duo modii hordei, statere uno in porta Samariæ. Respondens unus de Ducibus, super cujus manum Rex incumbebat, homini DEI ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse, quod loqueris: qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Prædixit item, ut legitur (4 Reg. cap. 8. 9, & 13.) famem septennem; & Hazàéli, futurum Regem Syriæ,

De Oraculis variorum Sanctorum Veteris Testamenti.

riæ, multaq; mala illaturum Israëli: Jehu regnaturum in Israël, ac per illum, delendam domum Achabi: A Rege Joas ter percutiendam Syriam &c. Isaias cap. 19. & 20. prædicit Ezechiæ liberationem Urbis ab Assyriis. Eidem sanitatem, & quindecim annos vitæ: Solis recessum quindecim lineis. Daniel cap. 2. & 11. multa prædicit de quatuor Monarchiis, de expeditione Xerxis contra Græcos; de Alexandri Magni Imperio, quod postea dividendum erat in quatuor Regna. Quæ omnia & singula, sicut prædicta sunt, sic certò evenerunt.

De Oraculis Christi Domini.

Confirmatur eadem Propositio. Christus Dominus, ut patet ex Evangelio, inter alia verissimè prædixit conversionem Gentium; Prædicationem Evangelii ubiq; terrarum; Trinam negationem Petri; Judæ proditionem; Jerosolymitanæ Urbis excidium, & modum. Prædixit multoties distinctè & ordine totam suam Passionem ac Resurrectionem; Inventionem stateris in ore piscis; occursum hominis, amphoram aquæ portantis; inventionem pulli asinæ: Discipulorum persecutionem & miracula: Petri crucifixionem, & similia. Alias innumeras certissimas & evidentes prædictiones Sanctitate præcellentium, qui post Christum singulis sæculis, imò ferè singulis Annorum decadibus floruerunt (ne fusior sim) prætermitto.



LI-



LIBRI PRIMI

PRO DEO CONTRA ATHEOS

TRACTATUS TERTIUS.

ARGUMENTA SUPRA QUADRAGINTA PROPONUNTUR EVERSIVA ATHEISMI.

Argumentum quid Negativum?

Ab initio hujus Tractatûs, cur aliqua Negativa, poſita ſunt Argumenta?

In titulo Tractatûs

STabilitis jam in ſuperiori immediatè Tractatu multifariis Propoſitionibus, veluti Principiis, jam nunc deſcenditur ad ipſa Argumenta, quorum plurima, in illis Propoſitionibus fundantur. Porrò Argumenta duo Negativa (hoc nomine intelligo ea, quæ vel principaliter devolvunt onus probandi ac reſpondendi, in Adverſarium: vel illius fundamenta evertunt) libuit ſtatim ab initio proponere, quatenus Athei, vel non graviter ab Atheiſmo abhorrentes, aliàs ad opinandum quodlibet audaces, nimiùmque garruli ratiocinatores: elatiores, quàm capaciores (ut Divus Auguſtinus lib: 1. de Trinitate, cap: 2. appellat Ethnicos & Hæreticos) quive in oppugnanda Veritate arguti, & diſerti videri volunt, videntes, probandi onus ac reſpondendi, in ſe devolvi, ſolidâ deſtituti reſponſione, diſcant de ſe non altum ſapere, cernantque faciliùs ac evidentiùs, quàm ruinoſis innitantur fundamentis : hac enim ratione, celeriùs acquieſcere poterunt Veritati. Ex quadraginta & ultra, in hoc Tractatu contentis Argumentis, etſi quædam, non videantur excedere gradum ſummæ Probabilitatis, tamen longè plura ſunt, quæ merentur nominari Demonſtrationes, & verè ſunt, utpote continentia certitudinem ac evidentiam. Dixi in Titulo Voluminis, & deſuper; *Supra 40. Argumenta;* quia licèt numerus non excedat

quare appositum: ſupra 40. Argumenta.

dat quadrageſimum, appoſitus everſivis Argumentis, tamen ex iis principalia, vel abundant multoties Confirmationibus: vel etiam conſtant pluribus Propoſitionibus: vel earum Partibus, quarum ſingulæ Confirmationes, Propoſitiones, vel Partes, quandoq; ſufficiunt ad formandum ſpeciale Argumentum pro Exiſtentia DEI; ut legenti patebit. Videri quidem cuipiam poſſent Argumenta quædam, præſertim illa, quibus demonſtratur Exiſtentia Entis ſummæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis, non differre inter ſe, niſi materialiter: ea tamen penitiùs penetrans, fatebitur, plùs, quàm materialiter differre; ſiquidem notabiliter alia documenta & effectus Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis, ineſſe Elementis; diverſa, Corporibus Cæleſtibus: alia, plantis: diverſa, animalibus: alia, homini; ineſſe inquam, monſtrantur. Nec me quiſpiam arguat, quòd vim Argumentorum Syllogiſticè proponam: ſic enim illorum vim, majori cum facilitate percipiendam; validiùs memoriæ imprimendam, in eaq; diutiùs conſervandam, è ſenſu communi Doctiſſimorum, maximè Recentiorum, cenſeo. Sit igitur.

Syllogiſticè cur proceditur?

Primum Argumentum.

Pro ExiſtentiaDei Argumentum 1mũ, deſumptũ ex ſubverſione Fundamentorũ, in quibus Athei ſuam impietatem fundant.

PRæcipua Fundamenta, quæ Athei pro ſua nefanda impietate afferre ſolent, ſunt hæc: *Imò.* DEus non eſt: quia non videtur, nec ullo ſenſu percipitur. *2dò.* Quia improbi plerumq; in hac vita, felices; probi infelices. *3tiò.* Quia in Mundo fiunt tot mala. *4tò.* Quia natura rerum viſibilium ſcatet pluribus defectibus phyſicis *5tò.* Quia Legislatorum eſt merum commentum, Exiſtentia DEI, quatenus populi ſub imperio contineantur: vel etiam primùm in Orbe timor, Deum fecit. *6tò.* Abſq; Deo poſſunt omnia refundi in ipſam Naturam. *7mò* Quia Dei Natura perfectè cognoſci nequit. *8vò.* Quia demonſtrari non poteſt Exiſtentia Dei. *9nò.* Quia eſſe Dei, quod à Chriſtianis aſſeritur, involvit implicantiam. *10mò tandem.* Quia poſito, quòd Deus eſſet, non poſſet reſponderi ad multa quæſita.

Sed hæc Fundamenta non ſubſiſtunt, ſuntq; everſa evidenter in Tractatu 1mò Libri hujus 1mi. Ergo nec debet ſubſiſtere illa Propoſitio: DEus non eſt: proinde inſipienter faciunt Athei, negando DEum.

2dum Argumentum.

2dum. Ex possibilitate Entis in omni genere perfectissimi. Item: Ex possibilitate talis Entis, quod sit Primū Principium effectivum omnium.

ENS in omni genere perfectissimum, omni carens imperfectione, non est impossibile; verùm est possibile: imò defacto existit. Sed DEus est Ens in omni genere perfectissimum. Ergo non tantùm non est impossibilis; non tantùm possibilis: sed defacto existit DEus. Majoris & Minoris Propositionis Veritas constat ex Capite 1mo Tractatûs 2di superioris. Consequentia legitima.

Illustratur & confirmatur hoc ipsum propositum Argumentum multipliciter. *1mò.* Tum quia, si Ens in omni genere perfectissimum esset impossibile, sequeretur chymeram esse causam & fundamentum præcipuum omnis virtutis & honestatis: quod tamen prudenter admitti non potest: sicut prudenter concedi nequit: tenebras, esse causam lucis. Vide dicta suprà in Tractatu 2. cap: 2. sub Propositione 2da. Tum quia (ut in simili doctissimè arguit Subtilis Scotus in lib: 1. Sent. Dist. 2. qu. 2.) Cur ratio Entis, vel ejus passio cum illo convertibilis essentialiter ac indispensabiliter debet esse quid imperfectum? Cur nulli Intellectui benè disposito, hæc ratio Entis, vel passio innotuit? cùm tamen primæ passiones Entis & convertibiles, satis videntur sibi notæ inesse? Cur nullus Intellectus rectè dispositus, cujus objectum est Ens, ullam invenit veram repugnantiam in Ente perfectissimo? mirum est autem, imò incredibile, si nulli Intellectui, talis contradictio patens fiat circa ejus 1mum Objectum? Cur nullus Intellectus ab Ente summè perfecto, summèq; intelligibili, naturaliter refugit, sicut à non conveniente, imò Objectum suum Primum destruente? Ergo apparet, quòd tale Ens non sit quid impossibile. Ergo est possibile. Si possibile. Ergo existens. Nam eo ipso non esset Ens perfectissimum: siquidem non esset Ens necessarium essentialiter in existendo.

2dò Confirmatur. Non est impossibile Ens tale, quod sit Primum Principium, & Causa omnium effectuum, & aliorum Entium existentium, imò & possibilium; ac Fons omnis Esse distincti à se quò ad Naturam. Quæ enim est implicantia Entis talis, præcisè sub tali ratione & conceptu sumpti? Ergo est possibile. Ergo existit. Aliàs non esset Principium tale & Fons; vel nihil omnino esset productum.

ductum. Ut evidenter infertur.

Quodq; sit Ens a se. *3tio*. Possibile est Ens à se. Cur enim non? Ergo datur. Consequentia patet. Si enim Ens à se, supposito, quòd sit possibile, non daretur tamen à parte rei: tunc proveniret hæc Entis à se non existentia, vel ab alio Ente contra distincto: vel ab ipso Ente à se. Sed primum implicat: Quia Ens à se, vi ipsorum terminorum, est prorsùs independens ab alio Ente. 2dum. etiam est impossibile. Tum quia aliàs illud Ens esset sibi inimicum, & summè invidum. Tum quia aliàs non esset Ens perfectissimum; cùm tamen ex Ente à se profluat omnis perfectio essentialis simpliciter simplex. Ut probatum est in eodem Capite 1mo, Tractatûs 2di. Ergo si est possibile, datur. Ergo existit DEus.

Item ex possibilitate prædicatorum, soli perfectissimo Enti convenientium. *4tò* Confirmatur. Non est impossibile Ens talis perfectionis, ut à nobis comprehendi nequeat: ut sit Unicum, & Infinitum per essentiam; sit sinè ulla vera contradictione simplicissimum in Natura, & simul liberrimum ad extra: sit Intellectivum & Intelligens, simulq; sit ipsa Intellectio sui, & omnium extra se. Ergo est possibile tale Ens. Ergo existit. Ergo Deus existit. Bonitas Illationum cum suo Antecedente constant ex eodem Capite 1. Tract: 2di.

Adverte *1mò*. Ejusmodi argumentandi modô, posse facilè probari Existentiam Dei, sub quocunq; etiam alio Conceptu convertibili cum Deo: puta, sub conceptu Summi Boni: vel sub conceptu Entis essentialiter necessarii in existendo semper: vel Supremi Domini rerum omnium: vel sub conceptu Intellectivi Entis, semper comprehensivi & intuitivi omnis Veritatis &c. v. g. sic: Summum Bonum existere à parte rei, est possibile. Cur non? Ergo existit à parte rei: proinde existit Deus.

Adverte *2dò*. Implicantiam si afferret Atheus aliquam, contra possibilitatem Entis in omni genere perfectissimi, tunc erit vel aliqua desumpta ex fundamentis Atheorum in Tractatu 1mo suprà: vel coincidet cum iis; proinde etiam ex eodem Tractatu petenda responsio, ad illius implicantiæ nullitatem demonstrandam.

Adverte *3tiò*. Consultò posui statim ad initium hujus Tractatûs, Argumenta duo negativa, propter Rationem sat validam, superiùs in principio hujus Tractatûs propositam: talibusq; Argumentis sentio, ab initio statim impetendos esse eos, qui dubitare incipiunt de

Existentia Dei, & sibi ipsis videntur esse multùm scioli.

Neq; dicas. Possibilitas Dei, est impossibilis: quia in Deo non est potentia ad suum esse. Unde dicit Sanctus Thomas, Quod potest esse, potest non esse: Deus autem certè non potest non esse: cum sit sempiternus essentialiter: in D[illegible] igitur non est potentia ad esse. Respondetur enim facilè. Ne[illegible] Antecedens. Ad ejus Probationem dico. In Deo non est c[illegible]m Potentia physica ad esse suum, in hoc sensu, quòd exstiterit [illegible] sua vera causa, vel sic existere potuerit, vel possit (& hoc solùm vult lib: 1. contra Gentes, cap: 16. Divus Thomas citatus, ut patet legenti illud totum Caput 16.) Est tamen Potentia logica ad esse, seu non repugnantia, non tantùm ad esse, sed ad esse necessariò à se: ex qua Potentia, rectè infertur Existentia Dei. Meritò proinde, anno 1688. prohibita est doceri in Scholis nostris, Propositio hæc: *Ex Possibilitate Dei, non rectè infertur ipsius Existentia: quia implicat Possibilitas Dei.* *Qualisnã in DEo est potentia ad esse?*

3tium Argumentum.

3tium.

ILla Propositio est graviter erronea, ex qua sequitur magnum inconveniens, & absurdum aliquod. Ut patet. Eo enim ipso, talis Propositio est difformis graviter rectæ Rationi: proinde Veritati. Vide dicta in Tractatu 2do, cap: 2. Sed ex Propositione hac: Deus non est. Sequitur aliquod, imò multa grandia inconvenientia & absurda. Nempe: Quòd sine dementia, non possit consistere rectus ordo vitæ humanæ, morumq; honestas. Quòd Veritas prima & summa deberet occultari: falsitas verò prima & summa, publicari. Quòd Bonum per se Intellectûs, esset causa per se mali; malum verò, causa boni: omnesq; Sapientissimi: essent stultissimi: aliaq; plura inconvenientia: ut probatum est in eodem Capite 2. Tractatûs 2di, sub Propositione 2da. Ergo Propositio illa est erronea; proinde Propositio contradictoria illi, nempe hæc: Deus est: seu, existit: non est erronea, sed est vera. *Ex sequela variorum gravissimorũ inconvenientium*

Docent Jurisconsulti & Theologi apud Barbosam in Opusc: de Locis Probationum. Verbo. ab Absurdo num: 1. Nullum Argumentum esse validius, quàm ab absurdo vitando. Cùm ergo ex Atheismo, sequantur ingentia absurda: ut clarè deductum est illo Capite 2do: ideo *Quàm validũ ejusmodi Argumentũ?*

ideo Argumentum hoc validissimum censeri debet ad evertendum Atheismum, comprobandamq; Existentiam Dei.

4tum Argumentum.

4tum. Ex consensu semper omnium Gentium & Sapientum.

QUod omnes Gentium Nationes, nunc, & retroactis cunctis temporibus, ac in his, universi innumeri summô ingeniô & Auctoritate eximiâ, multipliciq; doctrinâ & virtute instructi, palàm, constanterque sine ulla hæsitatione, ut verum ac indubitatum affirmant: Neque est fundamentum judicandi, illos, vel per malitiam decipere velle, vel per ignorantiam deceptos; illud defacto est verum. Ut demonstratum est in Tractatu 2. Cap: 2. sub Propositione 3. Sed circa Existentiam Dei, ita est: ut clarè deductum ibidem sub Propositione 4ta. Ergo existit Deus.

Certè tanta est hac in parte, & tam firma, & veluti jurata in hoc, omnium ætatum & Gentium, rudium & Sapientum ac Philosophorum Veterum, licèt in cæteris dissentientium, tanta inquam, consensio, ut ei similis in nulla alia re, quæ pendet ab humana fide, reperiatur. Unde notitia de Deo, vel ab ipsomet Deo est indita mentibus humanis: vel à primo Parente tradita posteritati: vel veriùs, utrumq; influxit: potissimùm autem ipsa Evidentia hujus Veritatis, videtur causâsse tantum consensum.

Atheus est insipiens, nec fidem meretur.

Confirmatur *1mò*. Insipienter agit, qui in quæstione gravissimi momenti, adhæret potiùs illi parti, quæ nullam certam, imò nec verè probabilem habet pro se rationem, estq; valdè exigua pars, tam quò ad numerum sibi adhærentium, quàm quò ad doctrinam & eruditionem, respectu partis oppositæ, Rationibus validis & auctoritate summâ firmatæ. Sed sic est in præsenti quæstione de Existentia Dei: ut satis etiam patenter in hoc Volumine demonstratur. Ergo Atheus est verè insipiens.

Confirmatur *2dò*. Tum quia Athei, utpote negantes scelerum vindicem, existere Deum, non verentur mentiri, etiam in re gravissima. E contra Viri solidè docti & Sancti, aversantur mendacium, utpote credentes, displicere Deo grave mendacium, morteq; æternâ plectendum. Ergo potiùs his danda est fides. Tum quia (ut sapienter notat

notat P. Recupitus lib: 1. de Existentia Dei, quæstione 10.) tam stabilis & universalis consensus de Existentia Dei, non potest oriri ex inclinatione & pravo affectu voluntatis ad malum (ut accidit tam in Turcis, propensis ad Mahometanismum, ob licentiam Veneris: quàm in Atheis, ob securitatem malè agendi) quia voluntas pravè inclinans ad propriam excellentiam & ad liberè agendum, potiùs inclinat ad credendum, non esse ullum Ens, infinities excellentius homine, nec ullũ esse Judicem operum & cogitationum omnium. Ergo restat, ut oriatur ille Consensus ex inclinatione Intellectûs ad Verum, sitq́; causa tanti consensûs ipsa Veritas. Ejusdem Argumenti 4ti Veritas illustratur. Divus Augustinus, ut Julianum Capuæ, aut veriùs Celenensis Ecclesiæ in Campania Episcopum, in hæresim Pelagii lapsum, qui eidem Augustino, tanquam Manichæorum dogma objecit: quia ex Adam trahi dixit peccatũ in parvulos: ut inquam, erroris convinceret, adductis libro 1. contra Julianum cap: 3. pro veritate hujus Dogmatis, Doctoribus, Irenæo, Cypriano, Reticio, Olimpio, Hilario, Ambrosio, sic alloquitur Julianum cap: 4. *Introduxi te sedandum atq́; sanandum, non in alicujus Philosophi Auditorium, sed in Sanctorum Patrum pacificum, honorandumq́; conventum: sit operæ pretium, obsecro te. Aspice illos, quodammodo aspicientes te, ac manifestè, ac leniter dicentes tibi. Itane Nos, Fili Juliane, Manichæi sumus? Rogo quid respondebis, quibus eos oculis intueberis? quæ tibi Argumenta succurrent? Quæ tuorum Argumentorum, vel acies vitrea, vel plumbei pugiones, in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient, nudumq́; destituent?* Potiori jure, paucis immutatis, alloqui mihi sic liceat Atheum. Introduxi te Athee sedandum atq́; sanandum, non solùm in omnium Sanctorum Patrum, verùm omnium ex toto Orbe, retroàctis cunctis temporibus, & nunc collectorum Sapientum; addo, & tuorum Majorum, seu Parentum, Avorum, Proavorum, Atavorum, pacificum, honorandumq́; conventum. Obsecro te, aspice illos, quodammodo aspicientes te, & mansuetè, ac leniter dicentes tibi: Itáne nos omnes, degener fili, per ignorantiam decepti sumus, vel per malitiam decipimus? cùm DEum existere omnes indubitanter asserimus? Rogo, quid respondebis, quibus eos oculis intueberis, quæ tibi Argumenta succurrent? &c. *Cernis, quàm tibi perniciosum sit* (utor verbis Divi Augustini eodem

Consensus omnium de Existentia DEI undenam oritur?

Ex Sancto Augustino desumpta allocutio Athei, notatu dignissima.

Cap: 4. & 5to.) *tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus. Si cernis, cerne, & tandem tace: nefariam linguam, tot linguis orthodoxis deprime, tot venerandis Oribus, proterva ora submitte. Si in scholam Xenocratis, sicut Polemo ex antelucano convivio temulentus intrasses, non tanta, quanta in isto cætu tot Sanctorum,* (tot Sapientum, tot Majorum tuorum) *deberes verecundiâ còërceri; hìc enim certe tantò major debet esse verecundia, quantò verior addiscitur Sapientia.-- Miror si hoc aliquando ex tuo ore poterit procedere, quod te tamen pravitas clamare tui compellit erroris: Sed mirum, si in facie hominis, tantum intervallum est inter frontem & linguam, ut in hac causa, frons non comprimat linguam. Unde quæso Athee,* (utar iterum verbis S. Augustini in Psalm: 147. paucis immutatis contra Donatistam Hæreticum) *Judicâsti de Orbe terrarum?* damnando illum erroris, quòd semper asseruerit & asserat, Deum esse. *In quo foro Mundus ante te stetit? de quo Tribunali dicis tu sententiam hanc in Orbem terrarum? Præsumptione videlicet cordis tui; altum Tribunal, sed ruinosum.*

Objectio duplex dissolvitur.

Si dicatur, Ex Consensu Gentium non posse desumi efficax Argumentum pro Existentia Dei. *1mò.* Quia plurimi semper fuerunt inter Gentiles, & nunc sunt inter Christianos, Athei. *2dò.* Quia omnes in Regno amplissimo Sinensi & populosissimo (numerantur enim in illo, 250. milliones hominum: ut refert ex Patre Nicolao Trigaudt, Cornelius à Lapide in Cap: 10. Apoc: v. 16. pag: 176.) Omnes inquam Literati, tam antiqui, quàm moderni, sunt veri Athei, negantes Deum existere: ut legitur in Historia cultûs Sinensium, à Procuratore Reverendissimi Domini Maigrot, conscripta. Respondetur

An multi Athei?

Ad 1mum. Etsi certum sit plurimos semper fuisse & esse Atheos Morales, qui nempe, licèt credant & sciant Deum esse, factis tamen eum negant, vivendo & agendo ita, ac si non crederent existere Supremum Judicem. Atheos tamen formales, & propriè dictos, qui absolutè negent esse Supremum Numen, nego semper fuisse plurimos: siquidem nullum congruum antiquitatis, vel Auctoritatis testimonium hac de re profertur; quinimo tam Scriptores Gentiles, ut Maximus Tyrius, Cicero, Simplicius; quàm Patres, ut Augustinus, Chrysostomus, &c. Atheos fuisse paucos testantur. Vide textus eorum in Tra-

ctatu

ſtatu 2do ſuprà, Cap: 2. ſub Propoſitione 4ta. Tres tantùm Atheos, libro 1. de Natura Deorum, memorat Tullius, nempe Protagoram Abderitem, qui primus dicitur dubitâſſe de Exiſtentia DEI: Diagoram Mileſium, Theodorum Cyrenaicum Sophiſtam, quibus meritò ex veteribus adjici ſolet Critias, Selius & alii pauci. Non diffiteor tamen nunc longè plures eſſe Atheos. Nam inſignis Theologus P. Gabriel Vaſquez in unam D. Thomæ quæſt: 2da art: 3. Diſput: 20. ait: „Magna turba Atheiſtarum, hâc noſtrâ ætate in Eccleſiam irruit. Et P. Carolus de Grobendoncq; Sacræ Theologiæ Doctor, in ſuo eruditiſſimo vaſto Volumine de Ortu & progreſſu Spiritûs Politici, edito Pragæ 1666, ibi in prooemiali libro, folio 170, ſcribit hæc: [Atheiſmum vehementer invaleſcere, teſtes mihi ſunt, nec pauci, nec vulgares. Certè Boverius ex l. 2. c. 10. libelli cujusdam Pariſienſis, & „Pet. Greg: Tom. 3. Synt. mir. cap: 1. Numerum Atheorum in Gallia „ad 60000 excreviſſe aſſerit. Marinus Merſennius (Quæſt: & Comment: in Geneſim c. 1. v. 1. q. 1.) Patriæ ſuæ calamitatem deplorans, „50000 Pariſiis reperta eſſe fatetur; Germaniam, Angliam, Poloniam „Atheis infectam, Sturmius, Durerus, & alii referunt; Italiam quoq; „iis refertam eſſe, Vaninus ante ſupplicium, quod Atheus, Toloſæ „ſubiit, confeſſus eſt; ipſam deniq; Romam, ab hac peſte immunem „non eſſe, non ita pridem Romæ degens Cornelius noſter ſcripſit, qui „etiam Apocalypſim explicans, ſibi perſuadet, interitum Mundi, adeòq; „adventum Eliæ & Antichriſti, non procul abeſſe, idq; ex eo, quòd „Politiciſmus & Atheiſmus nunc vehementer invaleſcat, etiam in iis „locis, in quibus Religio jam maximè viget; & tamen ante adventum „Antichriſti, penitus ibidem eſt extinguenda.] Hucuſq; ex P. Carolo. Julius Cæſar Scaliger. Poëtices libro 3tio, qui & Idea vocatur, cap:16 dicit: Atheos pleroſq; militum eſſe. Joannes Caſus, Medicinæ Doctor, in Prologomenis, in Phyſicæ Ariſtotelis libros. Horrendum „(inquit) eſt dictu quidem, & tamen dicendum, multi ſunt hodie incredibiliter ſtulti, qui audeant dicere: non eſſe Deum. Si non vidiſſem, ſi non audiſſem hæc monſtra (Hacketum blaſphemum illum Atheum, alioſq;) certè tam multus, vehemens, & copioſus in hac cauſa „non fuiſſem. Morinus in Præfatione ſuæ Aſtrologiæ Gallicæ ait: In „aulis Regum, præcipuè nunc inſoleſcit effrænata Atheorum ſecta. His tamen non obſtantibus, certum eſt, quòd Athei, comparativè ad ſibi

oppo-

oppositos, paucissimi sint, & scioli magis, quàm ingeniosi & docti: vel ut vocat Gentiles & hæreticos S. Augustinus: *Garruli ratiocinatores, elatiores, quàm capaciores.* Et hi, si comparentur cum doctissimis, affirmantibus Existentiam Dei, haud dubiè clarè reperietur, ab istis, Atheos incomparabiliter superari, etiam quò ad ingenii & Eruditionis præstantiam, longè magis, quàm Pigmæum à Gigantibus: faculam ab astris; collem à montibus altissimis. Certè, unus si Plato pro omnibus; uno Alexandro, si tota impleta Alexandria; & David, si pro 10 millibus computatur; quidni tot Sapientissimi, imò solus Augustinus, omnibus Atheis longè præferendus? *Ad 2dum* Respondetur. Id, quod scribitur, omnes Literatos Sinenses, Atheos fuisse, & esse; veritati dissonat; siquidem ab ipsis Monarchiæ hujus incunabulis (quæ originem derivat à Noëmi filio Sem) viguit semper notitia Summi & veri Numinis; Fohinus enim Monarchiæ Sinicæ Conditor, ducentis ferè post diluvium Noëticum annis, certas pecudes (ut testantur Sinensia monumenta) domi alebat, quas Cæli terræq; Domino immolabat; eidem cæli Domino, templum posuit Hoamtius Imperator tertius Sinarum. Chuenchius Imperator V, Divini Numinis cultum propagavit in omnes Provincias, & certos eidem procurando, Mandarinos præfecit. Ejus Successores, non minorem pietatis veræ ac Religionis curam gesserunt; Nec dubitabant Imperatores ipsimet, versare humum, cujus felicibus sulcis mandandæ fruges erant sacrificio destinatæ. Certa pariter jejunia & publicæ preces indicebantur, maximè si quæ calamitas urgeret, si sterilitas vexaret agros, si hostis fines incursaret, si terra, motibus intestinis concussa, jactaretur. Corruptis paulatim moribus elanguit pietas, & vesania superstitionum miseris incubuit, Veneficia, Magicæ artes, Præstigiatorum ludibria grassari per populum cæperunt. Principem in idolis Sinensibus locum obtinet Fo, Magus olim, aut Circulator Indus, ejus discipuli & cultores, magnam partem Orientis impleverunt, appellanturq; à Siamensibus, Talapoini; à Tartaris, Lamæ; à Sinis, Hoshangi. Ille Fo, cùm jam ageret animam, traditur vocâsse discipulos, iisq; tanquam rem omnium, quas unquam docuisset verissimam dixisse: Ex nihilo orta sunt omnia, & in nihilum omnia revolvuntur. Impia vox, Atheos quosdam in India procreavit: quorum tamen secta infelix, perinde

Sinensium sensus de Deo.

inde atq; ipſe idolorum cultus, non tam Religionis Sinicæ pars, quàm labes dici debet, publicè infamis & condemnata. Neq; tamen ita ſunt Athei, ſi qui ſunt, Deum ut planè ac præfractè negent: Sed, quòd Deum aliquo modo cognitum, verbis agnoſcere, ac profiteri factis nolint. In priſcorum certè Literatorum ſcriptis, evidentia Divinæ notitiæ veſtigia conſtat inveniri, ac recentioribus vulgò Literatis, idem ratio ac doctrina perſuadent. Remanſit ſemper in Imperii Sinici corpore, corruptis aliquot ejus membris, notitia veri Numinis, & vim hodieq; ſuam obtinet, adeò, ut idolorum cultus, Atheorum dementia, Veneficorum & Magorum præſtigiæ, certis temporibus, palàm, edictôq; publicô proſcribantur, tanquam falſæ & pernicioſæ Imperio ſectæ; Neq; aliter, quàm hæreſes apud Europæos, & flagitia quædam publica, tolerentur. Pekini, in urbe primaria Regni Sinici, eſt duplex Templum antiquiſſimum, in prioris templi utroque latere, legitur hæc inſcriptio Sinicis literis exarata: *Altus & Supremus cæli Dominus.* in una fronte templi illius inſcriptio hæc: *Cæli Supremi Domini templum:* In altera fronte: *Cæli Supremi Domini Aula*; fueruntq; illæ inſcriptiones à Supremis Imperii Tribunalibus, & Imperatore ipſo, veriſſimæ judicatæ. Sacrificia, quæ iis in locis peraguntur, maximam habent cum Sacrificiis Naturalis, & ſcriptæ legis, affinitatem; Cum iis omnino concinunt preces & vota, quæ Imperator inter ſacrificandum concinit, quorum clauſula hæc, & coronis eſt. *Supremus Dominus juſſit, & factæ ſunt tres Mundi partes præcipuæ, Cælum, terra, & homo. Ego ſubditus ſupplico, ut quorum nomina hìc adſtant, progenitorum Imperatorum defunctorum, iis detur æternùm frui beatâ tuâ præſentiâ, in regia & cæleſti aula.* Templi verò ſecundi, Terræ Domino dedicati, inſcriptio Sinica eſt hæc: *Supremus Terræ Dominus.* Frons templi, ſententiam hanc præfert: *Supremi terræ Domini domus.* Eundem Supremum Dominum, Sinici Annales, appellant Conditorem & Conſervatorem rerum, hominum cogitationes introſpicientem, proborum Remuneratorem, Ultorem improborum, & ſanctè intelligentem. Maxima etiam populi pars, in eandem de Numine Divino ſententiam concurrit. Proſtat in plurimis ædibus etiam Literatorum, lignea tabella, Venerationi totius Familiæ propoſita, certis exarata characteribus, quorum hæc ſententia eſt; *Cæli, terræ, omnium rerum verus Dominus.*

minus. Ex his apparet, quòd summi Numinis notitia, Sinarum Imperio ab ipsius incunabulis invecta, in hunc usq; diem vigeat. Hæc aliquantùm fusiùs, tum ad refellendam Objectionem 2dam, & confirmandum Nostrum Argumentum 4tum propositum; tum Eruditionis gratiâ adduxi, desumpta ex Historiæ Societatis Nostræ parte 5ta, à Josepho Juvencio conscripta, impressâ Romæ 1710. cum approbatione Dominici de Zaulis, Episcopi Verulani, item Magistri Sacri Palatii, & aliorum insignium Virorum.

5tum Argumentum.

5tum. Ex Antipodarum existentia

INdubitatum est, & omninò certum, Antipodas dari: ut asserit etiam & fatetur Atheus. Ergo etiam multò magis certum & indubitatum est, dari Deum. Consequentiæ veritas & evidentia patet ex discursu tali. Quæro ex te Athee: Unde tibi tanta certitudo de Antipodis? Respondebis: quia testantur fide dignissimi, & plurimi Hispani, Lusitani, Angli, Hollandi, se Antipodas vidisse, & in illorum terris fuisse. Quid si dicam, quòd illi testes per malitiam voluerint te, & alios decipere; vel quod per ignorantiam decepti fuerint; non fuisse veros Antipodas, quos viderunt, sed nostri Orbis homines, qui circiter 60. annis, ante illorum adventum, illuc casu delati fuerunt. Vel dato, quòd fuerint antè Antipodæ. Quid si dicerem, modò primùm ante mille annos, post tempora Augustini, cœpisse illas terras incoli hominibus, casu, vel è terra, vi astrorum productis, nunc autem jam interiisse omnes Antipodas diluvionibus (sicut blaterant Athei, asserentes, Mundum cum omnibus hominibus multoties interiisse) Nonne me talia dicentem rideres, mentis impotem proclamares? Riderem haud dubiè inquies; insipientem proclamarem. Rectè ageres, non diffiteor. Sed audi ò insipientissime, à te ipso deflende, à toto Orbe irridende Athee. Nec millesima pars hominum ex enumeratis à te populis, ab annis necdum ducentis, testatur, Antipodas dari: & ex testimonio illorum, licèt fortè non sint parati pro hac veritate, vitam profundere, concludis, existentiam Antipodarum esse omninò certam ac indubitatam; & quare Impie, negas Existentiam Dei, in qua asserenda tam firmus est consensus, non solùm prædictorum, sed

omni-

omnium populorum, omnium Ordinum, omnium proborum, & Sapientum, omnis sexûs & ætatis, omnium hominum (qui tamen in aliis rebus non concordant) & quidem omnium sæculorum (cùm tamen opinionum commenta, delere consueverit temporis diuturnitas, utpote Mater Veritatis; judicia autem Naturæ rectæ confirmare) tam firmus inquam, consensus, tam solidè radicatus in mentibus omnium, ut non solùm pauci, contrarium sentientes, omninò stulti ac impii, habiti semper fuerint, & habeantur, ac gravissimè puniantur; sed etiam omnes propè homines, veritatem hanc, fuerint, & sint paratissimi, effusione sanguinis ac vitæ, contestari. Imò veritatem fidei Catholicæ de Existentia Dei unius, aliisq; Mysteriis, defacto sic comprobârunt innumeri Martyres. *Totum Mundum Fratres aspicite,* (loquor verbis S. Gregorii Magni Homilia 27. in Evang.) *Martyribus plenus est; jam penè tot, quot videmus, non sumus, quot veritatis testes habemus: DEO ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quanti sint, à nobis comprehendi non possunt.* Plures Martyres in Nova lege, quàm victimæ cæsæ in Veteri. Certè P. Franciscus Arias, 1. par. de Imit: Christi, tract: 3. Cap: 35. Genebrardus in Psalmum 78. asserunt, tantum esse numerum Martyrum, ut singulis diebus totius anni, possint celebrari Ritu Ecclesiæ Universalis, saltem triginta millia Martyrum; post Genebrardi verò tempora, sat multi de novo accessêre Martyres; pro veritate autem, aut potiùs falsitate Atheismi, nec canis quidem jugulatus est. Quinimo ipsimet Athei erubescunt manifestare hac de re suam impiam opinionem, unde in Psalmum 23. ait S. Augustinus: *Dixit insipiens in corde suo: Non est DEus; quia nemo hoc audet dicere, etiamsi ausus sit cogitare.* Credis Athee multorum Historicorum libris de Existentia Antipodarum; & cur discredis eorundem Historicorum, & aliorum innumerorum Sapientum scriptis de Existentia Dei? Decem Viri magnæ Auctoritatis & Prudentiæ, si referrent tibi, se oculis suis vidisse Antipodas, crederes vel ex hoc solo motivo, eos defacto dari; & Deum, quem incomparabiliter plures, & majore Auctoritate, sapientiâ, & probitate conspicui, ut Prophetæ, plurimi Sancti, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, testantur se vidisse, cum eo collocutos (eô modô, quô fas est homini) & negas existere? Duo testes, omni exceptione majores, si sunt de visu, efficiunt

Quanta multitudo Martyrũ.

Multi viderunt DEUM.

ciunt certitudinem; ut docent Jurisconsulti ac Theologi. En, plures longè testes de visu, omni exceptione majores, testantur se Deum vidisse; & incertum erit Deum existere? Si dicis. Illusos fuisse. Pari temeritate dici posset, illusos etiam omnes illos, qui testantur se vidisse Antipodas. Deinde quæro, à quonam illusi, siquidem non admittis Angelos, Dæmones, Animasq; separatas? non illi, sed vos haud dubiò propriâ obcæcati malitiâ illusi ab eo, qui illusit primis nostris Parentibus in paradiso. Quintilianus scripsit: Facillimè homines ad consentiendum ducuntur exemplô; Et magnus Augustinus lib: de Unitate credendi Cap: 16. inquit: *Sola* (intellige præcipuè) *est auctoritas, quæ commovet stultos, ut ad Sapientiam festinent.* Utinam Athei, ad assentiendum Existentiæ Divinæ, adducantur exemplô Orbis totius, auctoritasque tanta, efficaciter hos insipientes commoveat, ut ad sapientiam veram festinent, agnoscendo & timendo Deum. Initium enim Sapientiæ, est Agnitio & Timor Domini: sine cujus agnitione & timore, quivis ex adultis, comparatur jumentis insipientibus.

6tum Argumentum.

6tum. Ex sensu & exemplo magni Augustini

AUrelius Augustinus, Flos & Phœnix ingeniorum, omnigenæ eruditionis Antesignanus, incredibili prudentia ad judicandum præditus, hic inquam Augustinus, Consensum Populorum atq; Gentium, in quibus erant Viri doctissimi & sanctissimi, censuit sufficiens esse sibi motivum, ut Manichæismô rejectô, Fidem Catholicam amplecteretur, in eaq; ad finem vitæ perseveraret, continentem licèt multa summè ardua ad credendum. Ergo Consensus totius Orbis incomparabiliter majus & sufficientissimum motivum esse debet homini prudenti, ut Deum esse credat. Consequentia patet. Quia hanc veritatem, quòd Deus sit, comprobant omnes Gentes etiam barbaræ, ac comprobârunt, omnesque Sapientes, ipseq; Augustinus, & innumerabiles, qui post Augustinum sapientiâ & virtute floruerunt: Neq; hæc Veritas est ita ardua ad credendum, ut pleræq; aliæ Veritates Fidei Catholicæ. Antecedens etiam manifestum. Dicit enim libro contra Epistolam Manichæi, quam vocant, Fundamenti, capite 4to. *Multa sunt alia, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio, me justissime teneant; tenet Consensio popu-*

populorum atq; Gentium. Et licèt ibi apponat etiam alia motiva, tamen inde non infertur, illum omnibus indiguisse, ad sentiendum, Catholicam fidem esse veram; aliàs nec miracula facta (quæ ibi etiam inter motiva recenset) in Confirmationem Nostræ Fidei, essent motivum sufficiens ad amplectandam Fidem Nostram: quod tamen falsum est. Item libro de Utilitate credendi, cap: 14. ait: *Ego nullus me video credidisse, nisi populorum atq; Gentium confirmatæ Opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.*

Confirmatur. Idem S. Doctor Epistola 118. ad Januarium, cap: 5. dicit: *Contra id, quod tota per Orbem frequentat Ecclesia, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Et quidni summa insania, disputare contra Existentiam Dei, illam negando, quam dari, universus indubitatè semper tenuit, tenetq; Orbis? Planè communi sensu videtur destitutus esse Atheus, utpote qui communi omnium Gentium Consensui, audet hìc contradicere non tam mente & ore rationali, quàm irrationali voluntate. Imò videtur Atheus esse grande Naturæ monstrum; nam è Divi Augustini sensu, libro 22. de Civitate Dei, cap: 8. à Viris sapientissimis approbato. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente, non credit.* Et Atheus nonne magis censendus est, magnum esse portentum ac prodigiosum, horridum monstrum, qui Mundo à cunabulis suis, semper firmiter agnoscente & colente Deum, etiam illum existere diffitetur? Dicebat quondam idem Sanctus, super illa verba Psalmi 63. *Timuit omnis homo. Qui* (inquit) *non timuerunt, nec homines fuerunt: timuit omnis homo, id est, omnis utens ratione, ad intelligenda, quæ facta erant. Unde qui non timuerunt, pecora potiùs nominandi sunt, bestiæ potiùs immanes.* Quidni potiùs taliter nominandi sunt Athei?

Atheus communi sensu videtur esse destitutus, esseque monstrum naturæ.

Neq; dicas. Augustinum in suis suprà citatis sententiis erràsse, sicut erravit, negando Antipodas dari, dum lib: 16. de Civit: cap. 9. ait: *Quod verò & Antipodas esse fabulantur, id est homines à contraria parte terræ, ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nullâ ratione credendum est.* Nihilominus eos dari jam nunc omnino certum est. Respondeo enim *imò.* Demus, erràsse Augustinum, negando Antipodas; siquidem ex navigationibus Lusitanorum, Hispanorum, ante annos minùs ducentos, contrarium deprehensum

An erravit S. Augustinus circa existentiam Antipodarum.

est. Ast unde rogo, Athee, deprehendisti, Augustinum in præsenti Nostra materia errâsse? Respondeo *2dò.* Rectè Augustinus Antipodas dari negavit, eô scilicet dari modô, quô Cicero lib. 6. de Republica, Macrobius, & alii Veteres communiter asserebant; apud illos enim ferè conclamatum fuerat, inter nostrum orbem, & illorum terras, interfusum esse Oceanum immensum, ita, ut nullus hominum hinc ad illos ullo modo unquam devenerit. Hoc autem si admittatur, ut verum: certè & Augustinus, & nullus verè Christianus, etiam nunc admittere posset, dari Antipodas: aliàs illi Antipodæ non essent progeniti à Filiis Noë post diluvium: proinde nec de genere Adæ; quod repugnat rectæ Fidei, ac S. Paulo, qui dicit Actorum 17. *Fecitq́; ex uno* (videlicet Adamo) *omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ:* forentq́; illi omnes Antipodæ, sine Originali peccato geniti; hoc enim, mediâ generatione à semine virili activè concurrente, traducitur ad posteros Adæ, in quo Omnes peccaverunt, exceptô Christô Dominô, & ejus Pretiosissima Parente. Respondeo *3tiò.* Etsi modò jam sit certa & evidens hæc propositio: Dantur Antipodæ, (licèt non eô modô dentur, quô volebant pleriq́; Veteres) tempore tamen Augustini, non tantùm non erat certa & evidens hæc propositio, respectivè ad homines in hoc Orbe tunc existentes, sed nec erat probabilis, utpote destituta fundamentô probabili, seu gravi: Siquidem Assertores, nullâ historicâ cogitatione didicisse se id affirmabant, sed solùm ex eo opinabantur alteram terræ partem, quæ infrà nos est, habitatione hominum carere non posse, quòd intra convexa cæli, sit terra suspensa, sitq́; rotunda. Porrò hoc fundamentum nullius esse roboris S. Doctor, ibidem inde sapienter probat. *Nam etiamsi* (inquit) *figurâ conglobatâ & rotundâ Mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur, non tamen est consequens, ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda sit terra: Deinde etiamsi nuda sit, neq́; hoc statim necesse est, ut homines habeat.* Prudenter proinde negavit Augustinus Antipodas, quos pridem antea negaverat Lucretius, Lactantius, aliiq́;, ac post S. Augustinum Beda, & Divus Thomas 2. Meteor. Lect: 9. de iisdem dubitabant.

Propositio qualis

Nec mireris, quòd dixerim: Propositionem (intellige saltem vocalem) de incerta & non probabili, transiisse in certam & evidentem:

tem: hoc enim ſæpè contingere poteſt. Nam ſi Petrus, nullo habitô fundamentò dicat: Paulus interfecit Andream. Propoſitio eſt temeraria & non probabilis: ſi adferantur indicia non levia hujus homicidii. Propoſitio illa jam non eſt temeraria, ſed ſit probabilis; ſi plures dein teſtes oculati digni fide accedant, comprobantes illud facinus Pauli, imò ſi Paulus inſuper ſpontè id fateatur; propoſitio de probabili tranſit in evidentem ac certam: ſic & in præſenti. Dixi: Saltem vocalem. Quia incertum, imò probabilius eſt: Propoſitionem mentalem non poſſe de probabili tranſire in certam & evidentem: de falſa in veram.

transire poteſt de incerta in certam?

7mum Argumentum.

7mum. Ex qualitate vitæ & Perſonarum negantium Deum.

JUdiciô doctiſſimorum, Tertullianus eruditiſſimus, Religionem Chriſtianam eſſe bonam & veram rectè probat etiam ex eo, quòd Nero, judiciô omnium peſſimus, adversùs illam inſurrexerit, inſurgantque ſoli homines impii, ſceleſti: ſic enim in Apologetico contra Gentes, ait: *Conſulite Commentarios Veſtros, illic reperietis, primùm, Neronem in hanc Sectam, tunc maximè orientem, Romæ Cæſarianô gladiô ferociſſe: ſed tali dedicatore damnationis Noſtræ, etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, nonniſi grande aliquod bonum, à Nerone damnatum. quales leges iſtæ, quas adversùs nos, ſoli exercent impii, injuſti, turpes, truces, varii, dementes?* Hucuſq; ille. Ergo eſt recta etiam Argumentatio Noſtra hæc: Soli hominum ſceleſtiſſimi, impuriſſimi, & quò ad vivendi modum, beſtiis ſimiliores, quàm hominibus: vel intolerabili mentis arrogantiâ plurimùm depravati; vel etiam immani feritate; vel demum incredibili ſtoliditate obcæcati, non confitentur Deum eſſe, vel eum ignorant; ut conſtat ex dictis ſuperiùs in Tractatu 2do, Capite 2do, ad finem Propoſitionis 4tæ. Ergo DEus ter Optimus exiſtit. Grande enim hoc ipſum eſt Divinitatis Teſtimonium, quòd ejus notitia, nonniſi cum humanitate & virtute, ab hominibus exuatur; & à corruptiſſima nonniſi morum ſtultitiâ, vel ſummâ mentis elatione obcæcatis, negetur Exiſtentia Dei, malitiâ & pravitate mutante intellectum: ut probat Inductio eorum, de quibus conſtat in Atheiſmum fuiſſe prolapſos; notâruntque Viri ſapientes, nullum præcipuè ex Chriſtianis, adhæſiſſe poſtea Atheiſmo, niſi dum in profundum peccatorum, venit.

8vum Argumentum.

8vum. Ex Mundi coordinatione mirabili.

MUndi machina, licèt ex innumeris corporibus disparatis; ex Elementis inter se pugnantibus, ex qualitatibus contrariis, sit constituta: tamen in illa, cernitur harmonia, & concordia stupenda, tot millibus annorum indissolubilis, ac veluti juramentō obstricta in obsequium humanum. Ergo debet dari aliquis præstantissimus Dominus, qui tales Universi partes conjunxerit, & quasi manu tenuerit, & teneat. Sed hic Dominus non est alius, nisi Deus. Ergo datur. Vide etiam discursum S. Athanasii in Tractatu 3tio lib: 2di, cap: 1.

Mundus hic, velut quoddam magnum carmen, & mirabile canticum.

Confirmatur & illustratur *imò*. Carmen aliquod, ut ex dictionibus diversis, earumq; syllabis, brevibus ac longis, concinnè fiat, requiritur gnarus carminis artifex: ut certum est. Et Mundus hic, qui est (ut scribit S. Augustinus Epistolâ 5.) *veluti magnum carmen, cujusdam ineffabilis Moderatoris*: vel ut dicit in libro: quòd deterius potiori insidietur, Philo; *quoddam Pòëma*; quidni multò magis requirat aliquod Ens Supremum Intellectivum, â quo conjunctæ & dispositæ, tam concinnè, tamq; apto humanis usibus situ collocatæ sunt, tam diversæ Universi Partes?

Confirmatur & illustratur *2dò*. In Musicorum choro, ut fiat concinnus cantus, utq; diversis Antecedentibus & Succedentibus sonis, pulcherrimè currat ac transeat illud, quod canitur, moræq; debitæ vocibus tribuantur, requiritur Præcentor vel Compositor. Ergo multò magis Mundus iste, constans Naturis nascentibus & occidentibus, ac temporum spatiis, *quæ tanquam syllabæ ac verba* (ut loquitur Epistolâ 28. S. Augustinus) *ad particulas hujus sæculi pertinent in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico*, vel breviùs, vel productiùs, prout modulatio præcognita, & præfinita deposcit: multò inquam magis, Mundus requirit Compositorem & Præcentorem; hic autem quis alius est, nisi DEus ter Optimus? *Quod enim in Choro, Præcentor; hoc DEus, in Mundo est*, ut ait Aristoteles in libro ad Alexandrum de Mundo, cap: 6to.

9num Argumentum.

9num. Ex Mundi gubernio

NUllum Regnum, aut Civitas, diu consistere potest, si destituatur Rege, aut aliquo Præside. Imò Monarchiæ etiam ordinatæ, licèt

cèt habuerint Præſides, variantur tandem & concidunt. Sic (ut notat Cornelius à Lapide in Caput 2dum Danielis) Babylonis Imperium, à Nabuchodonoſore inchoatum, finitum eſt in Balthaſare, everſum à Cyro, ſtetit annis tantùm 70. Perſarum Monarchia, cæpta à Cyro, deſiit in Dario Codomanno, everſa eſt ab Alexandro Magno, ſtetit annis ducentis. Græcorum, cæpta ab Alexandro, mox diviſa in Regna Ægypti, Aſiæ, Syriæ, &c. everſa ab Auguſto Cæſare, ſtetit annis ducentis octoginta octo. Romanorum Monarchia, incepta à Julio Cæſare & Auguſto, adhuc durat; ſed in Occidente ipſo, quàm diviſa & debilitata! In Oriente autem penitus everſa eſt, à Potentia Turcica. Ergo cùm totius Univerſi Gubernium, præſertim Cæleſtium Corporum, à tot millibus annorum conſiſtat invariabile, quò ad aſtrorum motus, ordinatiſſimamq; ac conſtantem temporum, æquinoctiorum, ſolſtitiorum, novi & pleniluniorum, dierum & noctium peropportunam animalibus, ſeminibus, frugibus, viciſſitudinem; quòad item conſervationem ſpecierum: individuorum generationem & corruptionem in Mundo inferiori, clarum eſt, aliquem eſſe Supremum Præſidem Univerſi, & Gubernatorem potentiſſimum, ſapientiſſimum, viciſſitudinis omnis expertem. Quod ipſum, ſcintillantia ſidera, mutationibus ſuis, velut quibuſdam nutibus (ut ingeniosè notavit Theodoretus Serm: 4. de Providentia) nobis indicare videntur. Hinc & Cicero in Perſona Lucilii Balbi, Stoici Philoſophi, ait: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tamq; conſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiaq; contemplati ſumus, quàm aliquod eſſe Numen præſtantiſſimæ Mentis, quô hæc regantur.* Multò magis, quô facta ſunt. Item lib: de Ira Dei, cap: 10 Lactantius, (quem S. Hieronymus vocat, Chriſtianum Tullium) *Tanta* (inquit) *qui videat, & talia* (id eſt cælum, aſtra, terram, &c.) *poteſt exiſtimare, nullo facta eſſe conſiliô, nullâ Providentiâ, nullâ ratione Divinâ; ſed ex atomis ſubtilibus exiguis concreta eſſe tanta miracula? nonne prodigio ſimile eſt, aut natum eſſe hominem, qui hoc diceret; aut extitiſſe, qui hoc crederet?*

quòad plurima, invariabili.

Principales Orbis Monarchiæ quandò cæptæ & everſæ?

Ciceronis & Lactantij ſenſus de Mundi Gubernatore.

Confirmatur & illuſtratur *imò.* Carolus V, dum Urbes luſtraret, ſolebat aſpicere ad horologium, num illud bene regeretur, ac ex bona ejus directione colligebat, bonum eſſe Urbis Præſidem. Et ex optimo, conſtantiq; motu horologii totius Univerſi, videlicet, ſolis, a-

 lio-

liorumq; cælestium Corporum, nonne colligetur totius Mundi Optimus Præses, Gubernator & Auctor? Utiq; quò diutiùs sine ullo errore, horologia suos motus peragunt, eò præstantiorem sui Auctorem arguunt?

Confirmatur *2dò.* Vel Mundus benè gubernatur, vel malè? Si benè? Infertur primò. Ergo fundamentum præcipuum Atheistarum corruit, qui ideo negant Deum; quòd judiciô illorum, reprehensibilis sit ordo rerum. Infertur 2dò. Ergo est Mundi Gubernator, & quidem unus, juxta illam rectam Aristotelis Argumentationem: *Entia volunt bene gubernari. Mala est multitudo Principum. Ergo unus est Princeps Universi.* Si autem malè gubernatur Mundus. Infertur. Ergo debuit aliter gubernari: si debuit; quæro, estne possibilis potentia bene gubernandi Mundum? Si dicis impossibilem; da hujus implicantiam? si verò possibilis; Ergo actu existit hæc Potentia. Si enim solùm esset possibilis, & actu non existeret, nunquam posset reduci (unde eo ipso non esset possibilis) ad statum actualis existentiæ. Non enim à se. Nihil enim potest esse causa sui efficiens. Non etiam ab Entibus, quæ defacto videmus: siquidem hæc Entia sunt longè imperfectiora Ente, habente Potentiam, Bonitatem, & Sapientiam tantæ amplitudinis, ut sit sufficiens rectæ gubernationis totius Mundi, id est Cælestium Corporum, Elementorum, omniumq; intra hæc contentorum. Si ergo existit talis Potentia, in aliquo Ente, ut existere, deductum est, habetur evidenter, existere DEum. Nomine enim Dei, intelligitur Ens habens talem Potentiam. Vide etiam dicta suprà in Tractatu 1mo, Capite 2do & 3tio, sub Propositione 3tia, 4ta, 5ta, 6ta.

10mum Argumentum.

10mum. Ex auctuali aut saltem possibili novitate Mundi.

MUndus potuit non esse ab æterno: imò defacto habuit initium suæ durationis. Sed ex hoc sequitur dari Deum Ergo datur. Majoris veritas deducta est suprà Cap: 4to, in Tract: 2do, libri 1mi. Minor probatur. Si enim Mundus potuit non esse ab æterno, multò magis si non fuit. Ergo fuit ex se indifferens, ut fuerit ab æterno, vel in tempore. Ergo non est essentialiter semper existens, sed contingens in existendo. Ergo debet dari extra totum Mundum indiffe-

rentem

rentem & contingentem in exiſtendo, aliquod Principium, quod auferre potuit, & defacto ſuſtulit hanc contingentiam, feceritq; illum exiſtere. *Quod enim* (ut ait Ariſtoteles 12. Metaph: tex. 30.) *Potentia eſt, contingit non eſſe. Oportet igitur eſſe tale Principium, cujus ſubſtantia, Actus ſit.* Hoc verò Principium, vocamus, Deum. Omnes hæ Illationes ſunt evidentes; ut conſtat etiam ex illo cap: 4. Tractatu 2. Unde meritò in Præfatione in Geneſim, doctiſſimus ſcripſit Pererius. Cui perſuaſum fuerit, Mundum, qui ex omni æternitate nullus fuerat, & nulla ex materia, novoq; certi temporis ortu eſſe generatum, huic profectò nihil negotii erit, perſuadere, eſſe Deum, & Unum eſſe, & omnium rerum Efficientem, Conſervantem, Regentem, Intelligentem, atq; Providentem eſſe Cauſam. Et Doctor Angelicus lib: 1mo. contra Gentes, cap: 13. *Via* (inquit) *efficaciſſima ad probandum, Deum eſſe, eſt ex ſuppoſitione Novitatis Mundi. Nam ſi Mundus de novo incepit, planum eſt, quòd oportet poni aliquam cauſam, quæ de novo producat Mundum: Quia omne, quod de novo fit, ab aliquo Innovatore oportet ſumere originem, cùm nihil ducat ſe de Potentia in Actum, vel de non eſſe in eſſe.* Similia habet libro 2do contra Gentes, cap: 38. Item 1mâ parte, q. 46 art. 1. ad 6tum. Richardus quoq; à S. Victore, lib: 1. de Trinitate, cap: 7. ait: *Quidquid ab æterno non fuit, à ſemetipſo eſſe non poteſt, alioqui apertè convincitur, quia aliquid ſibi initium exiſtendi dedit ſub illo inſtanti, quando nihil habuit, quando omnino nihil potuit: Quod, quàm ſit omnino impoſſibile, ſanæ mentis hominem nullatenus poteſt latere.* Ergo Mundus ſiquidem ab æterno non fuit, vel ſaltem non eſſe potuit, non eſt à ſemetipſo. Ergo ab alio aliquo Principio: hoc verò non eſt aliud, niſi DEus ter Optimus Maximus.

11mum Argumentum.

11mum. Ex poſſibilitate majoritatis vel minoritatis hujus terræ

POtuit, abſolutè loquendo, terraqueus globus, longè major fuiſſe, vel longè minor, quàm defacto nunc eſt: idem dic de globis Aſtrorum. Abſolutè item potuit, & poteſt dari alius terræ globus ejuſdem ſpeciei vel diverſæ, cum Noſtrate; demum plura ſidera, v. g. Soles, Lunæ, nec non cæli plures, quàm defacto ſint. Sed ex hoc ſequitur, dari Deum. Ergo datur. Majoris veritas deducta eſt Cap: 4to in

quei globi, & Astrorum: Item ex possibilitate aliorum siderum, & alterius terraquei globi.

Tractatu 2do, Libri 1. Minor probatur. Si enim hic noster terraqueus globus, & sidera poterant absolutè fuisse majora, vel longè minora: si item alius globus terræ, pluraq; sidera & cæli, poterant absolutè esse & possunt. Ergo enumerata Entia, sunt contingentia in existendo: moderniq; globi, terraqueus, & siderales, sunt contingentes & indifferentes ad existendum sic vel sic. Ergo debet aliquod Principium dari, auferens hanc indifferentiam, ac contingentiam, & faciens hæc potius, ac taliter existere Entia in rerum natura, quàm alia & aliter. Sicut quia annuli sunt indifferentes, ut constituant catenam, vel non: item ut constituant talis vel talis longitudinis catenam: ideo extra illos, debet dari Ens, à quo desumant colligationem in catena, constituantq; talis vel talis longitudinis catenam. Ita quoq; in præsenti, discurre de illis Entibus contingentibus. Hinc verissimè S. Thomas lib: 2do contra Gentes, cap: 15. dicit: *Omne, quod est possibile esse & non esse, habet aliquam causam, quia in se consideratum, ad utrumlibet se habet: & sic oportet esse aliquod aliud, quod ipsum ad unum determinet.* Hoc autem Principium, certè nullum est, quàm Deus ipse. Non enim Sol & Astra, terraq; præsens. Unde enim illis hæc virtus? quodve fundamentum, eis illam tribuendi? maximè cùm naturalis virtus, non soleat saltem diutissimè ita latere, quin præbeat indicium sui manifestativum: & illa ipsa Entia sunt contingentia ad existendum taliter, qualiter defacto existunt: ut probatum. Cur item, cùm sint Agentia necessària, non produxerunt hucusq; quidpiam tale simile sibi, vel se notabiliter non majorârunt? Non etiam homo, est illud Principium; ut per se patet; multò minùs Entia imperfectiora homine; multòq; adhuc minùs, Non Ens, seu Nihil. Nam *nullo modo intelligi potest*; (verbis loquor S. Anselmi, in Monologio, cap: 5to.) *ut quod aliquid est, sit per nihil* utpote contradictoriè oppositum vero Enti. Ergo restat, Principium illud, esse Deum.

12mum.

12mum Argumentum.

Ex possibilitate perfectiorum

POssunt dari novæ species Entium, perfectiores existentibus speciebus, & imperfectiores. Item possunt dari Entia Spiritualia completa intellectiva, simplicia in natura; quales defacto censentur esse

Ange-

Angeli. Sed admissâ possibilitate prædictorum Entium, sequitur dari Deum. Ergo datur. Major probata est, suprà Cap: 4to. sub Propositione 5ta & 6ta, in Tractatu 2do, Libri 1. Minor probatur. Illæ species novæ ponendæ extra causam, cùm supponantur futuræ perfectiores, defactò existentibus speciebus, non possunt ab his efficienter adæquatè produci: Omnis enim causa efficiens adæquata, debet esse, aut perfectior effectu suo, aut saltem æquè perfecta; ut nullus Philosophorum dissentit. Et ratio est. Tum quia aliàs, causa daret, quod nullo modo haberet. Nemo autem dat, quod non habet. Tum quia ipsum naturale lumen rationis dictat, ut ab effectu perfectiori, causam ejus perfectiorem judicemus. Ergo debent produci ab aliquo Ente non contento intra Species rerum defacto productarum, quod Ens, vocamus Deum. Item, si possunt dari Entia completa intellectiva simplicia. Quæro, existuntne talia Entia, vel non? Si non? Ergo sunt contingentia in existendo; proinde debet assignari Principium, sublativum hujus contingentiæ, potensq; illa facere existere, ac ex nihilo extrahere; hoc verò Principium, non est Mundus Corporeus; cùm hic sit etiam contingens in existendo, sitq; insuper longè imperfectior illis speciebus; utpote Corporeus & compositus. Ergo aliquod aliud Principium debet dari: nempe Deus. Si autem sunt actu tales substantiæ (quod tamen Athei non concedent) multò magis exinde infertur Existentia Dei, ut videre est infrà sub Argumento 32. *specierum & substantiarum spiritualium intellectivarũ completarum.*

13tium Argumentum.

13tium. Ex possibilitate interitûs Specierũ quarundam.

SI potest interire species, seu collectio leporum, canum, luporum, boum, leonum, aquilarum, hominum, rectè infertur dari Deum; ut probatum Cap: 4. in Tractatu 2. Libri 1. Sed possunt interire prædictæ species. Ergo datur Deus. Minor probatur. Tum quia pleriq; Athei, cum quibusdã antiquis Philosophis, asserunt, non solùm interire posse prædictas species, verùm defactò revolutionibus sæculorum multifariis, ac circulationibus temporum, variis eluvionibus, incendiis, terræ motibus, funditus interiisse (quod tamen omnino veritati dissonat) multoties genus humanum, & animantia; ideòq; à nobis non

haberi historias Mundi ab æterno existentis. Tum quia (præterquam, quòd nulla vera afferri possit implicantia) prædicata specifica naturæ humanæ, videlicet, animal, rationale, risibile, admirativum &c: ex se non important necessitatem essendi & durandi semper, ut clarum; idem dic de prædicatis specificis naturæ caninæ, leoninæ, &c. Tum quia, cur homines absolutè loquendo, conspirare non possent, ut omnia animalia domestica interimerent, antequam semen suum procrearent? vel cur convenire non possent efficaciter ad delendam speciem totam v. g. luporum, leonum? Aër item cur non posset ita absolutè infici humoribus nocivis, ut species aliquæ intereant?

Accedit. Quia terra tota obruta mansisset aquîs, utpote illis gravior, & infimum locum petens; sicut defacto obruta fuit initiò Creationis Mundi: proinde homo, & terrestria animalia perfecta, ac volatilia, non fuissent per se loquendo, si DEus non congregâsset aquas in unum locum, (faciendo sub ipsa terra cavitates maximas, & in terra alveos receptivos maris, fluminumque) ut appareret arida, propter hominis & animalium habitationem.

Nòèticum diluvium. Confirmatur Propositio, Nòèticô diluviô. Tempore enim Nòé, per 40 dies ac noctes, per universum Orbem pluit, crevitq; diluvium: diebus verò 150 stetit; & 175 diebus diminutum, absumptumq; est. In hoc Nòètico diluvio, facto ab exordio Mundi, juxta Cornelium, Anno 1656; ex innumeris ferè hominibus; longè enim plures erant, quàm hoc nostro sæculo exstant; (ut multùm probabiliter deducit P. Lessius lib: de Perfect: Divin:) solummodo octo homines salvati; & in Arca Nòé pro conservandis speciebus animalium, bina & bina ex omni carne, Masculus & Fœmina asservata sunt mirabiliter. Cujus diluvii & Arcæ, non solùm clarè meminit pluribus in locis Scriptura sacra, sed etiam, ut inquit Josephus lib: 1mo Antiquit. cap: 4to: *Meminerunt omnes Barbaricæ Historiæ Scriptores, & in his Berosus Mnasseas, aliiq; plures.* A S. item Cyrillo lib. 1. contra Julianum, producuntur Alexander Polihistor, & Abydenus. *Nam de hisce rebus* (inquit Divus Cyrillus) *& in illorum libris fit mentio, tametsi non prorsus irreprehensibilem veritatem scripsêre, utpote alieni, & dogmatum Fidei nostræ non participes. Et Alexander quidem dicit: Artô defunctô, sub Filio ejus Chysuthro, fuisse magnum diluvium, ipsumq; servatum, quum præ-*

dixisset

dixiſſet ei Saturnus, futurum: & quòd fabricanda ſit Arca, in qua ipſe ſimul cum avibus, reptilibus, & jumentis navigare debeat. Abydenus manifeſtiùs narrat, ſic dicens: Poſt quem & alij fuêre, & Chyſuthrus, cui Saturnus prædixit futuram multitudinem imbrium, juſſit autem omnes ſcripturas ſervari in Heliopoli in Sculpturis; ita Chryſuthrus fecit, & ſtatim ad Armenios navigavìt, ſubitòque evenerunt Divinitus fieri juſſa. Tertiâ autem die diluvii, tædiô affectûs emiſit volucres, periculum facturus, ſicubi terram videret aquis exutam: illæ autem invenientes mare non apertum, devolant, quò ferebantur, Chryſuthrum à tergo relinquunt, & poſt illas, aliæ; Ut autem tertiò hoc accidit, abiit à luto & venit in Tarſos, & Dii quidem ex hominibus apparent: in Armenia autem reliquiæ lignorum ſunt; ad multa utiles, & ab incolis ejus Regionis ſervantur. Itaq; Chyſuthrum, vocant Nòé; fortaſſis Aſſyriorum voce: & in hoc iterum à vero aberrârunt, quòd pro Univerſorum Deo, Saturnum, illi ajunt, futura dixiſſe. Hucusq; ex S. Cyrillo. Joſephus etiam lib: 20 Antiquit. cap: 2do ſcribit: Arcæ reliquias ætate ſua, in Regione Cæron conſervatas & oſtenſas. Nicephorus item lib: 7mo. cap: 49. refert de Dolabra, quâ Nòé Arcam conſtruxerat, in honore habuiſſe Conſtantinum, atque condidiſſe ſub Columnæ baſi, in qua ſtatuam ſuam collocaverat. Ad Templum quoq; Lateranenſe S. Joannis, Romæ, pars ligni ex Arca illa aſſervatur. Demum, ut ſcribit P. Maffæus lib: 2. Hiſtoriarum Indicarum; Braſili, nonnulla de Nòé atq; diluvio, à Patribus accepiſſe dicuntur. Vide & dicta ſuprà in Tractatu 2do, Cap: 3tio. de Auctoritate Scripturæ ſacræ.

Species rerum in quo ſenſu æternæ, ingenerabiles?

Neq; dicas. Species rerum ſunt æternæ, ingenerabiles, & incorruptibiles; ut fert axioma ex Ariſtotele deſumptum. Ergo non eſt poſſibile, ut ſpecies leonina, humana, &c: intereant. Reſpondet enim P. Thomas Munieſſà, Doctor & Rector olim Barcinonenſis: Axioma allatum, eſſe omnino rejiciendum, utpote infundatum errori de Mundi æternitate, juxta quem errorem (ut citatus Auctor loquitur) dicebat Ariſtoteles, rerum ſpecies, quas ipſe alio nomine appellabat, Eſſentias, eſſe æternas: Alii, Eſſentias ſeu Species rerum, dicunt eſſe incorruptibiles, ingenerabiles, æternas, quò ad eſſe hypotheticum, in quantum, quocunq; inſtanti æternitatis, ante quamcunq; productionem phyſicam, & poſt quamcunq; productionem rei, verum

eſt

est dicere. Si, & quandocunq; res hæc existet. v. g. Antichristus, existet animal rationale, risivum, admirativum: hanc & non aliam habebit prædicatorum suorum essentialem connexionem, sine ulla contradictione. Item: Quia species semper retinent esse potentiale virtualiter in Omnipotentia DEI, tanquam in causa sui: retinent item & esse objectivum, seu Intellectivum in Esse Divino. Demum alii dicunt, esse species ingenerabiles, incorruptibiles, negativè; non positivè; quia scilicet, generari, vel corrumpi non possunt seorsim extra individua: licèt generari, vel corrumpi possint, imò necessariò debeant, productis vel corruptis omnibus earum individuis, actu existentibus.

14tum Argumentum.

14tum. Ex insufficientia Entium causatorum ad existendum.

SI datur collectio Entium insufficientium sibi ad esse, videlicet, hominum, brutorum, plantarum, &c: tunc debet dari tale etiam Ens, quod & sibi ipsi sufficiat ad esse actu; & aliis, scilicet, hominibus, brutis, plantis, &c: sive immediatè, singula producendo, siue producendo aliqua immediatè, à quibus reliqua immediatè producantur. Aliàs enim nullus homo, nullum brutum, & planta existeret: siquidem hæc omnia sunt insufficientia sibi ad existere, licèt supponantur esse infinita. Implicat autem aliquid existere, sine sufficientia ad existendum, quantumvis supponantur multiplicari talia Entia in infinitum. Sed datur collectio insufficientium sibi ad esse; videlicet, hominum, brutorum, &c. Ergo datur tale Ens, quod & ipsi sibi sufficiat ad esse actu, aliisque omnibus distinctis à se: proinde datur Deus; nomine enim Dei, intelligimus tale Ens; insuper quia tale Ens, est in omni genere perfectissimum, cùm sit Ens à se.

Veritas Majoris & Minoris Propositionis cum suis partibus, demonstrata est Capite 5to. in Tractatu 2do, Libri I.

Nota. Patres Nostræ Societatis in Sinis degentes, linguâ Sinicâ inter alia plurima, ediderunt Opusculum, quod ipsi, Divinæ Legis Compendium vocant; complectitur enim præcipuos de DEO Uno & Vero articulos: illud P. Athanasius Kircherus in sua China illustrata, folio 121. cum versione latina, juris publici fecit, inter alia occur-

occurrunt ea, quæ ad hoc Argumentum 14, meritò revocantur, suntq; hæc: *DEUS non est aliud, nisi Gubernator omnium rerum, simul etiam omnium rerum magnus Dominus, qui fecit Cælum, Terram, spiritus, homines. Cælum, Terra, homines, omnesq; res antea nihil erant, & postea fuêre. Ergo ante Cælum, Terram, homines, resq; omnes, antea necessariò fuit aliquis Dominus, ut crearet illa. Quia omnes res non possunt ex se fieri, omnes habent id, ex quo ipsæ factæ sint, vel sui Factorem; sicut turres & domus, non possunt erigi à se ipsis, necessariò perficiuntur artificis manu. Ergo Cælum, Terra, homines, & creaturæ quomodo possunt à se ipsis creari? Auctor rerum illarum est, quem nos nominamus, DEum.*

Sinensibus quali Argumento probata est Existentia DEI?

Neq; ad eludendam vim Argumenti hujus, valet recursus ad mutuam causalitatem duorum Entium: vel ad productionem sui ipsius. Evidens enim est, quòd nihil seipsum possit producere quò ad primò esse; nec possit dari mutua sufficientia principalis; ut constat ex Capite 7mo. Tractatûs 2di.

Argumento longè antè videtur usus isto etiam Regius Vates, dicens Psalm. 99. *Scitote, quoniam Dominus ipse est DEus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ac si diceret: Collectio hominum, seu Genus humanum, non seipsum fecit, nec ullus hominum se ipsum; proinde alius est investigandus Generis humani Dominus, à quo sit productum Genus humanum, & qui ideo sit DEus noster, ac dignus, ut *adoremus & procidamus ante eum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus DEus noster.*

S. David, & alijquidam Sancti, simili Argumentô usi.

Peto Nate (verbis te, Athee, illis alloqui libet, quibus olim constantissima Mater, suum Filum Martyrem, 2do Machab: 7mo) *ut aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa DEus, & hominum genus.* Genus item brutorum, plantarumq; & intelligas, quòd *Omnis sufficientia ex DEO est, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Unde etiam apud Hebræos, inter decem Nomina DEI, nonô locô ponitur Nomen: *Saddai*, id est: Cui est omnis sufficientia; dicasq; cum Isaia cap: 64. *Et nunc Domine Pater noster es Tu, nos verò lutum; & fictor noster Tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Dicas cum Divo Augustino Soliloq. 31. *An aliunde, quàm à Te trahitur omne esse & vivere? nonne Tu es SummumEsse, à quo est omne esse, quidquid enim est, à Te est, quia sineTe nihil est.*

Aliàs contra gregem pertinacium Atheistarum, usurpanda illa verba Moysis, Deuter: 31. *Generatio prava atq; perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?*

15tum.

DEus existit, quia falsum est, quòd omne Ens sit ab alio.

15tum Argumentum.

FAlsa est Universalis Propositio affirmativa hæc: *Omne Ens est ab alio.* Nam hæc Propositio destruit seipsam; illud enim Ens aliud, non est extra omne Ens. Ergo vera est, universali illi affirmativæ contradictoriè opposita particularis negativa hæc: *Aliquod Ens non est ab alio.* Duæ enim Contradictoriæ Propositiones, non possunt simul ambæ esse veræ, aut falsæ. Ergo datur DEus. Illud enim Ens verum reale, quod non est ab alio, est à se, ac proinde est DEus. Ad hoc Argumentum si fortè responderent Athei: Omne Ens esse ab alio, solùm in hoc sensu, quòd singula Entia sint ab alio; non autem Collectio omnium Entium sit ab alio. Tunc contra illos urgendum esset ex dictis in Tractatu 2do, cap: 5to, sub Propositione 3tia, 4, 5, & 9.

Confirmatur ex Patris Raynaudi Theologia Naturali distinctione 5ta. quæst: 1. art: 3. Tota collectio causarum, unius alicujus effectûs, vel importat unam aliquam causam ultimam, quæ sit à se, & non ab alia causa: vel nullam causam talem importat, sed omnes illæ causæ sunt ab aliis causis anterioribus. Si detur primum: habemus Principium improductum, sive DEum. Si secundum. Ergo activitas, à qua manare debuisset effectus ille, fundata fuisset in non esse. Quod est impossibile.

16tum.

Quia debet dari Ens necessariò essentialiter existens.

16tum Argumentum.

EGo existo, Ergo & DEus existit. Probatur Consequentia. Dum mihi evidens est, quòd ego existam, evidens mihi est, quòd ego contingenter existam. Ergo mihi evidens est, quòd sim ab alio. Ergo mihi evidens est, DEum existere. Probatur 2da Consequentia. Dum ego sum ab alio, sum ab alio, vel necessariò existente, vel contingenter existente. Sed sive hoc dicatur, sive illud, evidens mihi est, Deum existere. Ergo &c. Minoris 1ma pars patet. Si enim ego sum ab alio,

alio, necessariò essentialiter existente; illud est DEus. Si autem sum ab alio contingenter existente; de illo iterum alio, redit quæstio. Utrum sit ab alio, necessariò existente, vel ab alio contingenter existente; si contingenter: tunc ipsum quoq; indigebit causâ distinctâ; vel ergo devenietur ad duas Causas, se primò mutuò causantes: quod implicat. Vel debebit sisti in Ente incausato, necessariò essentialiter immutabiliter existente; proinde debebit sisti in Deo; vel ibitur in infinitum. Hoc autem ultimum, est impossibile. Tum quia processus infinitus in causis per se subordinatis, hoc est per se necessariis ad effectûs cujusque productionem, repugnat juxta omnes Philosophos. Tum quia aliàs pro uno Ente necessario, ab Atheis excluso, tenerentur illi admittere infinita Entia necessaria subordinata; si enim illæ causæ, non sint necessariæ, sed contingentes, jam possunt omnes non fuisse: posito autem, quòd non fuerint, jam impossibile est, quòd aliquando fuerint, vel sint: quia nec potuerunt esse sine causa, & ultra omnes contingentes, non est per Atheum, causa. Tum quia videtur incredibile, imò non videtur possibile) ut sapienter argumentatur P. Vasquez 1. par. Disp. 20. num. 11.) Unamquamq; rem indigere ad sui esse, infinitô numerô causarum; habet enim unaquæq; determinatam naturam, ac proinde determinatam etiam postulat causam, quæ hujus vel illius naturæ sit: quare à confusa & infinita multitudine causarum, pendere non potest. Nec essentialis ordo causarum efficientium videtur posse per infinitam seriem, virtutem Superiorum ad inferiores deferre. Tum demum præcipuè. Quia admissô etiam fictitiô hoc progressu in infinitum, in producentibus & productis, utpote contingentibus, & sibi omnino insufficientibus ad essendum, non tolletur, sed augebitur insufficientia. Ergo admitti debet causa sibi omnino sufficiens, & alterius non indiga ad existendum seu Ens incausatum essentialiter necessariò existens.

Confirmatur à Patre Honorato Fabri, Argumentô, quod ille vocat Demonstrationem Geometricam, estq; ejusmodi: Mihi evidens est mea existentia; si enim dum cognosco, evidens est me cognoscere. Ergo & existere: cùm nihil non existens, possit actu habere Cognitionem. Item est evidens, me existere contingenter; quia dum existo nunc, nondum existo cras, nec amplius existo heri. Ergo non essen-

tialiter existo. Alioquin semper existerem indivisibili duratione, nec possem cras, non existere heri, sed existerem semper. Demum non ubiq; existo, sed hic, non illic; quod autem essentialiter necessariò existit, ubiq; existit: quia de illo negari non potest existentia in ulla loci aut temporis differentia. Vide dicta suprà in Tractatu 2do. cap: sub Propositione 5ta. Ergo evidens est me non existere essentialiter, Ergo contingenter; Ergo ab alio determinatum ad existendum hic & nunc. Ergo evidens est mihi, dari illud Aliud, à quo essentialiter dependeo. Sed tale ratiocinium, potest facere de se quæcunq; Creatura alia, in tota Collectione Entium non essentialiter existentium (si enim aliquid essentialiter necessariò existit, hoc est Deus) Ergo evidens mihi est, extra totam Collectionem Entium, non essentialiter existentium, dari Ens unum, à quo homines, aliaq; omnia.

17mum Argumentum.

17mum. Quia debet dari extra totam collectionem Ens causativum incausatum.

TOta Collectio Entium insufficientium sibi ad existere, seu Entium causatorum, non est causata secundùm partem sui tantùm. Aliàs altera pars, non esset causata: quod est contra suppositionem; supponuntur enim singulæ partes esse causatæ. Nec est etiam causata illa Collectio, secundùm se totam. Quæro enim, à quo est sic causata? Non à se. Tum quia nihil potest esse causa sui, saltem quò ad primò esse. Tum quia tota collectio simul nunquam existit. Non etiam est causata à parte sui. Quia illa Pars, vel causaret seipsam; & hoc implicat; vel causaret tantùm partes à se adæquatè distinctas; & sic eo ipso non esset pars collectionis causatorum ab alio; siquidem illam sejungis à tota collectione causatorum ab alio.

Accedit. Quia illa pars, quæ causaret partes, à se adæquatè distinctas, non causaretur ab alio; aliàs causaretur ab aliqua comparte sua, quam causat primò; sicque daretur mutua causalitas, quò ad primò esse. Ergo extra totam Collectionem causatorum, debet admitti aliud Ens causativum, incausatum, quod est DEus.

18vum Argumentum.

18vum. Infertur Existentia DEI ex indifferentia creaturæ ad existendum.

CReatura eſt indifferens ad eſſe, vel non eſſe. Ergo ut aliquando incipiat eſſe, debet pro priori Naturæ, aliquid intelligi, quod eam determinet ad eſſe. Sed hoc nequit eſſe una, neq; altera, neq; infinita Creatura. Ergo aliquid ſuprà Creaturam. Minor probatur. Quia quod ex ſe eſt indeterminatum ad eſſe, non poteſt ſe ſolo alterum determinare ad eſſe. Sed quævis Creatura, eſt ex ſe indeterminata ad eſſe: eſt enim quælibet contingens, ut ſuppono; aliàs ſi eſſet Ens eſſentialiter neceſſarium in exiſtendo, ab ullo independens, eſſet in re, ipſe Deus. Ergo nulla Creatura poteſt ſe ſolâ alteram determinare ad eſſe. Sicut ſi famelico superveniat famelicus, non ſatiat famelicum, etiamſi in proceſſu eatur in infinitum; quia quod ad ſatiandum requiritur, tam uni deeſt, quàm alteri. Ergo etiam, ſi Enti ex ſe indifferenti, ſuperveniat Ens ex ſe indifferens, licèt procedatur in infinitum, non tollet ſe ſolo indifferentiam ab illo Ente; quia quod ad tollendam indifferentiam requiritur, tam uni deeſt, quàm alteri: ſicut enim unum famelicum, non ſatiant infiniti famelici (Addo: nec unum hominem nil omnino ſcientem, ac nil omnino habentem, non faciunt doctum & divitem; infiniti homines, nil ſcientes, nil habentes; nec infinita Entia, quorum ſingula ſunt inſufficientia ſibi ad eſſe, faciunt collectionem Entium ſufficientem ſibi ad eſſe) ita unum Ens indifferens ad eſſe, vel non eſſe, non determinabunt infinita Entia ex ſe indifferentia ad eſſe, vel non eſſe.

19num Argumentum.

19num. Item ex impotentia creaturæ ſe producendi, vel conſervandi.

NIhil poteſt ſeipſum primò producere vel conſervare. Inquiro ergo. Petrus à quo jam, ſeu hôc inſtanti conſervatur? Si dicas à cælo. Inquiro ulterius, Cælum à quo conſervatur? abire hìc non poſſumus in infinitum; cùm ſit determinatus numerus rerum jam exiſtentium. Ergo ad aliquid tandem deveniendum, quod reliqua omnia conſervet, nec ab iis conſervetur, hoc autem neceſſariò debet eſſe Ens à ſe, & ſuperioris Ordinis ad res omnes creatas, & conſequenter Deus. Ita argumentatur P. Comptonus cum quibuſdam Theologis. Adverto tamen hic

hic *imò.* quòd licèt causæ aliquæ possint indirectè per influxum physicum in aliquid aliud à se distinctum, se ipsas aliquamdiu conservare, resistendo suis contrariis, illaque à se removendo; & ita dici potest, quòd gutta aquæ, se indirectè conservet, colligendo se in globulos, ne statim effluat, ac intendendo suum frigus, ut sic validiùs resistat calori ipsius destructivo; ferrum etiam conservet se indirectè, sua duritie resistendo, ne facilè incalescat; & diffluat, Animalia item fovendo calorem nativum, contra inimicam ipsis intemperiem; tamen nulla creatura se conservat per immediatum influxum in se physicum, nec conservare sic potest; sicut enim se nihil potest producere, ita nec se tali ratione conservare; siquidem conservatio, est continuata rei productio.

Adverto *2dò.* Mihi longè efficacius videtur esse Argumentum pro Existentia Dei, deductum ex insufficientia Entium ad existere, quàm deductum ex impotentia se conservandi; difficulter enim, saltem certò & evidenter probari potest, quòd aliquid existens in rerum natura, non possit se conservare per influxum in se physicum; & quòd Conservatio, sit continuata rei productio; Vel quòd ad hoc, ut aliquid perseveret in suo esse, requiratur indispensabiliter Conservatio directa sui ab alio Ente realiter distincto, nec sufficiat unquam indirecta conservatio. Jam verò certum est ac evidens ex dictis in Tractatu 2do, Cap: 5to. quòd Entia insufficientia ad existendum, ut existant, requirant necessàriò aliquod Ens sibi sufficiens ad existendum.

20mum Argumentum.

20mum. Desumitur ex impotentia creaturæ, aliquid creativè producendi.

EX una parte constat, quòd Agentia creata non habeant vim creandi, seu ex nihilo subjecti, aliquid producendi. Hinc illud est Axioma ab omnibus receptum. Ex nihilo nil fit. Et Aristoteles 1mo Physic. tex. 34. dicit: *Id, quod est, ex iis, quæ non sunt, fieri impossibile est, de hac enim conveniunt opinione omnes, qui de natura.* Omnes, inquam, conveniunt tam antiqui, quàm recentes Philosophi, & Doctorum scholæ omnes, licèt disconveniant: in ratione assignanda, quare Creatura, nequeat aliquid creare. Ex altera etiam parte sat validè probatur, Materiam primam esse creatam; cùm enim sit primum subjectum,

jectum, non potuit produci ex præexiſtente ſubjecto; eſſe autem productam, conſtat ex dictis in Tractatu 2do, Cap: 1. ſub Propoſitione 5ta: Non enim eſt Ens à ſe tam poſitivè, quàm negativè. Ergo dari debet Agens increatum, à quo creativè producta ſit materia prima.

Confirmatur. Tum quia anima rationalis creativè producitur & Angeli, ut probari ſolet in Philoſophia & Theologia. Tum quia ſaltem eſt poſſibilis ſubſtantia, quæ creativè produci poſſit, proinde debet admitti Agens increatum, à quo procedat vel procedere poſſit actio creativa.

Cauſæ itē ſaltem neceſſariæ videntur ad individuationē effectûs, debere determinari ab Agente, eſſentiam habente infinitam.

Appono hic & aliud non contemnendum (ſaltem multùm probabile) Argumentum tale. Cauſæ creatæ neceſſariæ debent determinari (intellige cauſaliter, radicaliter, & quaſi electivè) ad producendum hoc potiùs individuum, quàm aliud ejusdem ſpeciei. Omnis enim actio eſt circa ſingularia. Sed non poſſunt ad hoc determinari ex ſeipſis vel diſpoſitionibus, aut circumſtantiis. Ergo debent determinari ab aliqua cauſa Univerſali; Hæc autem non eſt alia, niſi Agens, habens Intellectum infinitum, quô ſimul præcognoſcat totam Collectionem cauſarum omnium neceſſariarum, in rerum natura, pro quacunq; temporis differentia exiſtentium, imò & poſſibilium: Collectionem item individuorum producibilium; proinde habens & Eſſentiam infinitam, proportionatam Intellectui; tale autem Ens eſt ſolus DEus. Dixi. Cauſæ ſecundæ neceſſariæ. Quia non improbabile eſt, quòd non ſolùm poſſint, ſed & defacto determinent ſeipſas cauſæ ſecundæ liberæ, ad individuationem actuum ſuorum liberorum; ad hoc enim videtur ſufficere, ut præviâ cognitione, diſcernat Cauſa libera hoc individuum eſſe diſtinctum ab alio; quod utiq; Cauſa libera præſtare poteſt? Admiſsâ item hac ſententiâ faciliùs reſponderi poteſt, ac ſolidiùs, cur Deus non ſit cauſa peccati, licèt ut Cauſa prima, cum Voluntate concurrat ad omnes actiones etiam peccaminoſas.

Nota hic *imò* ſaltem multùm probabile eſſe, quòd cauſæ ſecundæ neceſſariæ, non determinent ſeipſas, quò ad individuationem effectûs. Nulla enim videtur poſſe ſufficiens aſſignari ratio, cur non ſint plures numero effectus poſſibiles, omninò ſibi ſimiles ab hac cauſa, hic & nunc in his circumſtantiis? cur ignis v. g. hoc tempore,

re, in hoc passò, producat calorem A, & non potiùs calorem B, vel C, quos fortè alio tempore producet? Neq; dicas. Inter effectus ipsos ex natura rei, certum esse ordinem prioris & posterioris. Contra enim est. Tum quia id gratis omnino & arbitrariè dicitur. Tum quia aliàs, (ut urget P. Comptonus) homines essent Naturâ suâ primogeniti, &Majores vel minores natu aliis, cùm petant produci, eô determinatô tempore, quô defacto sunt producti, sicq; deberet admitti, quòd Cain naturâ suâ petiit produci ante Abelem; Joseph ante Beniaminum, quod videtur durum.

Nota *2dò.* Multùm probabile esse, determinationem ad individuum, non fieri ab actione, vel à dispositionibus, vel à circumstantiis loci & temporis. Ratio est. Tum quia recurrit eadem difficultas de ipsa Actione, & circumstantiis. Quæro enim: illæ ipsæ actiones, dispositiones, circumstantiæ, unde habent, ut hæ potius producantur, quàm aliæ, ejusdem speciei? Neq; recurras ad tempus vel spatium imaginarium. Imaginaria enim satis est solutio & responsio, quæ ab imaginariis desumitur Tum quia aliàs Christus Dominus non potuisset produci idem numerô, si vel uno instante, seriùs aut citiùs fuisset productus. Item, si DEus vel uno citiùs instante produxisset Mundum hunc, non potuisset hunc numero connaturaliter producere, sed alium. Quod tamen utrumq; concedere, videtur, estq; defacto nimis arduum.

21mum. Desumitur ex operationibus Agentium naturalium, intellectu carentiũ, convenienter ad finẽ.

21mum Argumentum.

AGentia naturalia, intellectu carentia operantur ad finem suum convenienter; quia semper eodem modo, eoq; optimo: Natura enim non solùm non agit frustra, sed etiam semper facit eorum, quæ fieri possunt, quod optimum est: ut dicit Aristoteles 2. de cælo lib. textu 14. patetq; idipsum Inductione. Cùm autem ordinatio ad finem, debeat esse à præcognoscente finem: Finis enim non movet, nisi cognitus: ea verò, quæ cognitione & ratione carent, non possunt ex se ipsis ad Finem præcognitum dirigi; Imò etiam Intellictiva Entia, non habent sufficientem notitiam, quâ dirigant se ipsa, ad omnia ea efficienda, quæ naturaliter, eoq; modo operari solent. Nulla enim mulier novit, quomodo in utero debeant effingi membra infantis; & à for-

à fortiori, nullum brutum novit artem formandi fœtus suos; Unde sequitur necessariò, quòd debeat dari Mens superior, dirigens & ordinans res naturales non intellectivas, imò & intellectivas ad finem suum. Hæc autem Mens directiva omnium, est DEus.

22dum Argumentum.

22dum. Ex operationibus admirandis brutorum.

VIdemus Brutorum animalium opera admiranda, toti speciei, ac omnibus individuis communia. Innuo ex innumeris, aliqua. Formicæ, æstate pro hyeme cibum providendo, meliora grana inter frumentandum seligunt, deferuntq; in sua antra; grana incidunt & arrodunt oculos seminis exedentes, ne germinent & putrescant. Tempore sereno, grana exponunt, & exsiccant: imminente pluviâ recondunt in antra; majora pondera dividunt, vel se juvant in illis ferendis. Apis in obscuris alvearibus, quàm sapienter mira arte, apothecas mellis sex angularium fistularum construit! Audi Divum Basilium Homiliâ 8. Hexaëmeron. Apis in tenuem extensa cera membranam, frequentes cellulas densas, sibiq; continuas, alias super alias exstruit, ut ipsarum adeò minutarum inter se se vinculi densitas, universo sit operi firmitudo: quæque enim adhæret alteri cellula, pertenui sejuncta simul, copulataq; septo; deinde aliæ super alias accumulantur hæ fistulæ, in altumq; editur opus, perinde ut ædes præcelsæ, secundâ, tertiâq; præditæ contignatione. Namq; cavetur ipsi continuum unum efficere sinum, ne foras humor, suo præponderе dilabatur. Non prius ad prata proficisci sustinent Apes, quàm Regem foras prodire videant, anteireq; volatu. Hucusq; S. Basilius. Porro, ut docet Aristoteles lib: 5. Histor. Animal: 22. Apes construunt favos è floribus: ceram ex arborum lacryma effingunt: mella ex rore aëris colligunt: est enim mel, roris medulla, ejusq; succus prædulcis, & subtilis, qui herbis, flosculis, & terræ solô excipitur, atq; ab apibus colligitur. Vide Cornelium à Lapide, in Caput 45. Isaiæ. Araneæ per subtilia (utor verbis Sancti Nazianzeni Oratione 34.) stamina multipliciter intensa, quàm sinuosas telas contexunt! quæ ipsis & pro eximio quodam domicilio sint, & venandis alimoniæ causâ imbecillioribus animantibus inserviunt. Nodi telæ non

Ut formicarum.

Apum.

Aranearũ

dispárati, nec staminosi, sed instar membranæ levis, continui, & adeò glutinosi, ut & sævientibus non facilè rumpantur ventis; ipsa tela coloris caliginosi, ut magis fallat: cùm incidit captura, statim in medium currit aranea & periti aucupis instar trahit rete, scissumque, protinus reficit. Hirundo, quàm artificiosè nidum suum exstruit, & ab illo vermiculos quosdam arcet, foliis apii! Gruum volatus, quàm industriosus! &c. Teres byssi textor Bombyx, quàm admirandè sericis suis è visceribus stamina ducit! quàm idem stupendè, ac multifariè transformatur! Quanta item in Brutis, peritia remediorum! Divus Ambrosius lib: 6. Hexaëmeron, cap: 4. scribit: Caprea vulnerata, dictamnum petit, & de vulnere excludit sagittas. Leo æger, simiam quærit, ut devoret, quo possit sanari. Leopardus, capræ agrestis sanguinem bibit, & vim languoris evitat. Omnis fera ægra, canis hausto curatur sanguine. Ursus æger, formicas devorat; Cervus, oleæ ramusculos mandit. Ursa (ut refert Divus Basilius Homiliâ 9nâ. Hexaëmeron) vulneribus saucia, verbasco sibi medetur. Vulpes laricis arboris lacrymâ, se ipsam curat. Anguis, feniculi pastu, lippitudinem oculorum curare videtur. Chelidoniæ herbâ, hirundines pullorum suorum oculos illiniunt, & roborant. Canes cernimus gramine deglutito, stomachum sibi vomitu movere. Palumbes, Merulæ & Perdices, lauri foliis se purgant. Columbi & omne gallinaceum genus, parietariâ, humorum sibi sarcinam levant. Ibes, ciconiæ similis, dum humorum noxiorum copiâ gravatur, rostrô, aquâ marinâ impleto, ea se parte proluit, quâ ventris onera reddi maximè salubre est. Hinc Clysterum demonstrator est Ibes. Hypotamus fluminis Nili equus incola, cùm opprimitur sanguinis copiâ, ad acutiores ripæ cannas, affricto femore sibi venam pertundit, quâ superfluum sanguinem à se exigit, sistitq;, cùm par est: volutatô per crassum limum corpore. Hinc Phlebotomia inventa est. Ex his sat clarè evincitur, necessariò dari Ens aliquod summô Intellectu præditum, à quo brutorum actiones gubernentur, ac in fines proprios, adeò convenienter ordinentur; Animantibusq; ad tam stupendas actiones inserantur instinctus: siquidem bruta, utpote intellectu destituta, non præcognoscunt fines illos; Hoc porro Ens, vocamus, DEum.

aliorumq; Animantium.

Neq;

Neq; dicas, ab Animantibus exerceri admirandas illas actiones ex eo, quia illas, exemplô ac imitatione didicerunt à suis Parentibus. Contra enim est. Tum quia etiam illæ apes & formicæ, aliaq; mista Animantia, quæ nasci solent quandoq; ex putri, admirandas actiones exercent; cùm tamen eas, ut certum est, didicisse non potuerint à Parentibus. Tum quia etiam Animantia, si statim post sui ortum, eximantur ex nidis vel cubilibus suis atq; in loco aliquo separato, sine ulla Parentum suorum cura foveantur, postea tamen sine ullo exemplo & imitatione, ab iis exerceri solent opera admiranda. Tum quia semper constanter & eodem modo actiones illas peragunt animantia. Ergo evidens est id fieri ex instinctu, animantibus illis indito ab Auctore Naturæ. *Objectio solvitur.*

23tium Argumentum.

23tium. Ex productione Corporum Cælestium.

SOl, Luna, Astra, Cæli, non sunt Entia à se; neq; sunt Entia, quæ se ipsa singula primò produxerunt; vel quæ mutuò se produxerunt, quò ad primò esse; Ut demonstratum est suprà in Tractatu 2. sub Propositione 1ma. 2. 3. Nec sunt à casu fortuito; ut patet ibidem ex Probationibus Propositionis 4tæ. Verùm sunt producta ab Ente summæ Potentiæ & Sapientiæ; ut clarè deductum est ibidem, sub Propositione 4. & 5. Sed DEus, est Ens summæ Potentiæ ac Sapientiæ. Hoc enim nomine DEI intelligitur. Ergo DEus est, qui produxit Solem, Lunam, Astra, Cælos: proinde existit. Accedit, quòd Astra habeant adversos vel diversos inter se cursus, atq; eos omnes certos, & ad legem: dic mihi (quæro & urgeo cum eruditissimo Lipsio Cent: 2. Epistolarum ad Belgas, Epist: 26.) à quo præscriptam? Sibi certè nemo normam hanc assiduæ servitutis indicet. Alius igitur? quis? ascende & gradibus pervenies ad immotum illum, & omnia moventem. Ut in horologio, cum gnomonem serpere sensim vides, non illic sistis, sed ad rotas, rotulasq; abis, & miraris: & deniq; manum & ingenium Auctoris primi: idem hîc fac, & DEum reperisti.

Rectè Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui Universæ Theologiæ summam, ex Sacrorum Theologorum Sententiis, compendiosè, libris

libris quatuor, complexus, ob idq; antonomaſticè, Magiſter Sententiarum, & Theologorum Scholaſticorum, dici meruit, floruit circa annum 1140. Hic inquam Petrus Lombardus, in prim: Sentent. Diſt. 3. rectè dicit: *Accedat, quæcunq; vis, creatura, & faciat tale Cælum*, (addo, talem Solem, Lunam, Aſtra, tantæ magnitudinis ac elevationis à terra faciatq; ea tam admirandè moveri: ut oſtendi Cap: 7. Tractatûs 2di ſub Propoſitione 5ta) *& dicam, quia DEus eſt.*

Certè ſi quis debitè perpendat, quæ dixi toto illo Capite 7. Tractatûs 2di, non dubito impellendum, ut admirabundus exclamet cum Pſalte Regio, Pſalmo 103. *Quàm magnificata ſunt Opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti:* Et cum Eccleſiaſtico, cap: 43. *Sol, vas admirabile, Opus Excelſi, magnus Dominus*, (imò maximus Bonitate, Potentiâ, Sapientiâ) *qui fecit illum.* Dicatq; cum Jeremia cap: 10. *Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat Orbem in Sapientia & Prudentiâ ſuâ extendit cælos. Dominus exercituum nomen illi.* Demum approbet illud Sapientiæ 13. *Vani* (ſeu ut eſt in Græco textu: Stulti) *ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Scientia DEI, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt* (quia noluerunt: excæcavit enim eos malitia eorum: ut legitur Sapientiæ 2. & noluerunt intelligere, ut bene agerent, ut habetur Pſal: 35. (*intelligere eum, qui eſt* (id eſt DEum, qui de ſe ipſo dicit Exodi 3. cap: Ego ſum, qui ſum) *neq; operibus attendentes, agnoverunt, quis eſſet Artifex*; *ſed aut ignem* (ut Perſæ, & ideo templa ſua, vocant Pyrea, quia in illis πυρ: id eſt, ignis, eorum DEus colitur) *aut Spiritum* (id eſt àërem puriorem ac ſuperiorem) *aut ventum* (ventos enim pro Diis cultos, perhibet Seneca) *aut citatum àërem* (id eſt mediæ ac inferioris Regionis, quæ vocatur Juno) *aut gyrum ſtellarum*) id eſt. cælum ſtelliferum & ſtellas) *aut nimiam aquam* (id eſt mare, ſeu Thetyn vel Neptunum) *aut Solem & Lunam, Rectores Orbis terrarum putaverunt, quorum ſi Specie delectati, Deos putaverunt*; *ſciant, quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt*; *Speciei enim Generator hæc omnia conſtituit: aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis: à magnitudine enim Speciei & Creaturæ*, (Cæli, Aſtrorum, imò ſingularum creaturarum quarumcunq; : quot enim Creaturæ, tot teſtes Deitatis, tot linguæ, quæ verbis omnium idiomatum enarrant, Deum eſſe) *cognoſcibiliter poterit*

Crea-

Creator eorum videri. Unde & Sanctus Patriarcha Abraham, ex terræ passione ac maris, & ex iis, quæ contingunt circa Solem & Lunam, & ex omnibus, quæ circa cælum semper eveniunt, docebat Chaldæos, Deum Creatorem unum esse cunctorum: ut refert Josephus lib: 1. Antiquit. cap: 15. Ptolomæus quoq; in principio Almagesti, secundùm traditionem Arabum, asserit, Astronomiam esse viam ac semitam ad sciendum DEum altissimum. Eodem medio ad DEi Existentiam evincendam usi sunt Orthodoxi Patres, ex eorum numero libeat audire hic aliquos. Sanctus Clemens Romanus, Discipulus Divi Petri, ac ejus in Apostolica Sede Successor lib: 8. Recognitionum, taliter con-,vellit Atheismum. [Quis est exigui saltem sensûs, qui cùm cernat ,Domum, omnia, quæ ad usus necessaria sunt, habentem, cujus ca-,meram, in Sphæræ gyrum videat collectam, eamq; vario splendore, ,& diversis imaginibus depictam, luminaribus præcipuis & maximis ,adornatam: Quis inquam est, qui hujusmodi fabricam videns, non ,statim pronuntiet, à Sapientissimo & Potentissimo Artifice esse con-,structam? & ita quis invenietur insipiens, cùm Cæli Opus inspiciat, ,splendorem solis cernat, ac lunæ, astrorum cursus,& species & vias, ,certis rationibus, & temporibus videat definitas, non tam à Sapien-,te hæc Artifice, & rationabili, quàm ab ipsa sapientia & Ratione ,clamet effecta?]

Sanctus Abraham, Item Ptolomæus ex quonam medio probârunt DEI Existentiam.

Notabilis textus S. Clementis.

M. Minucius Felix floruit Romæ, circa annum Christi ducentesimum, scripsitq; Dialogum inter Christianum Octavium,& Ethnicum Cæcilium, qui Dialogus, Octavius inscribitur: in illo Dialogo, Octa-,vium introducit ita loquentem: [Qui hunc Mundi totius ornatum, ,non Divinâ ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam cohæ-,rentibus conglobatum: mentem, sensum, oculos deniq; ipsos non ha-,bere mihi videntur: Quid enim potest esse tam apertum, tam con-,fessum, tamq; perspicuum, cùm oculos in cælum sustuleris, & quæ ,sunt infra citraq; lustraveris, quàm esse aliquod Numen præ-,stantissimæ mentis, quô, omnis natura inspiretur, moveatur, ala-,tur, gubernetur? Cælum ipsum vide, quàm latè tenditur, quàm ,rapidè volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in ,diem Sole lustratur: jam scies, quàm sit in eo Summi Moderatoris ,mira & divina libratio. Vide & annum, ut Solis ambitus faciat & men-

Argumentum M. Minucij Felicis pro Existentia DEI.

,mensem: vide ut luna auctu, seniô, labore circumagat. Quid tene-,brarum & luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis Operis & ,quietis alterna reparatio. Relinquenda verò Astrologis prolixior de ,sideribus oratio, vel quæ regant cursum navigandi, vel quæ arandi, ,metendiq; tempus inducant: quæ singula non modò ut crearentur, ,fierent, disponerentur, Summi Opificis & perfectæ rationis egue-,runt: verùm etiam sentiri, perspici, intelligi, sinè summa solertia & ,ratione non possunt. Quid cùm ordo temporum, hac frugum stabili ,varietate distinguitur? nonne Auctorem suum, Parentemq; testatur? ,ver æquè cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni ,maturitas grata, & hiberna Olivitas, necessaria: qui ordo facilè tur-,baretur, nisi maximâ ratione consisteret. Jam Providentiæ quantæ, ,ne hyems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni ,& veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni ,revertentis, occulti & innoxii transitus laberentur.]

Adversio Sancti Chrysostomi, notatu dignissima.

Divus Joannes, cognomento Chrysostomus, Homiliâ 9. ad po-,pulum Antiochenum, hæc habet: [Propheta dicebat Psalmo 18. Cæ-,enarrant gloriam DEI. Quomodo igitur narrant, dic mihi? vocem ,non habent: os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur ,narrant? Per ipsum aspectum. Cùm enim videris pulchritudinem, ,magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantum temporis ,permanere, tanquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras ,eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit. Tacet cæ-,lum, sed ipsius aspectus, vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, ,non per aures nos docens, hic enim sensus à natura est illo certi-,or, & manifestior. Si enim per libros docuisset & literas; litera-,rum quidem peritus, scripta didicisset, nesciens verò, nihil inde ad-,jutus abiisset, si quis alius non induxisset: & dives quidem librum ,emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursum, vocem illam ,per literas significatam sciens, intus positam nosset: Scytha verò & ,barbarus & Indus, & Ægyptius, & omnes, linguâ carentes illâ, ni-,hil docti abiissent: hoc autem de cælo dicere non licet; Sed & Scy-,tha, & barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super ter-,ram incedens, hanc vocem audit; non enim per aures, sed per o-,culos in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio ea-dem,

,dem, neq; differens, ſicut linguarum. In hunc pariter librum, & ,Idiota, & ſapiens, intueri poterunt: & pauper, & dives, & quocunq; ,quis venerit, in cælum reſpiciens, ſufficientem capiet doctrinam ex ,aſpectu; quod quidem & ipſe Propheta innuens & demonſtrans, , quia vocem creatura barbaris emittit, & Græcis, & omnibus univer-,ſaliter hominibus, ſic intelligi facilem, dicebat Pſalmo 18. Non ſunt ,loquelæ, neq; ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quod ,autem dicit, tale eſt: Non eſt Gens, neq; lingua, quæ hanc vocem ,intelligere non poſſit, ſed talis eſt ipſorum vox, ut ab omnibus au-,diri poſſit.] Hucuſq; S. Chryſoſtomus. Lege hac de re etiam verba ejus aurea infrà in Libro 2do in fine Tractatûs 3tii, cap: 9no. Non multùm abſimilia habent, non tantùm Sancti Patres, verùm etiam Veteres Gentiles Philoſophi: ut Sextus Empyricus in Examine ſuo Phyſicæ Scientiæ, capite 1mo. Seneca, libro de Divina Providentia. Ariſtoteles 2do Phyſicorum, cap: ſexto: quorum verba habes infrà in Libri 2di, Tractatu 2do, Capite 3tio, 4to, & ſeptimo. Claudo hoc Argumentum, Sapientiſſimi Theodoreti, Epiſcopi Cyriæ (floruit is circa annum 430.) egregiâ Sententiâ, quam in Expoſitione ,Patrum Græcorum refert Corderius, his verbis: [Si autem quis ma-,ximum & pulcherrimum ædificium inſpiciens, architectum mira-,tur; & navigium videns, benè, pulchreq; conſtructum, naupegum ,conſiderat; & cum contemplatione imaginis, memoria pictoris ſi-,mul occurrit; multò magis Mundi fabrica, quæ videtur, ad Opifi-,cem, videntes adducit.]

24tum Argumentum.

24tum. Ex productione Elementorum.

NOn caſus aliquis, verùm Ens ſummæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis, eſt Cauſa productiva Elementorum: ut probatum eſt in Tractatu 2do, toto Capite 8vo. Sed hoc Ens eſt DEus. Nihil enim aliud nomine Dei intelligimus, quàm tale Ens Ergo ille eſt prodictivus Elementorum: ſeu ſtrictiùs loquendo, ipſe produxit Elementa, proinde datur.

25tum Argumentum.

25tum. Ex productione plantarum.

NOn casus aliquis, verùm Ens summæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis, est Causa primò principalis productiva Plantarum: ut deductum est in Tractatu 2do, Capite 9no. Sed tale Ens est DEus: Ergo Ipse est hæc Causa: proinde existit.

Acaxilotic herba, si desipientium capitibus imponatur, desipere desinunt: ut refert Nierembergius libro 15. Histor. Natur. cap: 15. Considerent attentè insipientes Athei, quæ illo capite 9. de Plantis, Herbis, annotata sunt: spero, & illos reducendos esse ad saniorem mentem. *Tu verò ô homo Christiane* (verba sunt Sancti Basilii, Homiliâ 6. Hexaëmeron, in fine) *cùm urbanas, sylvestres, aquatiles, terrestres, sive floribus haud præditas stirpes, conspexeris, ex hisce rebus exiguis, DEO Maximo cognito, admirationem semper accumulato, ac tuum erga rerum illum Opificem, amorem, charitatemq; augeto.* Appono hîc, Maximi & Sanctissimi Præsulis Hipponensis considerationem sapientissimam, tractatu 8vo in Joannem. [Ipse fecit vinum in illo die in nuptiis (in Cana Galilææ) in sex illis hydriis, quas impleri aquâ præcepit, qui omni anno hoc facit in vitibus. Sicut enim, quod miserunt Ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini, sic & quod nubes fundunt, in vinum convertitur ejusdem opere Domini: illud autem non miramur, quia omni anno fit, assiduitate amisit admirationem. Nam & considerationem majorem invenit, quàm id, quod factum est in hydriis aquæ. Quis est enim, qui considerat Opera DEI, quibus regitur & administratur totus hic Mundus, & non obstupescit, obruiturque miraculis? Si consideret vim unius grani, cujuslibet seminis, magna quædam res est, horror est considerant; sed quia homines, in aliud intenti, perdiderunt considerationem operum DEI, in qua darent laudem quotidie Creatori; tanquam servavit sibi DEus inusitata quædam, quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad se colendum mirabiliùs excitaret.]

Notabilis consideratio S. Augustini.

Nec absimilia habet Sanctus Gregorius, Magnus nomine; Doctrinâ & Sanctitate Maximus, lib: 6. Moralium, in 5. Caput Job, cap: 7. expendens illud: Qui facit magna, & inscrutabilia absque numero. Quia (*inquit ille*) arida Aaron virga floruit, cuncti mirati sunt. & quo-

Item Sancti Gregorij.

,quotidie ex arente terra, Arbor producitur, virtusque pulveris in ,lignum vertitur, & nemo miratur. Aquam, in vinum semel permutatam videntes (in Cana Galilææ) cuncti mirati sunt: quotidie humor terræ in radicem attractus per botrum in vinum mutatur, & ,nemo miratur.]

26tum Argumentum.

26tum. Ex productione Animalium

ENs, summæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis, est Causa primò principalis productiva Animalium. Ergo DEus est. Consequentia patet. Antecedens fusè probatum est toto Cap: 10. in Tractatu 2do.

Notabilis consideratio Sancti Augustini

[Attendat (*inclamat Sanctus Augustinus Tomo 8vo. in Psal. 148.*) ,Charitas vestra (*attende & tu Athee, vel qui quomodocunq; dubitas de ,Existentia DEI*) Quis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? unam bestiolam brevem, minutissimam, considera, quam volueris: ,si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, quâ ,movetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. ,Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est, quâ sorbet? quis disposuit ista? quis fecit ista? expavescis ,in minimis, lauda Magnum. Hoc itaq; tenete, Fratres mei, nemo ,vos de fide excutiat, & de sana doctrina (*nihil etiam te Athee, ,in Atheismo detineat*) Qui fecit in cælo Angelum, ipse fecit ,in terra vermiculum.] Et tomo 1. lib: 1 de Genesi contra Manichæos, capite 16. dicit: [Non Animalis alicujus corpus & membra considero, ubi non mensuram, & numeros, & ordinem inveniam ad unitatem concordiæ pertinere: quæ omnia unde veniant, non ,intelligo, nisi à summa Mensura, Numero, & Ordine, quæ in ipsa ,DEI sublimitate incommutabili, atq; æterna consistunt. Quod si cogitarent isti loquacissimi & ineptissimi (*Manichæos alloquitur ille, ,ego Atheos*) non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes ,pulchritudines & summas & infimas, DEum artificem cognoscerent, ,& ubiq; laudarent.]

Nec non Sancti Jobi.

Interroga (ò Athee, verbis te alloquor Sancti Jobi cap: 12.) *jumenta, & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc, manus Domini fecerit?* Itane tu impie, multò insipientior jumentis, audebis respondere: hæc omnia facta mero casu, ex fortuita atomorum conglomeratione, nullumque esse Dominum, cujus manus, hæc fecerit?

27mum Argumentum.

27mum. Ex productione Hominis.

HOmo non est à casu fortuito, verùm est productus ab Ente, summæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis: ut toto Capite 11. in Tractatu 2do probatum est. Ergo existit DEus.

Convenientia Hominis cum Mundo magno.

Illustratur *1mò.* In homine, seu parvo Mundo, tot nervi (sunt enim 74; juxta autem alios, supra centum) ab uno cerebro oriuntur; tot arteriæ (sunt enim tot, quot nervi ab uno corde: tot millia venarum, ab uno hepate; tot item sunt Potentiæ, actiones verò innumeræ earundem; & hæc omnia & singula, ad unam simplicem, indivisibilem, spiritualem, intellectivam Animam, quæ est imago Dei, reducuntur. Sic multò magis convenit, ut & in hoc magno Mundo, omnia & singula reducantur ad Unam puram universalem Unitatem, & Causam omnium rerum. Hæc autem non est alia, nec esse potest, nisi DEus: qui etiam à Platonicis dicitur: Anima Mundi; non quòd sit forma ipsius intrinseca (aliàs DEus esset Ens incompletum: & percussâ unâ arbore, ictum illum sentire deberet totus Mundus) sed quia cunctis rebus creatis, ut perfectissima Causa, dat esse & operari.

Item anima cum DEO.

Illustratur *2dò.* Anima humana, quæ est Spiritus indivisibilis, totus in toto corpore, & totus in qualibet parte corporis, sine divisione essentiæ, tam corpori, quàm omnibus in eo partibus, potentiis, actionibus, & passionibus, naturâ, numerô, ordine, distinctis, innumeris, & mirabiliter dispositis, præest. Sic multò magis convenit, ut sit unus simplex, indivisibilis, Spiritus, immensus, immutabilis, totus in toto, & in qualibet parte Mundi, sine ulla divisione Essentiæ manens, qui præsit omnibus naturæ effectis. Hinc Lactantius libro de Ira Dei, cap: 10. dicit: *Sicut corpus omne, Mens & Animus guber-*

bernat; ita & Mundum DEUS: nec enim verisimile est; ut minora & humilia, regimen habeant, majora & summa, non habeant.

Adverte, quòd illo cap: II. in Tractatu 2do, etsi aliquot paginis, tamen paucissima, de aliquibus partibus corporis humani tantùm libavimus; nam ut omnem hominis formationem cum diligentia percurramus (loquor verbis Divi Chrysostomi Homiliâ 12. ad populum) & in unoquoq; membro, Sapientiam inveniamus, & nervorum, venarum, arteriarum distributionem, situm, aliorumq; omnium formationem consideremus, nec annus integer nobis ad hanc expositionem sufficiet. Scripsit Galenus libros septemdecim de Usu partium: Scripserunt & alii plurimi, grandia Volumina de fabrica corporis humani; audeo tamen dicere, nullus hucusq; omnimodè perfectè attigit totam structuram hominis. Dicta tamen à nobis illo cap: II. sufficient tibi Lector benevole, ut per illa investigabilem Conditoris tui Sapientiam mediteris (verba sunt Sancti Basilii, desumpta ex Homiliâ 9. Hexäëmeron & ex ejus sermone super illud: Attende tibi ipsi) ut simul cum Propheta Psal: 138. dicas: Mirabilis facta est scientia tua ex me: id est, Ubi me ipsum novi, immensam, exsuperantemq; tuam, DEus, Sapientiam, ipse didici. Attende itaq; tibi ipsi, ut Deo simul attendas. Hinc & illud in Apollinis templo scriptum: *Nosce te ipsum.* Multi interpretantur ita: Si vis me DEum cognoscere, nosce te ipsum. Conveniat enim omnis Sapientia cunctorum, quin & Angelorum, nihil unquam simile, nihil adeò ordinatum & aptum ad suum finem, & naturæ rei ita congruum, excogitare poterunt, sicut relucet in structura hominis. Ut sapienter cum pluribus dicit, Primæ Magnitudinis Theologus, P. Lessius lib: I. de Provid: cap: 2. num: 74. Ideoq; notârunt plurimi, nullum fuisse insignem Anatomistam, & simul Atheum; sed omnes in Anatomia insigniores, de sua Arte differentes, ex mirabili structura hominis, in admirationem & laudes DEI prorumpunt; ut patet legenti Galenum, Pareum, Spigelium, aliosq; plures. Rectissimè libro I. adversùs Marcionem, cap: 10. scripsit Tertullianus: *Habet DEus testimonium* (& quidem evidens) *id quod sumus, & in quo sumus.* Explodenda igitur Opinio quorundam Veterum Frivophilorum potiùs, quàm Philosophorum, docentium, hominem esse nonnisi Opus & fabricam siderum; eum enim dum

Structura corporis humani perfectè comprehendi nequit.

Nullus Anatomista insignis, fuit Atheus.

dum nascitur, à sole sortiri spiritum: à Luna, corpus: à Marte, sanguinem: à Mercurio, ingenium: à Jove, desiderium: à Venere, cupiditatem: à Saturno, humorem. Explodenda, inquam, hæc opinio, utpote quæ est palpabiliter erronea; ut patet ex dictis. Accedit, quód corpora cælestia sint Entia purè materialia, non viventia, multoq; minùs intellectiva.

28vum Argumentum.

28vum. Ex Vultuum, vocum, & characteris diversitate.

DIversitas tanta Vultuum humanorum, item varietas in vocum humanarum sonis, dissimilitudoq; in Scriptura, seu characteribus formandis, luculentè testantur, Ens aliquod esse summè potens, & summè sapiens, quòd curam nostri habet, talique varietate obviat gravissimis incommodis & damnis, quæ aliàs sequerentur, sublatâ tali varietate, plurimùm conducente ad notitiam & distinctionem Personarum, cognitionemq; veri. Ergo datur DEus. Hôc Argumentô usus est, ad Dei Providentiam demonstrandam, Nemesius Philosophus Christianus, qui vixit circa annum Christi 380. ita enim libro de Homine, cap: 42. scribit: [Quis, cùm videat formas hominum, in infinita penè multitudine, differentes, neq; usquam penitus easdem esse, non admiretur: &, si cum animo suo reputet, non assequatur, à Providentia, formas rerum singularum esse distinctas? Quod hôc modô licet intelligas; si eandem retinerent sine ulla variatione figuram, quanta rerum confusio sequeretur? quanta inscitia, quantæ tenebræ hominem occuparent? qui neq; familiarẽ, neq; alienũ cognosceret, neq; hostem, aut improbum ab amico, aut probo viro discerneret; Neq; etiam lex aut Respublica ulla constituta esset, neq; Patres & Filii inter se cognoscerent, neque aliud quippiam, quod sit ad hominis naturam, cohæreret. Tantorum scilicet commodorum causâ nobis Providentia est, quæ perpetuò & ubiq; gentium, hominum formas distinguere non intermittit. Quod maximum est Argumentum, etiam rebus singulis DEI Providentiâ consuli: siquidem vel figurâ, & lineamentîs, & voce, quisq; cognoscitur.] Hucusq; Doctissimus Nemesius. Minucius etiam Felix (Causidicus Romanus insignis, ut Sanctus Hieronymus testatur in lib: de Scrip:

Ec-

Eccleſ: floruit circa annum Chriſti ducenteſimum) in libro ſuo, cui titulus: Octavius. exinde etiam probat, hominem eſſe Opus DEI, quòd ſit eadem figura omnibus, ſed quædam unicuiq; lineamenta deflexa; ſic & ſimiles univerſi videmur, & inter ſe ſinguli diſſimiles invenimur. Character itidem proprius cuiq; ineſt, & qui difficulter exactè ab alio ſimulari poteſt, ut veritas à falſitate in ſcribendo ſecerneretur; & publicorum monumentorũ cuſtodes, (tametſi non rarò pauperes & abjecti, miſeri; ut ait Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Conc. Trid. lib: 6. cap: 17.) rarò ad fraudem agendam inducantur.

Satisfit Objectioni. Neq; dicas fieri caſu tantam varietatem. Contra enim eſt. Tum quia varietas hæc in vultu, voce, charactere, eſt ferè ſemper, & quid perpetuum; id verò *quod ſemper, aut frequenter, non ſecundùm accidens, neq; à fortuna:* ut dicit Ariſtoteles Phyſic: 2do. text. 85. Tum quia impium eſt dicere, illud fieri caſu, quod adeò eſt neceſſarium generi humano.

29num Argumentum.

29num. Ex præmiabilitate Virtutis, & punibilitate flagitij.

EVidens eſt, Virtutem eſſe præmiabilem; flagitium, punibile. Ergo datur Supremus Judex, qui ſit Remunerator bonorum, & Vindex malorum poſt hanc vitam. Nefandis enim ſceleribus dediti, in flagitiis enutriti, ſæpè ad terminum uſque vitæ, ducunt in bonis dies ſuos; è contra, probi, innocenter affliguntur, & premuntur adverſitatibus; quare impii longè fortunatiores eſſent, ſi poſt mortem nulla eſſet retributio; proinde ulterius, congruum eſſet, per quæcunq; media, etiam nefanda, clanculariè ſaltem, quærere felicitatem ex voluptatibus, divitiis, &c. Quod quia recta ratio faciendum prohibet, hinc habetur, poſt vitam hanc eſſe retributionem, conſequenter eſſe Judicem, quem vocamus, DEum.

Objectio non ſubſiſtit. Neq; dicas. Ipſa ſibi Virtus, eſt præmium & merces; ſicut è contra, pœna peccati eſt, peccâſſe; vel ipſa amaritudo & anxietas, quam crimen omne relinquit in conſcientia. Contra enim eſt. Quia experientia docet, quòd hæc amaritudo animi, creſcente malitiâ, ſenſim langueſcat; non debet verò ſupplicium minui, dum creſcit culpa & malitia. Virtutis item præmium, ſi non eſſet quid diſtin-

ctum ab ipsa Virtute, esset ineptum ad virtutis actus, præsertim plurimùm arduos, in animis excitandos: ut constat Experientiâ. Nec Gloria humana sufficit ad studium veræ Virtutis; quia Virtutis præmium debet esse solidum quiddam, vel intrinsecum, quod animum ipsum afficiat, perficiatq; ; Gloria verò humana est quid evanidum, & animæ extrinsecum; imò Gloriæ appetitio, bonum Virtutis corrumpit. Accedit *imò*, quòd legislator ille haud dubiè insipientiæ argueretur, & quidem rectè, qui severissimè v. g. prohiberet furtum, & nonnisi pro pœna furti, statueret ipsum furtum. *2dò.* Quòd auferri deberent cunctæ leges, quæ sunt de pœna aut mercede, libertasq; viventi pro libitu unicuiq; permittenda foret: si virtus esset sibi sufficienter merces, sceleris verò pœna adæquata ipsum scelus.

30mum Argumentum.

30mum. Ex hominis scelesti tacito pavore.

QUi scelus grave committit, sive is sit Ethnicus, vel Atheus, etiam summæ Vir potentiæ; item, sive scelus committat publicè, sive in occulto, absq; omni teste; tamen scelere patratô, sentit magnum conscientiæ remorsum, & gravi, tacitô exagitatur pavore; unde exclamat Statius, Thebaidos lib: 2. *O semper timidum scelus.* Adeò quandoq;, ut sibi ipsi tales scelesti, necem etiam aliquando inferant; qui remorsus & pavor, adhuc magis augetur, si sceleris patrator, in proximo vitæ periculo, per naturalem mortem subeundæ, sit constitutus; ut constat plurimis exemplis. Quæro ergo. Undenam ille conscientiæ remorsus? quem metuit ille scelestus, ac moribundus? certè non alium, nisi Vindicem DEum, cujus, ut legitur, Ecclesiastici 23. Oculi plùs lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes: In cujus conspectu (ut dicit Sanctus Paulus ad Hebræos 4.) nulla est creatura invisibilis, qui reddet unicuiq; juxta opera sua. Proinde ipsa cujusq; conscientia, hôc suô remorsu, suô timore tacitô, satis sonorè inclamat: DEus est. Hinc „sapienter Justus Lipsius Centuriâ 2. Epist: 26. ait: [Consule te ille „ipse, qui dissentis in rectè factis, ecquid lætari aut diffundi te sen„tis contrahi in sceleribus & angi? ne dissimula, sentis, atq; id eti-

„am in occultis. Unde autem ille alteruter ſenſus? niſi quia ani„mus judicat Judicem alium eſſe, & aliquid homini, præter hominem „timendum, quod profectò eſt Numen.]

31mum Argumentum.

31mum Exeo, quòd anima humana ſit ſpiritualis & immortalis.

SI Animæ humanæ ſunt ſpirituales & immortales, tunc debet dari Ens aliquod tale, quod juxta merita, poſt vitam hanc temporalem, illis retribuat, easq; regat. Ut, tum per ſe; tum ex dictis patet: nullusq; unquam repertus Atheus, qui ſenſit Animam humanam eſſe immortalem. Sed Animæ ſunt ſpirituales & immortales; ut probatum ſuprà in Tractatu 2do, Cap: 11. ſub Propoſitione 3tia, & 4ta. Ergo datur tale Ens, quod juxta merita, poſt vitam hanc temporalèm, illis retribuat, easq; regat. Subſumo. Sed tale Ens eſt Deus: id enim etiam nomine Dei intelligimus. Ergo datur.

Itē: Quia debet dari tale quid, quod ſit expletivū appetitûs humani.

Accedit *1mò.* Quia debet dari bonum tale, quod ſit ſatiativum, & expletivum totius appetitûs humani; ſeu quod ſit ſe ſolo ſufficiens, in quo appetitus Hominis, tanquam in ſuo centro quieſcat; cùm appetitus iſte ſit naturalis, & non ſuperfluus, neq; vanus. Sed tale Bonum, nullum eſt in rebus finitis ac creatis, & in vita hac temporali; potiùs enim hæc bona creata, aut faſtidium ſui afferunt, aut tanquam carnes ſalſæ, ſitim irritant; ut patet in Alexandro Magno, qui ferè totum Orbem poſſidendo, alium ſolicitè inquirebat, obtinereq; ardenter exoptabat. Patet & in Salomone, qui ex ſuamet experientia, Eccleſiaſtæ 2do, dicit: *Còacervavi mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum, ac Provinciarum: fecì mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum- & omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omnì voluptate frueretur.* Et paulò poſt, addit: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Ergo debet dari & vita altera, & Bonum aliquod increatum, ac illimitatum: de quo dicit Rex David Pſalmo 16: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Item Divus Auguſtinus lib: 1. Conf: cap: 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Accedit *2dò.* Inſitus eſt nobis à Natura appetitus ſciendi; hinc

hinc illud axioma: Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat: iſte verò appetitus eſt inſatiabilis, nec ſatiatur rebus quibuſcunq; creatis: ut patet experientiâ; convenit autem illum quandoq; ſatiari, ne ſit vanus: porro non ſatiatur in hac vita. Ergo debet dari vita altera, & in illa, tale aliquid, quod illum ſatiare poſſit: hoc autem quid eſt aliud, niſi DEus?

Confirmatur. Intellectus & Voluntas, cùm ſint Potentiæ, capacitatis quodammodo infinitæ in intelligendo, & volendo, ordinanturq; ex ſe ad omne Verum & omne Bonum, ideo non poteſt quieſcere Intellectus, niſi perveniat ad aliquod Verum, quod eminenter contineat omne Verum: & Voluntas ad aliquod Bonum, quod eminenter contineat omne Bonum: porro tale Verum, & tale Bonum, non eſt, niſi DEus. *Quaquaverſum* (exclamat rectè S. Auguſtinus lib.4. Confeſſ: cap: 10.) *ſe vertit Anima, ad dolores figitur, præterquam in Te, DEus.*

Nota. Cardinalis Toletus in lib: 3tio de Anima, cap: 5to, quæſtione 16ta, nec non quidam alii graves Theologi, non multùm abſimili Argumentô utuntur ad comprobandam immortalitatem Animæ humanæ.

Objectio in contra, ſolvitur.

Neq; obſtat huic, ſi dicas. In communi Sententia Philoſophorum, Materia 1ma appetit omnes formas ſubſtantiales, & tamen licèt appetitus iſte nunquam expleri poſſit; nunquam enim Materia 1ma habet vel habitura eſt etiam ſucceſſivè omnes omnino formas; tamen exinde non ſequitur, appetitum illum eſſe fruſtraneum. Vel ſi fruſtraneus eſt: cur idem non dicatur de appetitu humano? Ergo Rationes deſumptæ ex appetitu Voluntatis, volendi omne Bonum: & appetitu Intellectûs, ſciendi omne Verum, non ſubſiſtunt, ut inde inferatur exiſtentia talis Entis, quod eminenter in ſe contineat omne Bonum, & omne Verum. Non obſtat, inquam, Quia Materia 1ma habens actu unam qualemcunq; formam ſubſtantialem, ſufficienter per illam ſatiatur ejus appetitus, nec tunc abſolutè appetit aliam, ſed tantùm quaſi ſub conditione, in defectu nempe unius formæ, exigit & appetit habere aliam. Econtra conſtat per experientiam, quòd Voluntas poſſidens actu qualecunq; Bonum creatum, appetit abſolutè habere aliud, & aliud bonum. Homo item habens ſcientiam

tiam de aliquo objecto, non contentatur per illam Scientiam, sed actu absolutè appetit scientiam de alio & alio objecto. Ergo de materia 1ma, instantia adducta, non subsistit. Imò sic urgeo. Materia 1ma non fertur appetitu suo, nisi in id, quod est possibile. Ergo Intellectus & Voluntas appetendo Ens, in quo omne Bonum, & omne Verum continetur, non fertur appetitu suo, nisi in id, quod est possibile. Ergo tale Ens, est possibile. Si possibile. Ergo existit: ut clarum. Aliàs enim eo ipso non contineret omne Bonum: careret enim actuali necessariâ existentiâ, quæ utiq; insigne bonum est?

32dum Argumentum.

SI dantur Substantiæ completæ intellectivæ, invisibiles, distinctæ ab hominibus, & iis superiores: seu breviùs. Si dantur Angeli, & si illi, non sunt Entia à se, tunc datur Deus. Sed dantur Substantiæ tales, seu Angeli; & non sunt Entia à se. Ergo datur Deus. Major patet. Illud enim Ens, à quo Angeli producti sunt, nominamus Deum. Minoris prima Pars; nempe, dari Angelos, deducta est suprà fusè in Tractatu 2do, capite 6to; Tum ex communi sensu omnium ferè Gentium: Tum ex effectibus plurimis extraordinariis, ac operationibus magorum, Sagarum, energumenorum, Cadaverum quorundam agilitate, motu: impotentiâ submersionis hominum quorundam ligatorum; incantatione serpentum. Tum ex motu Cælestium Corporum. Secunda Pars ejusdem Minoris: nempe, quòd Angeli non sint Entia à se. Probatur. Tum quia Ens à se est in omni genere perfectissimum, proinde Summum Bonum; Angeli verò non sunt Summum Bonum: multi enim ex illis, sunt Spiritus mali: ut constat ex dictis illo capite 6to, Tractatûs 2di: idq; agnoverunt & ipsi Gentiles Philosophi, ideoq; à Platonicis vocantur: Cacodæmones. Insuper, Summum Bonum, non potest esse nisi unicum: Angeli autem sunt plurimi: ut etiam sufficienter colligitur ex effectibus illorum mirabilibus productis simul in locis à se dissitissimis. Tum quia nullum est fundamentum tribuendi Angelis hanc perfectionem: imò radicem omnis perfectionis simpliciter simplicis. Tum quia Angeli, ita movent Cælestia Corpora, sicut ad bonum

32dum. Ex intellectivarum completarum substantiarũ, seu Angelorum existentia.

Universi expedit, & propter hunc finem in ea motione perpetuò, ac sine variatione, perseverant. Proinde signum est (ut sapienter arguit P. Suarez) ab eodem Conditore esse ad hunc finem procreatos, & ad hoc munus destinatos. Si autem Angeli motores Cælestium Corporum, non sunt Entia à se, neq; erunt alii Angeli. Accedit, quòd Scriptura sacra, pluribus in locis asserat, Angelos esse plurimos, & à DEO productos.

Confirmatur Veritas hæc, quòd detur supremus Spiritus bonus. Quia cùm constat ex dictis in Tractatu 2do, Cap: 6. dari non tantùm Spiritus bonos, sed etiam malos seu Dæmones, generi humano exitiosè infensos, necesse est admittere aliquem supremum Spiritum bonum Summæ potentiæ, qui & Dæmonum rabiem coërceat, ne pro libitu suo noceant; aliàs Dæmonum furor gravissimè vexaret humanum genus, imò illud ferè everterent: & qui Spiritus bonos regat; aliàs ingens foret confusio, si tot Spiritus, nulli Spiritui supremo fuerint subjecti: Porro Spiritum absolutè supremum Bonum dicimus esse DEum.

Annotatio P. Vasquez notatu digna.

Ad calcem hujus Argumenti, libet apponere dignissimam scitu adversionem Eximii Theologi P. Gabrielis Vasquez, is in 1. p. Sancti Thomæ, Disp: 20, ait: [A Viris magnæ auctoritatis accepi, nempe in aliquibus locis, ubi nunc maximè Atheismus viget, perditissimos homines ab Atheismo facilè revocari, dum magicis artibus in aliis, aut in se ipsis, mirabiles effectus experiuntur, qui omnem humanam & visibilem potentiam superant, quibus coácti, credunt, præter ea, quæ sub aspectum cadunt, aliquid spirituale, & potentioris virtutis esse; quô admisso, faciliùs in eam Sententiam adducuntur, ut Numen aliquod fateantur; hoc enim ideo negant, quòd nihil aliud, præter ista Corporea & visibilia esse putent. Quare testantur Viri gravissimi, eò magis in illis ipsis locis, homines ab Atheismo deterreri, quò avidiùs magicis artibus student. Quod, nisi inter hæreticos Deus permisisset, pænè omnes in Atheismo versarentur.] Hucusq; ille. Hinc, & ex suprà dictis, habetur, quòd ipsimet Dæmones, qui in Atheismum impellunt impios, suâ ipsamet essentiâ & existentiâ, operibusq; magicis, comprobant Existentiam DEI.

33tium Argumentum.

33tium. Desumitur ex Libro Sripturæ sacræ.

QUod omnes Hiſtorici Veteres Claſſici teſtantur, & homines fide digniſſimi, illud etiam Infidelis & Atheus, tenet eſſe veritati conſonum, aut ſaltem non diſcredit, ſi aliunde ipſi non conſtat de falſitate. Ergo multò magis, quod teſtatur Liber Scripturæ ſacræ, tenere debet, eſſe veritati conſonum. Subſumo, Sed Liber Scripturæ ſacræ teſtatur, Deum dari. Ergo hoc Atheus, ut veritati conſonum tenere debet. Ut evidenter ac rectè infertur. Antecedens patet: quia etiam Infidelis & Atheus credit, Alexandrum fuiſſe Regem, filium Philippi, Victorem Perſarum, &c: Julium Cæſarem interemptum à ſuis: Neronem fuiſſe tyrannum, aliaq; innumera, quorum notitia, non aliunde habetur, niſi ex Hiſtoricis; & aliàs nihil omnino ſciremus de dictis & geſtis antiquorum. Credit etiam Atheus tam multa de Urbibus, Nationibus, locis, quæ non vidit; tam multa credit Medicis, Amicis, aliiſq;. Credit hos fuiſſe ſuos Parentes, quod ſcire non potuiſſet, niſi audiendo credidiſſet. [Audacter „dico (inquit S. Gregorius Magnus lib: 4to Dialogi, cap: 2do) quia „ſine fide, neq; Infidelis vivit: nam ſi ab Infideli percontari volue„ro, quem Patrem vel Matrem habuerit, protinus reſpondebit, illum „atq; illam. Quem ſi ſtatim requiram utrúmne noverit, quando con„ceptus ſit, vel viderit, quando natus? nihil horum ſe vel noſſe, vel „vidiſſe fatebitur: & tamen, quod non vidit, credit; nam illum, Pa„trem, illamq; ſe habuiſſe Matrem, abſque dubitatione teſtabitur.] Conſequentiæ 1mæ Argumenti dicti Veritas conſtat ex eo. Quia Liber Scripturæ ſacræ habet inſimul decem Titulos fundativos pretii ſui & auctoritatis pro ſua veritate, quot inſimul Titulos, nullus liber cujuſcunq; Hiſtorici profani habet: ut ſat evidenter conſtat ex Capite 3tio, Tractatûs 2di ſuperioris, ubi decem illi tituli recenſiti etiam habentur. Subſumpti Antecedens, eſt evidens. Siquidem in Scriptura ſacra paſſim introducitur Deus jubens, loquens, & creans. „Geneſ: 1. Creavit DEus Cælum & Terram. Exodi 3. Ego ſum, qui „ſum. Levit: 2. Ego ſum Dominus DEus Veſter. Imò evidens eſt ex Scriptura, quòd Scriptores librorum ſacrorum, fuerint ſecundarii

Auctoritas Scripturæ ſacræ, quanta?

Auctores Scripturæ, & quasi amanuenses ipsius Dei, qui est Princi-
„palis Auctor Scripturæ. Dicitur enim Osee 12. Et locutus sum per
„Prophetas, & ego Visionem multiplicavi & in manu Prophetarum
„assimulatus sum: id est omnium Prophetarum non solùm locutio-
nes, sed & Visiones, ac similitudines à me Originem desumunt. Pro-
„phetæ item passim præfigunt suis Oraculis: Hæc dicit Dominus.
„Verbum Domini. Os Domini locutum est. Communiter etiam à
Sanctis Patribus, Scriptura sacra, appellatur, Epistola DEi ad nos.
Hinc S. Gregorius Magnus Epist: 84. ad Theodorum scribit: [Quid
„est Scriptura sacra, nisi quædam Epistola Omnipotentis DEi ad cre-
„aturam suam?] Et S. Augustinus in Psal. 90. Conc. 1. ait: [De il-
„la Civitate, unde peregrinamur, literæ nobis venerunt, quæ nos hor-
„tantur, ut bene vivamus.] Similia habet Divus Chrysostomus Ho-
miliâ 2. in Genesim, & alii. Hinc Scriptura sacra nominatur; pas-
sim; Verbum DEI scriptum. Ex his ulterius infertur, Quòd non
tantùm ex omnibus & singulis Libris Scripturæ sacræ, utpote conti-
nentibus in se implicitè, vel explicitè revelationem DEi, ut loquentis,
instruentis, operantis, demonstretur Existentia DEI, verùm etiam
ex singulis paginis, imò & singulis dictionibus, in Libris Scripturæ
sacræ contentis.

Confirmatur Argumentum 33tium.

Confirmatur. Probabilissimè illud censetur esse conforme Ve-
ritati, ad quod asserendum vel negandum, conveniunt omnes Histo-
rici Classici; nisi aliunde convincantur falsitatis. Ergo multò magis
censeri debet id esse Veritati conforme, ad quod asserendum conve-
niunt omnes paginæ Scripturæ sacræ & singulæ. Hæc enim mere-
tur majus sui pretium & auctoritatem, quàm omnes Historici profa-
ni: ut constat ex dictis cap: 6to. Ergo cùm hæ paginæ asserant De-
um dari, censendum id, esse Veritati conforme.

Notabilis Textus S. Augustini

Argumentum hoc concludo Verbis Divi Augustini, qui lib: 1.
de moribus Ecclesiæ, cap: 29. cùm Manichæos, ex quodam Evangelii
„Textu convicisset, subjungit: [Quid hoc loco potest dicere impu-
„dentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse. At in Evangelio
„verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum. Quid hoc sacri-
„legiô magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius?
„quid audaciùs? quid sceleratius? simulacrorum Cultores, qui Chri-
sti

„ſti etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversùs Scripturas illas „auſi ſunt dicere. Conſequetur namq; omnium literarum ſumma per- „verſio, & omnium, qui memoriæ mandati ſunt, librorum aboli- „tio: ſi quod tantâ populorum religione roboratum eſt, tantâ ho- „minum & temporum conſenſione firmatum (*tot titulis fundativis* „*ſui ſummi pretii, in Tractatu 2. cap: 6. enumeratis*) in hanc dubitatio- „nem ducitur, ut ne Hiſtoriæ quidem vulgaris fidem poſſit gravita- „temq; obtinere.]

34tum Argumentum.

34tum. Ex miraculis.

SI Miracula vera ſunt patrata, ſaltem vel unicum, infertur eviden- ter, Deum exiſtere. Ut patet. Nam verum miraculum ſuperat vi- res omnis Naturæ creatæ: ut conſtat etiam ex dictis, nec diffitentur ipſimet Athei. Sed miracula vera ſunt patrata; ut probatum eſt in Tractatu 2. cap: 12. Ergo exiſtit Deus.

Miraculorum veritas comprobatur.

Perpende Athee. An Hiſtoria aliqua, præſertim ex antiquio- ribus, tot teſtes, ac documenta habeat pro Veritate ſui ſicut Hiſtoria Evangelica de miraculis Chriſti. Haud dubiè perpenſis rationibus adductis illo cap: 12mo, reperies nullam eſſe. Cur ergo aliis, ſaltem pluribus Hiſtoriis Veteribus, fidem adſtruis, huic denegas? Et cùm proculdubiò antea credideris Evangelio (te enim alloquor, qui antea fuiſti Chriſtianus) quæ rogo Argumenta, fidem illam ſanctam eli- minârunt ex corde? Penetra rationes illas tuas, vel expone eas Viro ſolidè docto, & prudenti, futilesq; eſſe, haud dubiè reperies. Pro- indubitato habes, te eſſe legitimè natum: hunc vel illum eſſe legiti- mum ſucceſſorem hujus vel illius Principis, aut illuſtriſſimi: eum eſ- ſe Nobilem ejusq; Majores: & dubitas imò pernegas eſſe facta à Chriſto Domino miracula? cùm tamen incomparabiliter plura, & graviora, pro miraculis Chriſti (ut evidens eſt) quàm pro tua legi- timitate ortûs, vel Nobilitate horum aut illorum, ſint documenta. Addo. Quid ſi te, Athee, vellet quis exturbare de antiqua poſſeſſione bonorum tuorum, aſſerens hæc & illa bona, à te iniquè poſſideri. Nonne probares ea, jure à te poſſideri, exhibitis inſcriptionibus civi- libus, vel Caſtrenſibus Juribus, privilegiis, à Parentibus tibi traditis,

roboratisq; in Castro, vel Actis publicis? Quid si diceret Adversarius, Ea omnia cum sigillis esse falsa, conficta; nonne insanire illum crederes? Et cur falsitatis damnas Evangelia, historias omnes de miraculis Christi, & Sanctorum, quæ longè gravioribus documentis firmatæ sunt, esse veræ, quàm tuæ castrenses Antiquiores inscriptiones? Si Parentes tui indubitanter assererent tibi, se spectantibus hoc & illud miraculum esse patratum, non credo, discrederes. Et Viris innumeris gravissimis, pietate conspicuis, attestantibus, grandia miracula, se cernentibus esse facta, discredis? Certè convinceris, id facere solo DEI odio ac Religionis. Dixit Christus Dominus Joan: 15. *Si non fecissem in eis opera, quæ nemo alius, fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et Joan: 10. *Si mihi non vultis credere, Operibus credite.* Quam, quæso, Athee, habiturus es excusationem de peccato tuo gravissimo Atheismi, tot documentis lectis & auditis de Veritate miraculorum Christi, aliorumq; Sanctorum? si mihi non vis credere, ac toti Mundo, Operibus tantis crede.

Objectio in contra, solvitur.

Neq; obstat Veritati miraculorum Christi, aliorumq; Sanctorum, quòd confingantur quandoq; aliqua miracula. Quia nec obstat Veritati Historiarum plurimarum: nec veris gemmis, monetæ, adamantibus obest, quòd multæ relationes Historicæ, gemmæq;, adamantes ac moneta quandoq; fictitia & falsa sint.

Ipsa conversio Mundi, grande miraculum.

Quod si Atheus omnino adhuc obstinatè dissentiat Veritati Miraculorum, à Christo Domino, ejusq; Apostolis patratorum: tunc contra eum insurgo verbis, & Argumentô S. Thomæ Doctoris Angelici, Opusculo 6. in Expositione Symboli. [Constat, quòd totus „Mundus colebat idola, & fidem Christi persequebatur: sicut Paga„norum etiam Historiæ tradunt. Sed modò omnes conversi sunt ad „Christum, & Sapientes, & Nobiles, & Divites, & Potentes, & Ma„gni, ad prædicationem simplicium & pauperum & paucorū prædican„tium Christum. Aut ergo hoc miraculosè factum: aut non? Si mi„raculosè. Habes propositum. Si non. Dico, quòd non potuit esse „majus miraculum, quàm quòd Mundus totus sine miraculis conver„teretur.] Et lib: 1. contra Gentes, cap: 6. [Hæc tam mirabilis „Mundi conversio ad fidem Christianam, indicium certissimum est

præ

„præteritorum Signorum, ut ea ulterius iterari, non ſit neceſſe, cùm „in ſuo effectu appareant evidenter. Eſſet autem omnibus ſignis mi- „rabilius, ſi ad credendum tam ardua (*ut eſt Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c.*) & „operandum tam difficilia (*ut eſt: Diligite inimicos veſtros. Confite- mini alterutrum peccata veſtra: fugite fornicationem: nolite diligere* „*Mundum &c.*) & ad ſperandum tam alta (*ut Reſurrectionem Corpo-* „*rum: Viſionem Beatificam æternam, &c.*) Mundus abſq; mirabilibus „ſignis inductus fuiſſet à ſimplicibus & ignobilibus hominibus. J Hinc & illud Divi Auguſtini lib: 22do. de Civit. cap: 5. acutè dictum eſt. *Si per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, Reſurrectionem atq; Aſcen- ſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula* (quæ nempe leguntur in Actis Apoſtolorum patrata ab Apoſtolis) *facta eſſe, non credunt: hoc nobis unum grande Miraculum ſufficit, quòd ea terrarum Orbis, ſine ullis Miraculis credidit.* Et Sanctus Bernardus Sermone 3. in Vigilia Nativitatis Domini, aſſerit: Omni Miraculô mirabilius eſſe, quòd tam facilè, tam potenter perſuaſum ſit generi humano, terrarum Orbi univerſo, DEum Hominem, & Virginem manſiſſe, quæ peperit. Idem longè antè inculcaverat S. Paulus 1. ad Corinth. 1. inquiens: *Videte Fratres Vocationem veſtram, quia non multi ſapientes, ſecundùm carnem: non multi potentes, non multi Nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt Mun- di, elegit DEus, ut confundat fortia: & ignobilia Mundi & contemptibilia* (ſcilicet Apoſtolos) *elegit DEus, & ea, quæ non ſunt* (id eſt abjecta, quæ pro nihilo habentur) *ut ea, quæ ſunt* (id eſt ea, quæ habentur in pretio, puta: Sapientes & potentes Mundi) *deſtrueret.* Similia ha- bet 1. ad Corinth: 2. & 2. ad Corinth: 10.

Cenſeretur grande Miraculum, ſi ab inermibus paucis pueris, debellaretur Turcarum ingens Imperium: vel Arx munitiſſima, Mi- lite veterano abundans, ab iisdem inermibus per vim caperetur: vel ſi à duodecim vel centum manſuetis ovibus, innumeri ferociſſi- mi lupi ſuperarentur. Nonne majus miraculum reputandum? quòd Orbis, ferociſſimè antea, Chriſto ac Apoſtolis reſiſtens, ut ipſimet hoſtes teſtantur, (*de Secta hac* inquiunt, Actorum 28. v. 22. *notum eſt nobis, quia ei ubiq; contradicitur*) captivatus ſit in obſequium Chriſti ab inermibus, ignobilibus, paucis Diſcipulis Piſcatoribus, abſq; ullis huma-

humanis præsidiis, non peritis Grammaticæ, non ornatis Dialecticâ, prorsus nulla Eruditione & Eloquentiâ humana instructis, illisq;, quibus Christus dixerat: Ite, ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Eleganter S. Hypponensis Præsul, Conc: in Psal: 32, ait: [O Domine, quos mittis, vide quò mittis: Oves in medio luporum; unus lupus, si mittatur in medium innumerabilium Ovium, quis ei resistit? Mittis infirmos inter sævos- Facta sunt hæc, missi sunt Apostoli, pertulerunt pressuras, ex illis Ovibus missis in medio luporum, & memorias Martyrum celebramus. Locus iste, quando Beati Martyris Corpus percussum est, lupis plenus erat, vicit tot lupos una ovis capta, & implevit locum Ovibus, ovis occisa.] Hinc meritò exclamat S. Chrysostomus: [O miraculum! Servi vincti sunt, Dominus crucifixus, & prædicatio quotidie crescit, & per quæ videbatur opera prohiberi, per hæc, accensa est.] Omnis Sapientia Philosophorum antiquorum, non potuit Mundo persuadere Unitatem & Omnipotentiam DEI, quæ sunt facillima: & en insipientia piscatorum, persuasit difficillima.

3tum Argumentum.

3tum. Ex prædictionibus contingẽtium futurorum.

SI futura contingentia sunt certò prædicta longè antè, datur Deus. Sed futura contingentia, sunt longè antè certò prædicta. Ergo datur Deus. Consequentia est evidens. Minoris certitudo constat ex dictis suprà in Tractatu 2do, cap: 13tio. sub Propositione 2da. Major est clara: quia contingentia nullus homo naturaliter prædicere potest: ut demonstratum est locô citatô, sub Propositione 1ma. Multò minùs Prædictio ejusmodi convenit creaturis homine inferioribus; ut per se patet.

Neq; dicas, posse futura contingentia naturaliter prædici ab Angelis. Contra enim est. Tum quia Atheus, sic respondere nequit, utpote negans dari Angelos. Tum quia sine ullo fundamento tribuitur iis tanta perfectio naturalis. Tum quia illi ipsi Sancti Prophetæ, qui prænuntiabant, futura, soli DEO attribuebant hanc vim: Unde passim præmittere solebant suis Prophetiis: *Hæc dicit Dominus.* Dicitur item Danielis 13tio. *DEUS æterne, qui absconditorum es cognitor,*

qui

qui nôsti omnia, antequam fiant. Psal: 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe. Tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Isaiæ 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.*

Consonant Patres. Tertullianus lib: 2do. contra Marcionem, cap: 5. *Præscientia DEI, tot habet testes, quot fecit Prophetas.* S. Augustinus lib: 5. de Civit: cap. 9. *Confiteri DEum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Comprobant id ipsum etiam Gentiles sapientiores. Ex pluribus audiatur Jamblicus, inter Academicos, cognomento, Divinus, & sacerdos Magnus (teste Cælio Rhodigino in Exordio librorum) is lib: de Mysteriis, §. 25to ait: *Quòd autem ex nulla virtute corporea, vel animali propria, vel locorum, instrumentorumq́; Vaticinium fiat, sed ex præsentia DEI venientis extrinsecus, patet.* Proinde definiri Prophetia solet, ita: Est Divina inspiratio, vel revelatio futurorum contingentium eventus, certâ & immobili veritate prævidens, & prænuntians. Non diffiteor tamen, Apparitiones ac Revelationes exhibitas Prophetis Veteris Testamenti, factas esse â DEO per Angelos, tanquam Spiritus Administratorios, qui in Corporibus assumptis, Personam DEI gerebant, ideoq́; ampliativè vocantur quandoq́;, Deus. Sic ille, qui Principi Prophetarum, Moysi, in Rubo apparuit, fuit Angelus, teste S. Stephano, Actorum 7. v. 30. Item Legem in Sina accepit Moyses per Angelum: ut testatur Apostolus ad Galat: 3. v. 9.

Quid Prophetia?

36tum Argumentum.

36tum. Ex Visionibus, Revelationib9, apparitionibus.

VIsiones, Revelationes, Apparitiones fuerunt, quarum Causa Principalis erat DEus Ter Optimus, immediatè vel mediatè per Angelos. Ergo datur.

Antecedens probatur *imò* Ex Scriptura sacra, cui, ut probatum est suprà in Tractatu 2do, Cap: 3. major fides in omnibus adhibenda est ab infideli etiam quocunq́; prudenti, quàm adhibeatur ab illo Historicis veteribus, vel alicui homini fide dignissimo in iis rebus, de quarum falsitate ei aliunde non constat.

Præter Visiones Patribus Veteris Testamenti factas (quas consultò prætereo, ne fusior sim) innuo solùm aliquas, in Novo Testamento

mento descriptas. Dum baptizatus est Christus, Matth: 16. *Aperti sunt Cæli & vidit* (scilicet Christus: non dubium, quin & ipse Joannes id ipsum viderit, ac cæteri qui aderant) *Spiritum DEI descendentem, sicut Columbam, & venientem super se.* Petrus, Joannes, & Jacobus, Matth: 17. in Monte Thabor, viderunt stupendam transfigurationem Christi, apparueruntq; Moyses & Elias. Actorum 7. Sanctus Stephanus intendens in Cælum, vidit gloriam DEI (id est, vel DEI Essentiam: ut vult S. Augustinus, S. Gregorius Nyssenus, & alii. Vel vidit Deitatem & Trinitatem per schema quoddam Corporeum, ut etiam antea Isaias cap: 6to. Vel Claritatem quandam Corporalem eximiam, præseferentem DEI Præsentiam) & Filium hominis stantem à dextris DEI. Actorum 17. S. Petrus ter in ecstasi vidit vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de Cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & volatilia Cæli. Ter audivit: *Occide & manduca:* ter respondit: *Nunquam manducavi omne commune & immundum.* Ter iterum audivit: *quod DEus purificavit, tu commune ne dixeris.* Actorum 12. eidem S. Petro incarcerato ab Herode, adstitit Angelus (probabiliter Sanctus Michaël) eduxitq; eum de carcere.

S. Paulus multas & eximias habuit Revelationes ac Visiones. Earum quinq;, Divus Lucas in Actibus Apostolorum, cap: 9. 16. 18. 22. & 27. recenset. 1mam, quâ conversus est. 2dam, quâ vocatus est in Macedoniam: nam *Visio Paulo per noctem ostensa est: Vir Macedo quidam stans & deprecans eum, & dicens: transiens in Macedoniam, adjuva nos.* Tertia fuit, quando *dixit Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod, Ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac Civitate,* videlicet Corinthi. 4ta, quâ ad Gentes missus est. Factus enim in stupore mentis, dixit ad eum Dominus: *Vade, quoniam Ego in Nationes longè mittam te.* 5ta, quâ didicit, se naufragium cùm suis evasurum: *Adstitit enim mibi* (inquit Paulus) *hac nocte Angelus DEI,-- dicens: ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donavit tibi DEus omnes, qui navigant tecum.* Eximia item Visio Sancti Pauli, dum raptus usq; ad 3tium Cælum, vidit Divinam Essentiam: ut docet Clemens, S. Augustinus, S. Thomas, S. Anselmus, aliiq;. Vidit

& gloriam Christi, Paradisi pulchritudinem, Angelorum ordines, gloriam: audivit arcana de modo, ordine reprobationis ac prædestinationis, vocationisq; hominum: maximè Gentium & Provinciarum per se convertendarum: arcana de regimine & successione Ecclesiæ præsentis & futuræ: item de Christi Redemptoris ac Evangelii Mysteriis. S. Joannis Apocalypsis, est Liber plenus Revelationibus, Visionibus. Porro certum est, harum Visionum, Principalem fuisse, Causam, Deum: ut constat: Tum ex dictis suprà, ubi de Prophetiis. Tum quia prædicti effectus excedunt vires non tantùm Entium non Intellectivorum, verùm etiam hominis: ut clarum. Tum quia illi ipsi, qui eas visiones habuerunt, tribuebant illas Deo principaliter.

Probatur 2do illud Antecedens Inductione innumerarum Historiarum, à fide dignissimis conscriptarum. Ex innumeris has accipe: S. Antonius (ut refert Divus Athanasius in ejus vita) vidit totum Mundum ad Cælum usq;, plenum laqueis Dæmonum: & cùm anxius rogaret: *quis hos laqueos evadet?* audivit: *Humilitas.* S Petro Episcopo Alexandriæ, noctu apparuit Christus veste discissâ, causamq; rei sciscitanti, dixit: *Arius, vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.* Constantinus Magnus contra Maxentium, præliô dimicaturus, vidit signum Crucis in Cælo, illiq; adscriptum: *In hoc vince.* ut refert Eusebius lib: 1. cap: 20. & 22. in vita Constantini, & alii. Idem Constantinus contra Bizantinos dimicans, vidit iterum Crucem, stellis sicut antè effigiatam, eiq; inscriptum: *In hoc ipso Signo, omnes hostes vinces.* Ut præter alios scribit Nicephorus lib: 7. Histor. cap: 47mo. S. Monica orans pro Filio suo Augustino, pro tunc Manichæo, vidit Angelum sibi dicentem: Ubi tu es, ibi & ille. Significans eum fore Catholicum: cumq; Augustinus hoc audiens, eluderet, diceretq;: Hoc viso portendi, illam forè, quandoq; talem, qualis ipse erat, scilicet, Manichæam: subjecit illa: *Non,* (inquit) *non enim mihi dictum est: ubi ille, ibi & tu: sed ubi tu, ibi & ille.* ut refert ipsemet Divus Augustinus lib: 3. Conf: cap: 11. Anno 1611. in amplissimi Imperii Sinensis Provincia, quæ dicitur, Chekiamensis, Mandarinus ex iis, qui militiam sequuntur, ita vixerat media inter arma, ut vitia militum vel ignoraret, vel fugeret; is ad nominis Christiani mentionem cohorrescebat, novitatis metu. Non semel is de Religione à Man-

darino Christiano interpellatus, nunquam adduci potuerat, illi ut assentiretur. Saltem, inquit Christianus, hoc amico roganti non negabis, ut à vero DEo supplex petas, ne te diutius errare patiatur, hoc si facis, molestus esse desinam: verbum à me de religione nullum post hac audies. Fecit: & Aræ domesticæ duas imposuit schedas: in altera, veri DEI nomen, quem Sinæ, Dominum cæli, vocant; in altera, nomen idoli sui scripserat. Tum suppliciter genu positô procumbens, & pronô vertice humum sæpè feriens: Uter vestrûm, inquit, Verus DEus sit, me latet: ille se mihi, oro, atq; obtestor, indicet, atq; errore me solvat. Vix ea prolocutus, videt schedam, veri DEI nomine notatam, ab ara, suum in sinum devolare. Attonitus, illam reponit: iterum ac 3tiò revolat, alterâ penitus immotâ. Surgit, & hinc lætitiâ, inde sancto furore incensus, idoli simulacrum dejicit, & in frusta comminuit: mox veri Numinis ac religionis Charactere insignitus, Felicis nomen auspicatum, sortitus est. Ita refert insignis Historicus P. Josephus Juvencius lib: 19. Partis 5tæ Historiæ Societatis JEsu, num: 30.

Omitto admirandas Scrutationes cordis alieni, multoties factas, quarum certè principalis Causa non potuit esse alius præter DEum. Omitto confugientium ad DEum preces, & vota sæpissimè exaudita, mirabiliterq; ad effectum deducta.

37mum Argumentum.

37mum. Ex admirandis somniis & Inspirationibus

FUerunt Somnia & Inspirationes ejusmodi, ut eorum causa principalis nequeat assignari alia, nisi DEus Ter Optimus. Ergo existit. Antecedens probatur ex Scriptura, enumeratione talium somniorum, quæ diversi habuerunt. Genesis 37mo. Joseph de suo manipulo consurgente, & à manipulis fratrum, adorato: item de sole, luna & stellis undecim, adorantibus se. Genesis 40. Pincerna Regis Ægypti & Pistor, positi in eodem carcere cum Joseph. Genesis 41. Pharao de septem bobus crassis, devoratis ab aliis 7. bobus macilentis: nec non de septem spicis plenis & formosis, devoratis à totidem spicis tenuibus. Judicum 7. Miles in Castris Madian, de subcinericio pane, subvertente tabernaculum. Danielis 4to. Nabucho-

donoſor de Statua aurea & arbore forti ac magna, ſuccidenda. 2do Machab: 15. Judas Machabæus de Oratione Oniæ & Jeremiæ. ac de victoria ex Nicanore

Horum & ſimilium ſomniorum, quòd Cauſa principalis, fuerit DEus: conſtat ex dictis ſuprà de Cauſa principali Viſionum; item conſtat ex ipſa Scriptura; dicitur enim Job 33tio. Per ſomnium in Viſione nocturna-- aperit DEus aures Virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplinâ. Et Numer: 12mo. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in Viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.

Confirmatur. Conſtanti Imperatori Theodoſius Frater ab eo interemptus, ſæpè per quietem viſus eſt habitu Diaconi, Calicem Sangvine plenum porrigens, & dicens: Bibe Frater: ac ſi diceret inebriare Fraterno ſanguine, quem ſitiſti. Sanctus Xaverius Indiarum Apoſtolus, longè, antequam deſtinaretur in Indias, videre ſibi viſus eſt, Indum flebili prece, palmisq; ſupplicibus à ſe auxilium poſtulantem. Aliàs verò Æthiopem, humeris ſuis gravi mole incumbentem, quem toto conatu ex loco periculoſo ad tutiora, velut naufragiô ereptum, ad portum transportaret.

Alia exempla non abſimilia paſſim reperies apud graves Auctores. Imò & ego novi virum quendam Religioſum, annis pluri mis Scientiarum altiorum, publicum olim Profeſſorem, adhuc dum hæc ſcribo, ſuperſtitem, qui Veritatem Argumenti hujus 37mi, quin & immediatè ſuperioris 36ti, per ſuammet experientiam, ab omni etiam umbra mendacii, vel falſitatis longè alienam comprobare liquidò poſſet.

38vum Argumentum.

38vum. Ex occultorum ſcelerum & innocentiæ admi-

SÆpè occultorum Scelerum, nec non & Innocentiæ, ſtupenda manifeſtatio facta eſt, non ſine Providentia alicujus Entis ſummè potentis, ſapientis, & boni, ſeu DEI Optimi. Ergo datur.

Antecedens Probatur *imò* ex Scriptura ſacra. In Veteri Lege, potu ſumptô aquæ maledictæ, intumeſcebat venter, femur putreſcebat, uterusq; rumpebatur fœminæ, ſi fuit adulterii rea: ſecus factum,

randa manifestatione.

ctum, si innocens: ut constat ex libro Numer: cap: 5. Unde olim apud Judæos, miraculô continuô explorabatur scelus adulterii occulti. Per Nathan Prophetam, manifestum est crimen adulterii & homicidii à Davide clam patratum: & per eundem Nathan, gravissimæ pœnæ infligendæ Davidi, ex vero prædictæ sunt: ut legitur 2do Regum 11. & 12. &c. Josephi, Moysis, Susannæ, Danielis, Ananiæ, Misàëlis, & Azariæ, aliorumq; plurimorum Innocentia, quàm admirandè manifestata!

Probatur 2dò Historiis aliunde desumptis: aliquas innuo. Anno 1585. in agro Viennensi, Nobilis Austriacus, dum venatur, canes ipsius, ossa candida eruunt, dumq; illa defert ad Cultrarium, manant sanguine: fatetur is ante viginti annos ibi à se peremptum suæ peregrinationis comitem, judicio se ultrò sistit, & pœnam scelerum petit. Ut scribit Laurentius Beyerlinck ad annum 1585. Lucernæ, in Helvetia, Seniculo ante ædes sedenti defert molossus cranium calvum, & in sinum ejus reponit: fatetur miser, ante triginta annos, Studiosum à se interfectum ob pecuniam: & solùm tres crucigeros reperisse, sicq; reus, capite truncatus est. Ut refert Pater Stengelius lib: 4to. de Judic: Divin: cap: 52. Idem Auctor ibidem habet hæc: Viator quidam in itinere interfectus, cùm de interfectore non constaret, manus resecta ejus, & in carcere Senatûs Licenhonensis è tigno in fumo suspensa, ibi exaruit: post decennium venit in illam domum auctor necis, manus arefacta stillat sanguinem, comprehensus, crimen fassus, debitam sceleri pœnam tulit.

Infantes contestati sunt innocentiam S. Brixii, Episcopi Turonensis; item Broonis Episcopi: imò quandoq; & ipsi mortui eam propalârunt: ut Piotrovinus, Sancti Stanislai Episcopi Cracoviensis: Irene, Spiridionis: puer occisus, innocentiam falsò accusati Parentis S. Antonii Paduani: nec non Danielis Abbatis. S. Elisabetha Regina Lusitaniæ, cùm falsò esset delata ad Regem Dionysium, quòd pedissequum quendam adamaret, Rex credulus pedissequum destinaverat incendio, ut in fornacem, calce ardentem, projiceretur: verùm DEO ordinante factum, ut solus accusator iniquus, in illam injiceretur: adhuc fornax illa calcaria, hucusq; in rei memoriam conservatur. Vide Cornelium à Lapide in Danielis Caput 13tium. S. Cunegundis Hen-

Henrici Imperatoris Conſors, adulterii falsò inſimulata, nudis plantis per candens ferrum illæſa, inceſſit. Alia itidem Mulier ſic accuſata, ſed & damnata, non potuit à carnifice interfici, licèt ſepties gladiô icta: Ut teſtatur S. Hieronymus in Epiſtola ad Innocentium. Nec Civis quidam Montis Politiani, mori potuit, donec palam confeſſus eſt, ſe habitu hominis Jeſuitæ ementitô, infamiam Patribus Societatis conflâſſe. Vide P. Tannerum in Vita Patris Franciſci Stradæ. Innotuit item Innocentia per mortem repentinam iniquorum Judicum, præſertim, ſi Innocui eos citârunt ad Tribunal DEI. Experti id ſunt Ferdinandus, Legionis & Caſtellæ; Philippus Pulcher, Franciæ Reges, Rudolphus Auſtriæ: Franciſcus, Armoricæ, Duces. Non multùm abſimile contigit Judicibus Granatæ Civitatis: ut habetur in Vita P. Alphonſi de Avila apud Tannerum.

39num Argumentum.

39num. Ex Talionis pœna mirabiliter irrogata.

TAlionis pœna ſæpè inflicta eſt non ſine Providentia Numinis. E. &c. Probatur id ipſum *imò* ex Scriptura. Fratres, qui Joſephum inſontem carcere & captivitate afflixerant, ipſi etiam inſontes ſimili pœnâ, à Joſepho puniuntur. Geneſis 42. Pharaô, qui juſſerat, infantes Hebræorum ſubmergi; ipſemet cum toto exercitu ſuo demerſus. Filii Iſrâël, Duce Judâ & Simeone, perſecuti comprehenderunt Adonibezec, cæſis ſummitatibus manuum ejus ac pedum: dixitq; Adonibezec; *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi DEus.* Judicum 1. David violavit torum alterius; ipſius quoq; Uxores in oculis totius populi, à Filio ejus Abſalone, conſtupratæ ſunt. 2do Regum 16to. Abſalon, Fratrem ſuum Amnonem, ferrô trucidavit: ipſe quoq; à Conſobrino Joabo interemptus. 2do Regum 13tio, & 18vo. Abner in inguine percuſſit Aſâëlem: ipſe itidem à Joabo perfoſſus, interiit. 2do Regum 2do, & 3tio. Abimelech ſuper lapidem unum, ſexaginta octo fratres ſecuri percuſſit, occiſus & ipſe lapide à muliere. Judicum 9no. Achab juſſit Uvas ex Vinea occiſi Naboth ſibi deferri in cophinis: filiorum etiam ipſius, Septuaginta capita in cophinis allata ſunt ad Jehu. 2do Regum 12mo,

& 4to

& 4to Regum 10mo. Aman suspensus in eadem trabe, in qua voluit, ut appenderetur Mardochæus. Pœnam talionis passi sunt accusatores Danielis, &c.

2do Probatur variis aliunde Historiis. Pœna talionis, mirabiliter inflicta est Herodiadis filiæ saltatrici Baptisticidæ: audi Nicephorum lib: 1. cap: 20mo. Eundum illi saltatrici quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus, qui cùm glacie constrictus, coagmentatusq; esset, pedes eum transibat: glacie autem ruptâ, idq; non sine DEI Numine, demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciviens, molliusq; se movens, saltat non in terra, sed in undis; caput verò scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferrô, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem letalem exhibet, spectaculôq; ejus omnibus præbitô, in memoriam, ea, quæ fecerat, spectantibus revocat. Hæc Nicephorus. Non absimilia scribit L. Dexter in Chron: ad Annum Christi 34, dicitq; fluvium illum, fuisse flumen Ilerdæ, dictum, Sicorin.

Memorabilia item exempla aliquot, quibus comprobatur non sine Providentia Numinis, infligi pœnam Talionis, sceleraq; occulta manifestari, continet nota illa Historia de S. Ephrem incarcerato, & aliis in eodem carcere positis. Historiam hanc describit ipsemet S. Ephrem, partim in Confessione sua, partim in narratione suæ conversionis: refert eam etiam ex illo Cornelius à Lapide in Caput 42. Genesis.

Porro, effectus recensitos & similes, non esse factos sine Providentia Numinis, constat: Tum quia multi ex illis effectibus, excedunt vires ordinarias naturæ creatæ. Tum quia ordinariè illi ipsi, quibus contigerunt prædicti effectus, attribuerunt eos DEo vindicanti innocentiam, & punienti scelera. Tum quia, quod frequenter fit, non fit à casu: jam verò sæpè manifestata sunt occulta scelera, Innocentia patefacta, pœna talionis inflicta; ut constat innumeris exemplis. Ergo id casu factum non est, sed Providentiâ alicujus Entis summè potentis, intellectivi & boni, quod Ens, est DEUS.

40mum Argumentum.

40mum. Ex admiranda punitione blasphemiæ, perjurij, Sacrilegii.

BLasphemis, Perjuris, Sacrilegis, admiranda sæpè inflicta sunt supplicia, quorum inflictio non potest refundi, nisi in Ens aliquod intellectivum summæ potentiæ, seu in Deum.

Exemplis variis comprobatur hæc inflictio.

Blasphemorũ pœna mirabilis comprobatur exemplis, desumptis ex Scriptura sacra.

Rex Ægypti Pharao, dictus Chencres: ut vult Eusebius & S. Hieronymus in suis Chronicis (Pharaonis enim Nomen, in Ægypto, omnium tunc Regum fuit: Ut ait Divus Augustinus lib: 16. de Civit cap: 43. istoq; vocabulo, à Pharo Insula, è Regione Alexandriæ posita, demonstratur Regia dignitas, inquit S. Hieronymus lib· 9. in Ezech: cap: 29. *Sicut apud Romanos, Cæsares appellantur à primo Cajo Cæsare- & apud Syros, Antiochi- apud Philisthiim, Abimelech- & post Alexandrum, in Ægypto, Ptolomæi usq; ad Cleopatram.*) Hic inquam Chencres, ausus dicere Exodi 5. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Brevi postea, Regni sui Anno decimo septimo, submersus in mari rubro cum toto suo exercitu, qui juxta calculum Josephi, tunc continebat quinquaginta millia Equitum, & ducenta millia peditum, præter sexcentos currus falcatos, seu falcibus, undiq; armatos. Factum id juxta Chronologiam Saliani, Anno Mundi 2544. Ante Christum 1509.

Quarto ferè Anno exitûs ab Ægypto, primarii Viri de Tribu Ruben, Dathan & Abiron fratres, & Core Fratruelis Moysis & Aaronis, propter blasphemiam absorpti sunt à terra. Sic enim legigitur Numer: 16. *Quòd blasphemaverint Dominum, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum, descenderuntq; vivi in infernum, operti humô.* Et Numer: 26. *Aperiens terra os suum, devoravit Core.*

Sennacherib Rex Assyriorum, propter blasphemiam suam in DEum viventem, 185000 suorum armatorum perdidit: hos enim unâ nocte interfecit Angelus Domini· Ut legitur 4. Reg: 19. & Isaiæ 37. ipse verò Rex, ut diutiùs ex clade suorum cruciaretur, illæsus quidem tunc ab Angelo, sed post quadraginta quinq; ferè dies, crudeliori fatô occubuit; reversus enim ex Judæa in suam Civitatem Niniven,

niven, cùm adoraret in templo suum Idolum Nesroch, à Filiis suis, dictis Adramelech, & Salasar, interemptus est. Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

Holofernes, cùm dixisset ad Achior, Judith 6to: *Ostendam tibi, quòd non est Deus, nisi Nabuchodonosor:* dextrâ foeminæ interfectus, ac hostium sannis expositus, ejusq; exercitus, magna ex parte deletus. Factum id juxta Salianum, Anno Mundi 3346. Ante Christum 707.

Nabuchodonosor Magnus Monarcha Asiæ, debellator Ægypti, eversorq; Jerosolymæ, qui blasphemo ore ausus erat dicere pueris, igni injiciendis, Danielis 3tio. *Quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Insuper postea, sibi soli, cum DEi contemptu tribuerat (Danielis 4to) restaurationem Babylonis, inquiens: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi* (eam primò Nemrod, sive Belus, Pater Nini condiderat: Semiramis, uxor Nini auxerat: postea eversam, magnificentissimè reparaverat Nabuchodonosor) *in Domum Regni, in robore* (independente ab ullo alio) *fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Hic inquam Nabuchodonosor, mutatus in bovem agrestem, mentis & linguæ humanæ usu destitutus, mugiebat ut bos, foenum quasi bos comedit (*ut disceret,* ait S. Chrysostomus in Psal: 13. *bovem, suum cognovisse Creatorem, quem ipse negaverat*) & cum bestiis & feris extra consortium hominum per septennium vixit: Regnum interim administrante Evilmerodacho, ejus filio. De Nabuchodonosore, divinitus, furore, correpto, refert etiam ex Megastene, Alphæus Scriptor Ethnicus apud Eusebium lib: 9. de Præparat: Evang: cap: 4. Postea tamen ex speciali DEi misericordia, expletô poenitentiæ septenniô, Sanitatem, Regnumq; recuperavit, ad DEUM Verum conversus, breviq; post sui conversionem, è vita discessit, Anno Mundi 3473. ante Christum 580, & salvatus: ut communior fert Sententia Patrum, scilicet, Tertulliani lib: de poenitentia. S. Augustini, Epistola 122. S. Ambrosii, S. Epiphanii, Dorothei; & aliorum Scriptorum, ut Josephi, Saliani, &c.

In lib: 2. Machabæorum cap: 5. leguntur hæc: *Nicanor ut comperit Judam* (Machabæum) *esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu, die Sabbati committere bellum; Judæis verò, qui illum per necessita-*

ſitatem ſequebantur, dicentibus; ne ita ferociter, & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei Sanctificationis, & honora Eum, qui univerſa conſpicit: ille infelix interrogavit: ſi eſt potens in cælo, qui imperavit agi diem Sabbatorum? & reſpondentibus illis. Eſt Dominus vivus ipſe in cælo potens, qui juſſit agi ſeptimam diem. At ille ait: Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia Regis (nempe Demetrii Regis Syriæ) *impleri.* Ob hanc blaſphemiam, licèt ingentem & fortiſſimum haberet exercitum, à paucis Judæorum, cæſa 35000 ſuorum armatorum, & ipſe Nicanor interfectus, cujus caput cum humero abſciſſum, Jeroſolymam perlatum eſt; linguam etiam blaſphemi præciſam, imperavit Judas, particulatim conciſam, avibus dari, manum autem dementis, contra templum ſuſpendi. Factum id Anno Mundi 3893. ante Chriſtum 160.

Antiochus (à rerum magnarum molitione, potiùs, quàm effectione, dictus Epiphanes; id eſt, Illuſtris: quem tamen meritò, hiſtoricus Polybius, Epimanem, id eſt Furibundum, & mente captum appellat) hic, inquam, Antiochus Rex Aſiæ, Deum ſe terreſtrem eſſe putans, ob blaſphemiam percuſſus à DEo, inſanabili & inviſibili plagâ: apprehendit enim eum (ut habetur in lib: 2. Machabæorũ cap.9) dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta, ſuper hoc, contigit, illum de curru cadere, & de impii corpore vermes ſcaturiebant, ac viventis in doloribus carnes ejus effluebant: ſicq; inter ſummos dolores, & fætores, peregrè in montibus, miſerabili obitu, vitâ functus eſt. Anno ante Chriſtum 162.

Herodes Agrippa Senior, Filius Ariſtobuli filii Herodis Aſcalonitæ Infanticidæ, dum Cæſareæ in theatro pro Tribunali ſederet, coronam in capite, & ſceptrum ſupra modum ſplendidâ geſtans manu, veſtitus Regiâ veſte, totâ ex argento, mirabili opere contextâ, quæ radiis ſolis percuſſâ, mirandum fulgorem emittebat, ſicq; ornatus peroraret ad populum, qui acclamabat: *DEI voces & non hominis.* Quia in hac blaſphema acclamatione, ſibi complacuit eiq; tacitè aſſenſus: confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, & conſumptus à vermibus, pediculis, è corpore toto putrido ac fætido ebullientibus, obiit. Ut legitur in Actibus Apoſtolorum, cap: 12mo: & apud Joſephum Judæum lib: 19: Antiquitatum cap: 8, is tamen parum fide-

liter hanc historiam describit, nolens offensum sibi reddere Regem Herodem Agrippam Juniorem, Senioris Agrippæ filium, cui dedicaverat Libros suos Antiquitatum.

Sanctus Paulus 1. ad Timoth: 1, blasphemos tradidit Satanæ.

Hæc Exempla desumpta sunt ex Scriptura sacra: aliunde verò innumera ferè desumi possunt, idem comprobantia. Innuo aliqua.

Item Ex varijs Historicis.

Alexander Magnus Dariô devictô, felicitate ebrius, dum cœpit sibi videri Deus, & eo nomine datis ad Græciæ Civitates literis, dum satis ridiculè institit petere, Decretô publicitus ipsum statuerent Deum (ut refert Cælius Rhodiginus, Lectionum antiquarum lib: 21. cap: 35to) brevi pòst miserè interiit, ætatis suæ Annô 33tiô necdum expletô: Ante Christum trecentesimô vigesimô tertiô.

Julianus Apostata, Draco ille, multam iniquitatem, in Excelsum locutus, in prælio cum Persis, à manu invisibili, letale certè Orbiq; Universo salutare vulnus accepit: ut loquitur S. Nazianzenus Orat: 2. in Julianum. Ferunt porro ipsum Tyrannum, simul ac plagam acceperat, manum protinus Sanguine implevisse, illumq; projecisse sursum in aërem ac dixisse: *Vicisti Galilæe*, ut scribit Theodoretus lib: 3. cap: 20mo. Vel ut tradit Nicephorus lib: 10. cap: 34to, exclamâsse: *Saturare Nazarene*. sicq; rabie contra suum Conditorem furens, animam evomuit, Annô ætatis 31mô, Imperii sui Annô secundô necdum expletô.

Nestorio blasphemo, lingua viventi computruit: ut scribit Nicephorus lib: 14. cap: 26. Evagrius lib: 1. cap: 8. aliiq;. Impio autem Ario effusa sunt viscera: ut testatur S. Athanasius ad Serapionem. S. Nazianzenus, S. Ambrosius, & alii. Lucianus, Numinis Contemptor, dictus blasphemus, homo fædissimus, Eloquentiæ multæ, ast sapientiæ minimæ: ut dicit Rhodiginus lib: 9. cap: 19, à canibus discerptus est. Acrotheitæ, seu Thöes, irrisores Numinis, ob impietatem illam, subitò à terra, universi absorpti sunt: ut scribit Porphirius lib: 2. de Abstinentia, & alii. imò testatur Simplicius, Scriptor Ethnicus in suo libro Enchirid: cap: 38. omnes Atheos (hi porro sunt maximè blasphemi) miserrimâ morte obiisse. Et Zeno Genti-

lis

lis item Philoſophus, miſerrimo Atheorum exitu, probat eſſe Deum.

Simon Turvajus, Anglus, altiorum Scientiarum, Pariſiis Profeſſor magni nominis; poſtquam impudenti ore dixiſſet: ô Jeſule, Jeſule, quantum in hac quæſtione (nempe de Sanctiſſima Trinitate & Myſterio Incarnationis) confirmavi legem tuam, & exaltavi te: profectò ſi malignando & adverſando vellem, fortioribus Argumentis & Rationibus ſcirem illam infirmare. Vix hanc blaſphemiam finiverat, penitus elinguis obmutuit & quamvis ei pòſt, redditus linguæ uſus, tamen ita oblivione rerum omnium ſubitâ percuſſus fuit, ut vix intra biennium, Orationem Dominicam, Symbolumq; Apoſtolorum memoriter diſcere, ac balbutiendo recitare potuerit: ut ſcribit Matthæus Paris, aut veriùs, Pariſienſis, Hiſtoricus celebris, qui hoc ipſum audivit ab Epiſcopo Dunelmenſi: hic verò Epiſcopus vidit illum Simonem, literas à filio proprio doceri. Contigêre hæc, circa Annum 1221. ut habet Spondanus in Annalibus Eccleſiaſticis, & alibi.

Beatus Petrus Damiani, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, lib:2. Epiſt: 15. ad Deſiderium Abbatem, (in alia editione Epiſt: 36.) Quidam (ait) Clericus audax & bellicoſus, ſuo faſtu & armis, magnus evaſit, ideoq; de prædiis quibuſdam litem habuit cum alio Viro potente, quam prælio decidere ſtatuit. Utrinq; ergo cohortes in aciem educuntur: Clericus, ante prælium adiens templum, audienſq; Miſſam, cùm legeretur: Qui ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur, inſolenter dixit, imò blaſphemavit. Hæc ſententia, falſa eſt in me: ſi ego enim me humiliâſſem, nunquam tam magnus evaſiſſem; mox initô præliô, cùm equus ejus ſitibundus ad aquam vicinam, ipſo invitô procurreret, ipſeq; ſcutum in equum impingeret, ut illum in aciem revocaret: ecce tibi gladius hoſtilis, os ejus blaſphemum, fulminis more transfixit, eumq; occidit, ut ſuperbum humiliaret, ac ſterneret, veramq; Chriſti eſſe ſententiam, demonſtraret.

Olympius, Epiſcopus Arianus, adversùs Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemus, tribus jaculis, tanquam fulminibus ictus, occubuit, Anno 510. ut refert Paulus Diaconus lib: 15. in Anaſtaſio.

Amulius, ideo ſe pro Deo vendere auſus eſt, quòd machinis quibuſdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referret, ac fulmina

jacularetur. Sed Deo puniente blasphemos ausus, inundatione paludis, ad quam inhabitabat, periit, unà cum Regia demersus: teste Zonarâ, tomo 2do ferè in principio.

Anastasius Imperator, factus Atheus, post horrenda præsagia, vidit quendam sibi dicentem: Ecce Imperator, ob perversitatem fidei tuæ, 14. annos vitæ tuæ deleo, brevi pòst, misera morte obiit. Ut refert Paulus Diaconus lib: 15to, & alii.

S. Gregorius Magnus lib: 4. Dialog: cap: 18. hæc habet: [Quidam Vir, cunctis in hac Urbe notissimus, ante triennium habuit filium, annorum, sicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens, remissè nutriebat, atq; idem parvulus, quod dictu grave est, mox ut ejus animo aliquid obstitisset, Majestatem DEI blasphemare consueverat: qui in hac, ante triennium, mortalitate percussus venit ad mortem: cùmq; eum suus Pater in sinu teneret, sicut hi testati sunt, qui præsentes fuerunt, ad se venisse spiritus trementibus oculis puer aspiciens, cœpit clamare: Obsta Pater, Obsta Pater: qui clamans declinavit faciem, ut se ab eis in sinu Patris absconderet, quem cùm ille trementem requireret. Quid videret? Puer adjunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt: qui cùm hoc dixisset, Majestatis nomen protinus blasphemavit, & animam reddidit. Ut enim Omnipotens DEus, ostenderet, pro quo reatu talibus fuisset traditus executoribus, unde viventem Pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare; ut qui diu, per Divinitatis Patientiam, blasphemus vixerat, quandoq; per Divinitatis judicium blasphemaret, & moreretur: quatenus reatum suum, Pater ejus agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset.] Hucusq; S. Gregorius.

Perjurorum punitorum referuntur exempla. Ex Scriptura sa-

Perjuria, quàm graviter & mirabiliter punita, lege.

Propter perjurium Saulis, quô contra fidem datam à Josue, occidit Gabaonitas, fame triennali punitus est Isràël: unde eis traditi sunt posteri Saulis, qui ab eis crucifixi sunt, & lues cessavit. 2. Reg: 21mo. Item ob perjurium Sedeciæ Regis, Jerusalem, totaq; Judæa eversa est.. 4to Reg: 24. & 25to, & Ezechielis 17. à versu 13tio.

Sanctus Augustinus Epistola 137. ait: Novimus Mediolani apud memo-

memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere. Romæ item antè Corpora Sanctorum Processi & Martiniani, pejerantes, à Dæmone possideri, permisit DEus. Ut testatur S. Gregorius Magnus Homiliâ 32dâ Evang. Tres falsi testes (ut refert Eusebius Cæsariensis Episcopus, lib: 6to. Historiæ Ecclesiasticæ, cap: 8vo.) sub sacramento juramenti, insimulârunt criminis, Narcissum Jerosolymorum Episcopum, quorum unus testis: ita non igni consumeretur, vera se dicere testabatur. Alius: ita ne regiô morbô corrumperetur. Tertius, ita ne luminibus orbaretur. At non ille Magnus Divinæ Providentiæ Oculus quiescit in longum, sed in Impios ultionem per ea ipsa, quæ sibi in perjuriis statuerant maledicta, molitur. Primus namq; ille testis, parvâ ignis scintillâ, noctis tempore domo suâ succensâ, cum omni genere suo, omniq; familia, flammis ultricibus conflagravit. Alius, repente ab imis pedibus usq; ad summum capitis verticem, morbô regiô, quem fuerat sibi imprecatus, repletur, atq; consumitur. Tertius autem, priorum exitum videns, & Oculum Divinum non se latuisse perspiciens, prorumpit in medium, & audientibus cunctis, serâ pœnitentiâ universum concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem lacrymis immane commissum facinus deflet & in tantum die, noctuq; perdurat in fletibus, usq; luminibus orbaretur.

cra & SS. Patribus, ac Historicu.

Plura ejusmodi exempla pejerantium, mirabiliter punitorum à DEo, refert Cornelius à Lapide in Jeremiæ Caput 39.

Sacrilegia divinitus vindicata, perpende.

Balthasar Rex Chaldæorum, cùm temulentus præcepisset afferri vasa aurea, & argentea, (ut legitur Dan: 5.) quæ asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, biberuntq; ex eis Rex & Optimates ejus, uxores & concubinæ illius: statim in pœnam hujus Sacrilegii, in eodem convivio, contra eum, vesperi, divinitùs lata sententia feralis, eâdemq; nocte, capta Babylon, Rex Balthasar interfectus cum filiis suis, ac innumeris suorum, projectusq; in fossam promiscuè cum aliis, & Monarchia Chaldæorum eversa: Dariusq; Medus

dus cum Cyro nepote suo successit in regnum. Hebræi tradunt, Genebrardus Archiepiscopus Aquensis approbat, hunc Darium natum esse eodem anno, quô Nabuchodonosor vastavit Jerusalem & templum; ut hujus sacrilegii esset ultor & vindex, ac Babylonem cum Monarchia everteret.

Seleucus Philopater Rex Asiæ, initiò suppeditaverat de reditibus suis omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum, in templo Jerosolymitano faciendorum, pertinentes: tamen postea misit Heliodorum in Jerusalem, ut ærarium templi expilaret: sed Heliodorum, Angeli duo circumsteterunt, & ex utraq; parte flagellabant sine intermissione, multis plagis vulnerantes: Vix Oniæ Pontificis precibus servatus est: Uti narratur 2do Machab: cap: 3. Ipse verò Seleucus, jam Sacrilegus, ideoq; indignùs decore Regio, in paucis diebus; ab eodem Heliodoro interemptus est. Vide Cornelium à Lapide in Danielis Caput II. v. 20. Exempla plura, vide apud eundem Cornelium in Josue Caput 7mum.

Petrus Gregorius Tolosanus, natione Gallus, Jurisconsultus doctissimus Syntag: Jur: lib. 33. cap: 17. num: 4. inter alia notatu dignissima, , scribit hæc: [Experti sunt plures Principes in Gallia, & Germania, , quantum posteris nocuit ex adipe Ecclesiæ, domus Paternas & proxi-, morum ditâsse: ad tempus quidem modicum durârunt hæ sacrilegæ , ex Abbatiis & Episcopatibus compilatæ opes, & cum istarum rui-, na, propriæ quoq; evanuerunt, & qui ipsis usi sunt, ut eorum filii, , miserè plerumq; perierunt. Quamvis enim sacrilegi ab hominibus , non plectantur, non possunt tamen DEI effugere judicium. Sunt , hodie tot illustrium Virorum Successores pauperrimi & ferè erro-, nes & mendici, dicam & audacter, prædones & latrones effecti, , quòd Ecclesias spoliârunt, & brevi tempore cum illis, & sua ami-, serunt, quæ Majores, virtute paraverant & reliquerant, & malè par-, ta, cùm malè dilabuntur, bene parta, sed à malè partis polluta se-, cum communione pertrahunt.] Hucusq; præfatus Auctor.

Similia ex communi etiam & longa Virorum gravium Observatione habet Alphonsus Vilagut Hispanus Doctor insignis in suo doctissimo Volumine de Rebus Eccl: non alien. lib. 3tio. p. 2. cap: 5to. eaq; esse omnimodæ veritati consona, non tantùm retroàcta, sed & no-

noſtra teſtantur tempora: in ampliſſimo etiam Regno Poloniæ, abundè id comprobant plurimi, celeriter gravibus calamitatibus preſſi, & ad egeſtatem redacti, qui ex rapinis bonorum Eccleſiaſticorum ditati fuerant: verificatumq; illud Jòëlis 3tio. *Citò, velociter reddam viciſſitudinem ſuper caput veſtrum: argentum enim meum, & aurum tuliſtis.*

Porrò prædicta blaſphemorum, perjurorum & ſacrilegorum ſupplicia, non eſſe inflicta ſine Providentia alicujus Entis ſummè Potentis, & Intellectivi, ſeu DEi, ac non eſſe caſu inflicta, certum eſt. Tum quia multa ex enumeratis ſupplicia, longè exceſſerunt Vires cauſarum Creatarum, ſpectatis circumſtantiis: Ut patet. Tum quia, Quod ſemper fit, aut frequenter, non ſecundùm accidens, neq; à fortuna: ut ait Ariſtoteles 2do Phyſicorum, textu 85to. Sed blaſphemi, perjuri, ſacrilegi, ſæpiſſimè & graviſſimè puniti ſunt mirabiliter: ut præter dicta, conſtat ex eo; quia, ut rectè P. Leſſius lib: 1. de Providentia Numinis, num: 161. ſcripſit: *Nulla eſt Natio, nulla Provincia, nullum Oppidulum, ubi blaſphemia, perjuria, & ſacrilegia, non fuerint à Numine ſæpius vindicata.* Ergo non caſu id factum eſt, vel fit, verùm ſic volente, ac ordinante aliquo Ente ſummè potente ac intellectivo, quod Ens, ideo præ cæteris peccatis, gravius vindicare conſuevit enumeratas ſcelerum ſpecies, utpotè directè oppoſitas ejus reverentiæ, eiq; graviter injurioſas. *Objectiones in contra refelluntur.*

Neq; dicas *1mò.* Utiq; etiam Ethnici Violatores ſuorum Templorum puniti fuerunt mirabiliter: ut conſtat ex hiſtoria, quam refert Philo apud Euſebium lib: 8. de Præparat: Evang. cap: 6. aliisq; pluribus Hiſtoricis. Reſpondetur, id factum eſſe, non quòd revera ſacrilegium fuerit illa violatio, ſed quia fuit tamen ſacrilegium, tum ſecundùm peccantium conſcientiam; cenſebant enim illa fana, verorum ſuorum Deorum eſſe ædes: tum quia ex contemptu generali Numinis fiebat violatio: unde non mirum, quòd vindictam etiam Numinis, ſenſerint.

Neq; dicas *2dò.* Quærendo, cur ergo non ſemper omnes blaſphemi, perjuri, ſacrilegi, puniuntur in hac vita? Reſpondetur, id inter alia etiam ideo fieri. Tum ne Occaſio detur ſuſpicandi, non ſupereſſe aliam vitam, in qua retribuatur unicuique

juxta opera sua. Tum, ut divitiæ Bonitatis, & Patientiæ, & longanimitatis Divinæ, clariùs manifestentur.

Neq; dicas *3tiò.* Exemplis allatis ex Scriptura sacra, nihil evinci adversùs Atheum, utpote negantem Scripturæ Auctorem, Deum. Contra enim est: quia, ut toties jam dixi, etiam ad initium hujus Voluminis, in Præmunitione totius Operis, hanc Objectionem non subsistere; demonstratum enim est in Libri hujus 1mi Tractatu 2do, cap: 3tio, Scripturam sacram apud quoscunq; etiam infideles, mereri majus sui pretium & Auctoritatem, quàm mereantur libri profanorum Historicorum Veterum, etiam simul sumptorum.

Nota. Præter hæc Argumenta supra 40. in Tractatu isto Tertio proposita, vide in Epilogo totius hujus Voluminis Argumentum aliud, quod licèt non sit validius pluribus suprà positis; tamen quandoq; felicius fuit ad convincendos & convertendos Atheos, teste etiam Cornelio à Lapide in Caput 5tum Amos. Sed antequam deveniatur ad Epilogum totius Voluminis; succedat priùs, ut in fronte Voluminis appromiseram, Liber Secundus.



LIBER II.

PRO DEO CONTRA ATHEOS.

Complectitur hic liber Tractatus tres. In *Imo*, quorundam Auctorum Rationes, quæ aliquibus de validitate suspectæ sunt, (an meritò ?) ad Veritatis trutinam expenduntur. In *2do*, Doctissimorum novem Veterum Philosophorum. In *3tio* demum, Sapientissimorum decem Patrum Rationes validæ referuntur Atheismi eversivæ.

TRACTATUS PRIMUS.

Ad Veritatis lancem expenduntur Argumenta, quibus THEODORUS ABUCARAS, Divus ANSELMUS, ANTONIUS PEREZ, ESPARZA, MORINUS, & CARTESIUS, subruere nituntur Atheismum.



Ullam admirationem Tibi moveat, Lector benevole, quòd Tractatum hunc, Atheorum principale dogma proscripturus, apposuerim Volumini, oculis Tuis (utinam & animo!) observanti. Feci id, non tam studio obsequendi desideriis eorum, qui prædictorum Auctorum Argumenta ad manum habere optarent, simulq; nosse, quis de iisdem sensus, nobis inesset: quàm veriùs ea de causa, quòd ex Argumentis Divi Anselmi, & Patris Perez, sat acuta, validaq; desumi possunt tela adversùs Atheos. Ad hæc: ne Asseclæ Cartesii & Morini, horum Rationes, gravissimi esse ponderis: è contra leviora, minusq; vibrantia arma,

Tractatus iste cur Volumini huic appositus?

quæ communiter à Sanctis Patribus, Doctoribus, & Theologis, in Atheos stringuntur, erroneè arbitrentur.

CAPUT I.

THEODORUS ABUCARAS

Quis fuerit Abucaras?

SAncti Damasceni Discipulus, Episcopus Carum, floruit sæculo nono, tempore Basilii Macedonis Imperatoris, & octavæ Synodi, scripsitq; diversa Opuscula contra Hæreticos, Judæos, & Saracenos. Constantinus, Basilius, & Leo, Imperatores hi tres in literis ad Hadrianum Pontificem Romanum datis, appellârunt Theodorum, Hominem Ecclesiæ valde utilem. Is ergo in Opusculo, in quo Infidelem instruit Orthodoxus de Existentia DEI, & Mysterio SS. Trinitatis, habet hæc: [A Orthodoxus. B. Infidelis. B. Demonstra esse Deum. A. Omnis numerus, qui recipit accessionem, finem quoq; recipit: numerus igitur hominum accessionem recipiens finitus est, quamvis nos, quantus sit, ignoremus. Sed ponamus brevitatis & declarationis gratiâ, omnes homines, esse centum: fieri non potest, ut hi omnes fuerint geniti; alii quidem ex aliis Ortum ducunt, sed mens rationem ortûs & Originis sursum revocans, omnino ad unum non genitum evadit; cùm enim ad primum devenerit, non potest dicere, ex alio ortum esse, quia & ille alius, ex alio item generatus esset, donec in primo mens consistat fixa; necesse igitur est, ex terra natum esse hunc, instar arborum, aut æternum esse, aut ab aliquo Creatore factum esse. Sed si è terra ortus fuisset, adhuc usq; in hodernum diem, alios terra procrearet, sicut fit in genere arborum, & herbarum: at quia hæc fieri non videmus, manifestum est, neq; primum procreâsse. Sed nec æternus erat; si enim principiô caruisset, essetq; æternus, nunquam mortuus fuisset, neq; interiisset. Quod enim principium non habet, neq; finem habet: relinquitur igitur, ut factus fuerit: quod autem factum est, Auctorem habet, est igitur Creator & Auctor hominum, Deus.]

Ima ejus Ratio desumpta ex productione hominis in tempore.

Accipe aliam Demonstrationem, quæ ad cognitionem DEI, deducit. [Dic mihi, si terram è gleba acciperem, & in altum tectum ascenderem, & inde hanc dimitterem, an non naturâ, perpetuò deorsum

2da ejus Ratio, ex

,orsum ferretur, quousq; in firmiore quopiam, & immobili firmare-,tur? B Maximè. A. sic etiam terra; ex parte enim intelligitur to-,tum: Nisi enim haberet aliquid firmius, quod ipsam fulciret, nun-,quam desineret ferri deorsum; nunc autem videmus hanc immotam, ,est igitur vis aliqua fortior, quæ hanc sustinet, & portat, quæ est ,Verbum DEI. Si enim dicas, aliud corpus subesse, quod eam susti-,neat; quid erit, quod illud ipsum corpus portat, & sustinet? Atq; ,ita cogitatio scrutari pergens, non cessabit, quousq; quiescat in ali-,quo termino, & extremo, quod sustinetur; non enim est infernè ,infinitum, quod est supernè terminatum; quod enim est ex una parte ,terminatum, etiam ex alia, terminum habebit; nam si funis, ut ita po-,namus, ex hac parte terræ, usq; ad alteram partem pertingat, ipse ,verò summam partem funis, qui videtur, apprehendam; an non ne-,cesse erit ex altera parte, quæ non apparet avelli summam partem ,funis tantô spatiô sursum attractam, quantô ex altera parte attraxi. ,Hinc licèt perspicuè cognoscere, habere terram, finem infernè. ,Quare ex his demonstratum est, esse Deum, omnium rerum Aucto-,rem. B. Pulcherrimè demonstrâsti, & gratiam habeo pro utilitate ,mihi allata.]

Terraquei globi sustentatione.

Quidnam de his duabus Theodori Rationibus directè sentiant Doctores Scholastici, nullibi legi: fundatus tamen in Principiis receptis communiter à Philosophis.

Assero *1mô.* Ex productione hominis & productione terræ, efficaciter potest evinci DEI Existentia. Asserti Veritas patet ex dictis suprà in lib: 1. Tract: 2. Cap: 4to, & 5to, 6to, item in Tractatu 3. sub Argum: 8vo, 9no, 10. 14. 16. 24.

Assero *2dò.* Rationes à Theodoro allatæ, per se loquendo, non omnino evincunt Existentiam DEI. Evincunt tamen, sed nonnisi in certis suppositionibus, si admittantur.

Rationes adductæ nonnisi ex certa suppositione sunt convictivæ.

Prima pars probatur. Quia prima ratio Theodori fundatur in duobus principiis, non omnino per se certis. Incertum enim est, quòd omnis numerus, qui recipit accessionem, finem quoq; recipiat, seu sit necessariò ex omni parte finitus; hoc enim non solùm negant Athei, qui communiter: licèt erroneè docent, Mundum, & homines fuisse ab æterno, nec unquam deveniri posse ad aliquem primo primū homi-

hominem, à quo duceretur origo aliorum: sed etiam negant graves illi Doctores, qui asserunt, potuisse absolutè ab æterno produci Mundum, astra, & homines; infinito item creato, posse aliquid addi, vel ab illo aliquid demi, manente infinitudine simpliciter Incertum etiam est, quòd illud, quod principium non habet, necessariò etiam finem non habet; sicut enim non omne id, quod habet principium, finem quoq; necessariò habere debet; nam Anima humana habet sui principium, cùm in tempore sit producta, certò tamen duratura est, & exigit durare per totam æternitatem à parte post. Ita, id, quod non haberet sui principium, sed esset ab æterno liberè productum, potuisset habere finem. Concedo tamen, quòd Ens necessariò essentialiter existens ab æterno, nunquam possit habere finem, cùm tale Ens sit in omni genere perfectissimum, ut constat ex dictis in Libri 1mi Tractatu 2do, Cap: 1. 2da etiam Ratio Theodori videtur ex eo etiam non convictiva, quia Atheus dicet: terræ molem sinè ullius adjutorio per seipsam naturaliter consistere in medio Mundi; cùm enim Elementorum gravissima sit, ideo infimum Orbis locum, qui Mundi medium est, ex natura sua petit. Communiter item Philosophi docent, nec miraculosè, nec violentè detineri terræ molem in hoc loco, sed hunc situm esse ei connaturalem; idq; sensit Homiliâ 1 Hexaëmeron, & Divus Basilius inquiens: *Noli mirari, si terra stabilis est, neq; excidit: quippe quæ medium ipsum occupet Universi locum, accommodatissimum sibi ex natura: omnino enim manere ipsam eo in loco oportet.* Videturq; id ipsum longè ante insinuâsse Regius Vates psalmo 103 *Fundâsti* (inquit, alloquendo DEum) *terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*: id est, ut explicat Bellarminus cum multis. Non erexisti terram super aliquod fundamentum, sed voluisti, ut suo pondere niteretur. Præceptum tuum, solidiùs est omni fundamentô, & ideo quia sic jussisti, sic fiet, ut terra suo pondere innixa, æternâ stabilitate consistat. Quod autem gleba terrea sursum projecta, feratur deorsum, ideo est: quia cùm sit gravior àere, exigit esse infra àërem, & centro terræ, quantum fieri potest, proximè conjungi.

2da jam pars Asserti probatur. Quia prima Ratio Theodori erit sat valida, si supponatur Mundus fuisse in tempore productus,

& multitudo hominum finita: uti defactò utrumq; verissimum est, licèt id non sit per se evidens, sed aliunde probari debeat, & probavimus suprà in Libri 1mi Tractatu 2do, Cap: 4to. 2da etiam Ratio subsistit, si terra supponatur miraculosè, vel violentè in medio Mundi detineri; ut aliqui Veteres sentiebant. Et fortè Infidelis, qui petierat demonstrari, Deum esse, fuit hujus sensûs: sentiebat item, numerum hominum esse finitum. Unde quasi ad hominem bene argumentatus est Abucaras.

CAPUT II.

S. ANSELMUS

Divi Anselmi encomium.

ARchiepiscopus Cantuariensis, natione Sabaudus. *Ingeniô acerrimô* (ut ex communi sensu, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, testatur Bellarminus) *sanctitateq; admirandâ, cum maxima prudentia & humilitate conjuncta.* Discipulus & successor Lanfranci. *Famam* (ut legitur in Breviario) *non solùm miraculorum & sanctitatis assecutus, sed etiam doctrinæ, quam ad defensionem Christianæ Religionis, animarum profectum, & omnium Theologorum, qui sacras Literas scholasticâ methodo tradiderunt normam, cælitus eum hausisse ex ejus libris omnibus, apparet.* Tantus Doctor, veritatem Existentiæ DEI, Cap: 4. Monologii, sic primò propugnat.

Ratio ejus 1ma, quia datur Ens summæ eminentiæ.

[Qui dubitat, quòd in natura sua, lignô melior sit equus, & ,, equô, præstantior homo, is profectò non est dicendus, homo. Cùm ,, igitur naturarum aliæ, aliis negari non possunt meliores, nihilominus ,, persuadet ratio, aliquam in eis sic supereminere, ut non habe- ,, at se superiorem. Si enim hujus graduum distinctio sic est infinita, ,, ut nullus sit ibi gradus superior, quô superior alius non inveniatur, ,, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum, nullo fine ,, claudatur: hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est ,, absurdus. Est igitur ex necessitate, aliqua Natura, quæ sic est a- ,, licui, vel aliquibus superior, ut nulla sit, cui ordinetur inferior. ,, Nec sit possibilis ulla, cui sit inferior. Talis autem Natura, est in ,, re ipsemet DEus.] Hæc ratio coincidit cum illa ratione, quâ utitur S. Thomas, ex Via Eminentiæ probando Existentiam DEI, & est

efficax

efficax debitè adhibita. Vide dicta infrà in Tractatu 3tio, Cap: 6to.

2dò, quia existit Ens, quô majus esse & cogitari nihil potest. 2dò, Veritatem eandem propugnat in suo Prosologio cap: 2. ,cui titulus: Quòd verè sit DEus. Postquam dixit: [Ergo Domine, ,qui das fidei intellectum, da mihi, ut quantum scis expedire intel-,ligam, quia es, sicut credimus, & hoc es, quod credimus.] Et addit: [Et quidem credimus Te esse aliquid, quô nihil majus cogitari pos-,sit. An ergo non est aliqua talis Natura, quia dixit insipiens in ,corde suo: Non est DEus. Sed certè idem ipse insipiens, cùm au-,dit hoc ipsum, quod dico: Aliquid quô majus nihil cogitari potest: ,intelligit, quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi ,non intelligat illud esse. Aliud est enim rem esse in intellectu, aliud ,intelligere rem esse. Nam cum Pictor præcogitat, quæ facturus ,est, habet quidem in intellectu, sed nondum esse intelligit, quod non-,dum fecit: cùm verò jam pinxit, & habet in intellectu, & intelligit ,esse, quod jam fecit. Convincitur ergo insipiens, esse vel in intel-,lectu aliquid, quô nihil majus cogitari potest: quia hoc cùm audit, ,intelligit, & quidquid intelligitur, in intellectu est. Et certè, id, quô ,majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo: si enim ,vel in solo intellectu est, potest cogitari esse, & in re, quod majus ,est. Si ergo id, quô majus cogitari non potest, est in solo intelle-,ctu idipsum, quô majus cogitari non potest, est, quô majus cogi-,tari potest: sed certè hoc esse non potest. Existit ergo procul-,dubio aliquid, quô majus cogitari non valet, & in intellectu, & in ,re. Ergo existit Deus.] Simile quid habet in libro contra insipi-entem.

Eadem Ratio proponitur à Patre Vasquez. P. Gabriel Vasquez (quem Diana Tractatu 5to, parte 3tia, Resolut: 79. aliiq;, vocant: sapientissimum ætatis suæ Theologum) ,Disput: 20. n. 13. ait: [Demonstratio satis acuta, quam Anselmus ,prosequitur est (intellige, in compendium redacta) hæc: Deus est ,id, quô melius excogitari non potest. Sed id, quô melius excogitari ,non potest, nequit esse in sola cogitatione: sic enim non esset melius: ,id enim melius est, quod in cogitatione, & in re ipsa est. Ergo De-,us est in rerum natura.]

Item à Patre Perez. P. Antonius Perez Disput: 1. de Voluntate DEI, cap: 6. dixit: ,[Existentiæ Divinæ probatio, quæ Auctorem habet S. Anselmum, & Alexan-

„Alexandrum Alensem, est omnium, quas unquam viderim, acutissi-
„ma: est autem ejusmodi. Existit aliquod Ens Optimum, & nullum
„habens bonitatis defectum. Ergo existit Deus. Consequentia patet.
„Antecedens probatur. Ens Optimum non est Chimera. Ergo existit
„actu. Alioqui esset possibile nondum existens in se, sed in suis cau-
„sis melioribus ipsô Optimô, quod est absurdum: Optimum enim,
„non habet se melius. Probatur Antecedens. Nulla Chimera est bo-
„num. Optimum est bonum. Ergo Optimum non est Chimera. Ma-
„jor probatur. Quia bonum est, quod est bonum ad existendum. At
„chimera non est bonum ad existendum: alioqui esset ad existendum
„apta: & non esset inconveniens & absurdum, ipsam existere. Ergo
„chimera non est bonum. Minor est ex terminis perspicua. Quia Opti-
„mum ex sua ratione, est summum bonum, & nullum habens bonitatis
„defectũ. At summum bonum, & nullum habens bonitatis & præstantiæ
„defectum, est bonum. Ergo ex terminis ipsis, Optimum est bonum.]

P. Joannes Morawski, Magni Patris Esparza non minor disci- *Necnon*
pulus, paulò aliter eundem S. Anselmi Discursum, Disput: 1. quæst: 1. *à Patre*
„de Existentia DEI, proponit sic: [Omnis Chimera dicit aliquam *Morawski.*
„imperfectionem. Tum quia omnis Chimera est prudenter contem-
„ptibilis & odibilis; solus enim defectus meretur prudentem con-
„temptum, ac displicentiam. Tum quia dicit esse, & non esse ejusdẽ:
„in esse autem & non esse ejusdem, necessariò involvitur imperfectio:
„si enim esse, est perfectio, non esse, exclusivum talis esse, erit imper-
„fectio, utpote exclusivum perfectionis. Sed Ens carens omni defectu,
„nullam dicit imperfectionem: ut patet ex terminis. Ergo tale Ens,
„non est Chimera. Ergo ulterius existit. Cùm enim, non existentia,
„sit aliquis defectus: Ens carens omni defectu, debet etiam hôc defectu
„carere, qui est, non existentia: adeoq; debet existere. Additq; præ-
„dictus Theologus: totus hic Discursus mihi videtur valde acutus,
„& evidens, habetq; Auctorem Divum Anselmum in Monologio.

Ante prænominatos Theologos, P. Alphonsus Salmeron, unus *Approbat*
„ex Primis decem Patribus Societatis, Summorum Pontificum The- *illam Ar-*
„ologus in Concilio Tridentino approbavit S. Anselmi Argumenta- *gumenta-*
„tionem; Tomo enim 3tio Commentariorum in Evangelicam Histo- *tionem*
„riam, & in Acta Apostolorum, Tractatu 1mo, dicit: Ratio, Deum

Sancti Anselmi, Pater etiam Salmeron.

,esse, apertissimè evincit... & probat: quia, cùm DEI Nomine, summum quid intelligamus, quô nihil majus, vel melius cogitari possit: ,ut omnes tradiderunt; profectò eum non esse, vehementer repugnat. Si enim revera non esset, sed tantùm mente illum esse, cogitaremus, & conciperemus, tali profectò alter major cogitari posset, ,ille scilicet, qui non solùm mente concipitur, sed revera existeret, ,præsertim cùm, Deum existere, nullam includat repugnantiam; alio- ,qui quælibet alia res, quæ cogitari & esse posset, ut homo, & formica, Deum excederet, qui cogitari quidem, sed non existere posset.]

Quid de illa senserit Gerson, Alliacensis & quidam Innominatus?

Contra illam Argumentationem acutissimam S. Anselmi, acuerunt calamum & linguas aliqui Antiquiores, scilicet, Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui, ut refert Carthusianus in primum, Distin: 3. quæst: 2. Discursum Anselmi, dicit esse Sophisticum. Item Petrus ab Aliaco, Episcopus Cameracensis, aliàs solitus vocari, Alliacensis vel Cameracensis in primum quæst: 3. approbat dictum Gersonis addendo, sed nimis irreverenter: *Propter Logicæ defectum, iste devotus homo, Anselmus, in hoc loco, & sæpè deceptus fuit.* Vivente etiam Divô Anselmô, prodiit liber, Pro Insipiente, scriptus contra S. Anselmum, cujus libri Auctor non est Gerson, hic enim obiit Anno 1429. S. autem Anselmus obiit 1109. Nec est Auctor, ipsemet Anselmus, licèt reperiatur apud Anselmum, & errore typographorum, ei tribuatur (nam in illo libro, sæpè carpitur S. Anselmus, ejusq; argumentatio: unde prædictus Sanctus scripsit, & Apologiam, cui titulum dedit: Contra insipientem) sed Auctor, est aliquis innominatus Catholicus, ,qui inter alia sic arguit: [Dicit mihi quispiam, Insulam esse aliquam præstantissimam, quam ex difficultate, vel potiùs ex impossibilitate inveniendi, quod non est, cognominant aliqui, perditam; ,& ego facilè dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam, ac adjungat, & dicat: Non potes ultra dubitare, Insulam illam omnibus ,terris præstantiorem, verè esse alicubi in re, quam in intellectu tuo ,non ambigis esse: quia nisi fuerit, quæcunq; alia in re, est terra, præstantior illâ erit, ac sic ipsa jam à te præstantior & intellecta, præstantior non erit. Si, inquam, per hoc ille velit mihi adstruere de ,Insula illa, quod verè sit, ambigendum ultra non esse; aut jocari

ipsum

,ipsum credam, aut nescio, quem stultiorem debeam reputare, utrum ,me, si ei concedam; an illum, si se putet aliqua certitudine, Insulæ ,illius essentiam adstruxisse, nisi prius ipsam præstantiam ejus, so-,lummodò sicut rem, verè atq; indubiè existentem, nec ullatenus, si-,cut falsum aut incertum aliquid in intellectu, in eo esse docuerit.- ,Certissimô primitus aliquo, probandum est Argumentô, aliquam su-,periorem, hoc est majorem, ac meliorem omnium, quæ sunt, esse ,naturam, ut ex hac, alia jam possimus omnia probare, quibus ne-,cesse est ac quod majus melius est illud omnibus non carere.- Cæ-,tera libelli illius (nempe Prosologii) tam veraciter & tam præclarè ,sunt, magnificèque præstantiâ, tantâ deniq; restrictâ utilitate, & pii ,ac sancti affectûs intimo quodam odore fragrantia, ut nullo modo ,propter illa, quæ virtus rectè quidem sensa, sed minùs firmiter ar-,gumentata sibi ista sint contemnenda; sed illa potiùs argumentanda ,robustiùs, ac omnia cum ingenti veneratione ac laude suscipienda.] ,Hæc Auctor ille innominatus, in libro pro Insipiente.

Adverte. Carthusianus in Elementatione Philosphica Propos.79. ,refert, contineri etiam in illo libro hæc: [Nescio quis insipientior ,sit, an is, qui putat hoc sequi, an insipiens, qui dixit in corde suo: ,Non est Deus.] Accuratè revolvi libellum illum totum aliquoties, ,& non reperi illa verba, tam injuriosa sancto Doctori.

Recentiores itidem sat graves Theologi (præter Gregorium Ariminensem, & Cajetanum antiquiores) ut Rainaudus, Quiros, Haunoldus, Caregno, & alii, asserunt, non esse efficacem Argumentationem S. Anselmi: quibus videtur præivisse Divus Thomas, is enim prædictum Discursum S. Anselmi tacitô Auctoris nomine, compendiosè, ,primâ parte, quæst: 2. art 1. proponit sic: [Intellecto quid significet ,hoc nomen, Deus, statim habetur, quod Deus est: Significatur e-,nim hoc nomine id, quô majus significari non potest; majus autem ,est, quod est in re & intellectu, quàm quod est in intellectu tan-,tùm. Unde cum intellecto hoc nomine, Deus, statim sit in intelle-,ctu, sequitur etiam, quòd sit in re.] Respondetq; minimè aculeatè, ,ita: [Dicendum quòd fortè ille, qui audit hoc nomen, Deus, non ,intelligit significari aliquid, quô majus cogitari non possit; cùm, ,quidam crediderint, Deum, esse corpus. Dato etiam, quòd quilibet

Quid item Recentiores quidã, & antea Divus Thomas.

,intelligat hoc nominè, Deus, significari hoc, quod dicitur: Scilicet ,illud, quô majus cogitari non poteſt; non tamen propter hoc ſe- ,quitur, quòd intelligat id, quod ſignificatur per nomen, eſſe in re- ,rum natura, ſed in apprehenſione intellectûs tantùm. Nec poteſt ,argui, quòd ſit in re, niſi daretur (*id eſt concederetur*) quòd ſit in ,re aliquid, quo majus cogitari non poteſt: quod non eſt datum à ,ponentibus, Deum non eſſe.] Similia habet lib: 1. contra Gentiles, ,cap: 1. Ubi non dubitanter, ſed abſolutè dicit: [Non omnibus no- ,tum, etiam concedentibus, Deum eſſe, quòd Deus ſit id, quô majus ,cogitari non poſſit; cùm multi Antiquorum, Mundum iſtum, dixe- ,rint, Deum eſſe.] Favere videtur illorum Recentiorum Aſſertioni etiam S. Dionyſius (cujus tanti ſemper ab omnibus habita eſt Aucto- ritas, ut teſte Patre Eſparza, nemo audeat ulla in re, illi apertè con- tradicere) docendo: Notitiam Dei non haberi ex ipſius Natura, ſed ex creaturis. Libro enim de Divinis Nominibus, cap: 7mo. dicit: ,[Verè fortaſſis hoc dicetur, Dei nos habere notitiam non ex ipſi- ,us Natura (eſt enim incognita, omnemq; rationem & mentem ſu- ,perat; ſed ex rerum omnium deſcriptione, ut, quæ ab eo prolata ſit ,in lucem, & imagines quasdam, ſimilitudinesq; divinorum ejus ,exemplarium in ſe contineat ad id quod omnia ſuperat; via & ordi- ,ne pro virili parte omnium detractione, & præſtantia, omniumq; ,cauſa aſcendimus.] Divus quoq; Tomas lib. 1. contra Gent: cap. 12. ,ait [In rationibus, in quibus demonſtratur Deum eſſe, non oportet ,aſſumi pro medio, Divinam Eſſentiam, ſive quidditatem, ſed loco ,Quidditatis, accipitur pro medio, effectus.] Inſuper Ratio illorum eſt. Tum quia aliàs ſimili modô poſſet probari Myſterium SS. Tri- nitatis, videlicet ſic. Trinitas Perſonarum ſummè perfecta in Uni- tate Eſſentiæ, eſt id, quô majus cogitari non poteſt. Seu eſt Ens O- ptimum, nullum habens defectum bonitatis: Sed id quô majus cogi- tari non poteſt; ſeu, Ens, quod eſt Optimum, non poteſt exiſtere in ſola cogitatione ſeu intellectu. Ergo exiſtit in re Myſterium SS. Tri- nitatis. Tum quia ſimiliter poſſet probari, exiſtere Creaturam per- fectiſſimam, cùm hæc nullam dicat imperfectionem.

Nihilominus non pauci etiam celebres Philoſophi, & Theolo- gi ſentiunt, Rationem Divi Anſelmi eſſe efficaçem, Et ita præter P. Sal-

Salmeronem, Vasquez, Perez. sentiunt Esparza, Semeri, Morawski, Franciscus Fabricius, & alii plurimi eximii in scientiis Speculativis.

Ego conformiter ad mentem subtilis Scoti, & Patris Salmeronis ac quorundam etiam Theologorum. *Quid conformiter ad mentē Subtilis Scoti, & Patris Salmeronis videtur sentiendum?*

Assero Divi Anselmi Argumentationem, esse sat validam, si proponatur sic: *Id*, quô majus cogitari non potest, si est possibile, seu si nullam involvat contradictionem, existit actu. Ut patet. Si enim non existeret actu, posset majus cogitari: majus enim est, quod cogitatur verè semper existere. Sed id, quô majus cogitari non potest, est possibile. Quæ enim vera contradictio in tali Ente? Ergo existit actu. Subsumo. Ast Deus, est id, quô majus cogitari non potest. Nomine enim Dei strictè & propriè sumpto, intelligitur Ens in omni genere perfectissimum. Ergo existit. Assertionem hanc, conformari menti subtilis Scoti, constat ex eo: quia ille, rationem Divi Anselmi illustrando, in lib: I. Sentent: Distinct: 2. quæst: 2. ait: [Summum cogitabile, potest cogitari in re esse, & non potest cogi-,tari esse ab alio. Ergo à se. Ergo intelligendum, quòd omni eo, ,quod tantùm est in intellectu, potest cogitari majus, quod est in re: ,non de eodem, sed quia tantùm cogitabile, est possibile tantùm, o-,mni possibili est majus necessarium ex se. Aliter sic: Summum co-,gitabile, est intuibile, non in alio. Ergo in se. Per illud potest co-,lorari illa ratio Anselmi de Summo cogitabili, Prosol: 2. Et intelli-,genda est ejus descriptio sic: Deus est, quô cogitatô sine contradi-,ctione, majus cogitari non potest sine contradictione: & quòd ad-,dendum; sine contradictione; patet, nam in cujus cogitatione inclu-,ditur contradictio, illud dicitur, non cogitabile; quia tunc sunt duo ,cogitabilia opposita, nullo modo faciendo unum cogitabile. Quia ,neutrum, determinat alterum. Summum Cogitabile sine contradi-,ctione esse in re; Probatur primò de esse quidditativo. Quia in tali ,cogitabili Summo, summè quiescit intelligens. Ergo in ipso summè ,est ratio primi objecti intellectûs scilicet Entis, & hoc in summo: ,Et arguitur ultra, quòd illud sit loquendo de esse existentiæ; Quia ,Summè cogitabile, non est tantùm in intellectu cogitante: quia tunc ,posset esse, quia est cogitabile possibile, & non posset esse: quia re-

,pugnat rationi ejus, esse ab alia causa. Vel aliter coloratur sic: ,Majus cogitabile est, quod existit, id est, perfectius, cognoscibile, ,quia visibile, sive intelligibile intellectione intuitivâ: quod autem ,non existit, nec in se, nec in nobiliori, cui nihil addit, non est intel- ,lectualiter visibile. Visibile autem, est perfectius cognoscibile non ,visibili, sed tantùm intelligibili abstractivè. Ergo perfectissimum ,cognoscibile existit.] Hucusq; Scotus. Est item Assertio nostra conformis menti Patris Salmeronis, qui in Argumentatione Divi Anselmi proposita à se, ut vidimus suprà, addidit hæc: Præsertim, cùm Deum existere, nullam includat repugnantiam.

Comprobatur itidem Assertio nostra, tum rationibus Scoti adductis suprà in Lib: 1. Tractatu 3tio, sub Argumento 2do: tum solutione Objectionum.

Objectionibus respondetur

Ex his enim facilis est Responsio ad Objectiones in contra superiùs propositas. Respondetur enim ad Paritatem ab Insula perdita petitam, quam vivente adhuc Divô Anselmô, ejus Argumento opposuerat quidam innominatus Catholicus: Non valere illam paritatem. Nam Insula illa, non est id, quô majus cogitari non possit: imò implicat, ut possit esse talis: multas enim imperfectiones involvit in suo essentiali conceptu; ut evidens est. Item, cùm sit quid creatum, liberum erat Deo, illam producere vel non. Contrarium autem dicendum de eo, quô nihil majus in re, cogitari potest. Imò tale Ens est à se, & quid perfectissimum. Ad Rationem S. Thomæ dicitur: quòd nomine Dei, propriè & debitè intelligatur, intelligiq; debeat, Ens optimum; quidquid sit, quòd aliqui etiam, erroneè intellexerint Entia imperfecta. Unde & Divus Anselmus Prosolog: cap: 4. ait: Deus est id, quô majus cogitari non potest; quod, qui bene (non erroneè) intelligit, utiq; intelligit idipsum sic esse. Hocq; ipsum probatum, vide in lib: 1. Tractatu 2do, cap: 1. sub Propos: 4. Non esse autem solùm in apprehensione illud, quô majus cogitari non possit, si est possibile, patet ex dictis. S. Dionysius loquitur de Notitia Dei ordinaria, communiori, & faciliori positivè acquisibili. Conceditur, quòd non oporteat assumi ad demonstrandum Deum, ipsam Divinam Essentiam, ut dicit Divus Thomas; per hoc tamen præcisè videtur non negari, non posse etiam assumi: siquidem variis mediis

poteſt Exiſtentia Dei demonſtrari. Argumentatio illa de Myſterio SS. Trinitatis videtur (etſi defactò non ſit) lumini naturali ex vi terminorum, involvere implicantiam: cùm videatur involvere contradictorium illi Primo Principio. Quæ ſunt eadem uni tertio (nempe hîc, Unitati Eſſentiæ) ſunt eadem inter ſe. Cùm tamen tres Perſonæ ſint diſtinctæ realiter ſimpliciter in ratione trium Perſonarum. Jam autem id, quô majus cogitari non poteſt: vel, Ens Optimum, non involvit in ſuis terminis contradictionem. Cui enim Principio lumine naturali noto opponitur? Proinde non ſubſiſtit Objectio illa, in qua dicebatur, ſimili argumentandi modo, poſſe probari Myſterium SS. Trinitatis. Vide & dicta, infrà ad finem Cap: 3. in Notato 3: plurimùm enim inde illuſtratur hæc reſponſio noſtra. Quod dicitur de Creatura perfectiſſima. Reſpondet P. Perez Diſput: 1 de Voluntate DEi, cap: 6. Quòd ideo Creatura optima, ſeu perfectiſſima non eſt abſolutè optima, quia ratio Creaturæ, minuit & evertit rationem Optimi, ac proinde è converſo, ratio Optimi, evertit rationem Creaturæ. Aſt ratio Summi & Optimi, addita Bono, non minuit, ſed auget rationem Boni, ut eſt manifeſtum: idem enim eſt dicere, Optimum & Summum, atq; dicere, nullum habens bonitatis & præſtantiæ defectum: At perſpicuum eſt, habere defectum bonitatis, & præſtantiæ, minuere rationem Boni, quam nullo modo minuit hoc, quod eſt, eo defectu carere. Imò hinc Argumentum Divi Anſelmi confirmatur. Bona non habent defectum bonitatis ex eo, quòd non ſint non bona: ac proinde neque ex eo, quòd non ſicut Chimeræ; Chimeræ enim ſunt non bonæ. At habent defectum bonitatis ex eo, quòd non ſint Optima. Ergo eſſe Optimum, eſt abſolutè eſſe bonum, non Chimericum. Præſertim, cùm Optimum, ſit abſolutè & ſimpliciter amabilius, quàm non Optimum. Dicere verò, Optimum eſſe amabilius, quamvis non poſſit exiſtere in ſe, ſed in ſola cogitatione, profectò eſt ridiculum: Sequeretur enim, prudentiam, & rectam rationem judicare, amabilius eſſe, bonum fictum, quàm verum: quam abſurditatem acutè obſervavit Anſelmus. Hæc Pater Perez. Porro, quòd ratio perfectiſſimi, evertat rationem Creaturæ, deducitur ex eo; quia poſitâ quacunq; creaturâ perfectâ, poteſt Deus abſolutè aliam perfectiorem creare.

Cur enim non? Videturq; id spectare ad excellentiam ejus Omnipotentiæ: & *Omnis* (ut ait S. Ambrosius lib: 1. de Spiritu S. cap: 7.) *creatura, certis suæ naturæ circumscripta est limitibus.* Accedit. Quòd omnia ferè Argumenta, quibus solet probari ab aliquibus possibilitas creaturæ perfectissimæ, militent pro possibilitate numeri finiti maximi: quem tamen implicare, certum est; aliàs enim additâ vel una unitate numero finito maximo, fieret infinitus; & sic finitum additum finito, faceret infinitum: quod nemo admittit.

CAPUT III.

P. ANTONIUS PEREZ.

Patris Antonij Perez Argumenta pro Existentia DEI.

Natione Navarrus, Primæ Magnitudinis, suæ ætatis Theologus: ab insolita argumentandi vi, & methodo, ac ob singularem cum soliditate subtilitatem, sensu communi Literatorum, Theologus Admirabilis: partim Salmanticæ, partim Romæ, sexdecim omnino annis, Theologiæ Professor laudatissimus: nullius unquam lethalis culpæ sibi conscius: vixit anno ætatis quinquagesimo, Incarnatæ verò Sapientiæ anno 1649. Hic ergo tantus Theologus, variis acutis, & miris modis, Disputatione 1. de Deo, cap:4.& 5. item Disput: de Voluntate DEi, cap: 6. & 7. probat Existentiam DEi. Ego ipsius Probationes, quantum fieri potest, summatim, ac ipsiusmet Auctoris ferè semper verbis, propono.

Argumentum 1mum.

1mum. Quia existit id, quod caret omni defectu.

Nullum bonum est esse Chimeram. Sed carens omni defectu, est bonum: Ergo carens omni defectu, non est Chimera. Ergo est possibile. Sed tale possibile, necessariò existit realiter. Alioquin posset non existere realiter, aut esse, non existens realiter. Sed non existere realiter, est defectus: quia est, non pervenisse ad Optimum; & esse ita possibile, ut possit non existere realiter, est etiam defectus: ut est per se notum; & quia omne potens non existere realiter, potest esse nihil: fiat ergo illud, quod est possibile, & sit nihil. Ergo potest duci pro nihilo. At posse duci pro nihilo, est esse contemptibile: contemptibilitas autem, est proprietas solius habentis defectum. Ergo necessariò existit id, quod caret omni defectu. Sed hoc est

est esse Deum. Ergo Deus necessariò existit. Hujus Discursûs, Major est per se nota. inquit Perez. Quia de ratione Chimeræ est, esse essentialiter falsam, non volibilem ex judicio vero; & quia velle illam, non potest accidere, quin volitio frustretur: est autem stultum velle frustra. Minor etiam, ait idem P. Perez, est evidens, nempe: quod, *Carens omni defectu, est bonum*, hocque probat multipliciter.

1mò. Quia ex definitione defectûs sequitur hæc proprietas, quòd defectus habeat oppositum, & aliquid contentum sub opposito sit melius quolibet habente defectum. At habere aliquem defectum, est defectus, & oppositum habentis aliquem defectum, est carens defectu, seu nullum habens defectum. Ergo aliquod carens omni defectu, est melius quolibet habente defectum. Si melius, Ergo bonum: proinde carens omni defectu, est bonum.

2dò. Si quis bene ad terminos advertit, ad quos solus stultus fortassis poterit non advertere, non potest negare propositionem illam: *Carens omni defectu, est bonum*. Evidenter enim defectus offendit animum, & quasi repellit, & facit aliò moveri, ut inveniat bonum perfectum: habet enim nostra Anima quandam infinitam insatiabilitatem, & quolibet defectu viso, tanquam stimulô, statim movetur ad quærendum majus bonum. Ergo visa ratione defectûs in communi statim animus movetur ad oppositum: id est, ad non defectum: & propter hanc rationem est ferè per se notum, Negationem omnîs defectûs, seu fundamentum hujus negationis, esse bonum.

3tiò. Quod maximè opponitur, maximæ & pessimæ Chimeræ, maximè est Ens, & maximè Bonum. Sed Chimera est maxima & pessima, habere omnem defectum: seu cogitari, ut habens omnem defectum, ac proinde omnem rationem chimericam: quia quælibet ratio Chimerica affert aliquem defectum veritatis. Itaq; Chimera maximè illa est, quæ maximè ab unitate recedit, & à veritate, à vera bonitate, & æstimabilitate, & à ratione principii distinctionis, motivi formalis potentiæ intentionalis: & in summa, hoc est recedere maximè ab Ente reali. Igitur eò erit aliquid magìs unum, magìs verum, magìs bonum, magìs principium distinctionis, & magìs motivum potentiæ intentionalis, quò magìs intelligitur distare ab hac Chimera, ex propria ratione. At, ab intelligibili, ut habente omnem defe-

ctum, id eſt, ab hac chimera maxima & peſſima, nihil magis intelligitur diſtare, quàm Intelligibile, quod intelligitur nullum habere defectum: Omne enim & nullum in omni genere, maximè diſtant. Ergo carens omni defectu, ſeu tale Intelligibile, erit Maximum Ens, maximè unum, maximè verum, maximè æſtimabile, maximè principium, ſeu principaliſſimum, maximè motivum optimæ cognitionis, & optimi affectûs, & maximè exiſtens. Dicere verò hoc ſummè diſtans à ſumma chimera, eſſe chimeram: eſt hæc ipſa chimera, quam finximus. Itaq; Deus, ideo probatur eſſe non chimera, quia non eſt chimera, maximè diſtare à maxima chimera; & non falſum eſt, diſtare à maxima falſitate; id eſt, non eſt falſum, eſſe ſummum verum. Sicut maximè diſtare à ſummo Ente, & à ſumma veritate, eſt falſitas maxima & chimera, ſeu ſummus veritatis defectus. Ergo maximè diſtare à ſumma Chimera, eſt eſſe ſummum Ens.

4tò. Hæc Conſequentia eſt evidens. Aliquod Intelligibile caret omni defectu. Ergo eſt ſummum Bonum. Antecedens eſſe verum probatur ex ipſa Conſequentia. Nam hæc Conſequentia non poteſt eſſe evidens, niſi virtute hujus Minoris ſubintellectæ in hoc Enthymemate facto. Carere omni defectu, eſt bonum, & ſummum bonum, & ſummè à nobis amabile: de nulla ratione chimerica poteſt eſſe evidens, eſſe dignum ſummo amore. At de hoc bono, eo ipso quòd ſibi aliquis perſuadeat (ut multorum eſt perſuaſio) eſſe poſſibile, aut exiſtens; eſt evidens amabilitas. Ergo &c. Hoc Argumentum infundatur huic Principio. Quòd ſolus finis verus & poſſibilis, poteſt inferre evidenter amabilitatem ſui propter ſe.

2dum. Quia exiſtit id, quod eſt optimum.

Argumentum 2dum.

Non eſt defectus, non perveniſſe aliquid ad hoc, ut ſit chimera. Sed eſt defectus, non perueniſſe ad hoc, ut ſit Optimum: ſive habens omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices. Ergo habere illas, non eſt chimera. Ergo eſt poſſibile. Ergo neceſſarlo exiſtit: proinde DEUS exiſtit. Conſequentiæ omnes (inquit Pater Perez) ſunt euidentes: ut conſtat ex dictis etiam ſuprà. Major eſt per ſe nota; & Minor quoq;. Nam ſi vel una perfectio ſimpliciter ſimplex, deficiat alicui, eo ipſo habet defectum. Vis tota Argumenti conſiſtit in eo:

quòd

quòd ne Momus quidem reprehendere poterit aliquem ex eo, quòd non ſit chimera: & tamen reprehendimus, aut minuimus laudes ex eo, quòd non ſit optimum. Prædictum Argumentum ab eodem, multipliciter confirmatur.

imò Tum quia optimum, eſt bonum. Ergo poſſibile. Antecedens adeo eſt perſpicuum, ut amentiæ cujuſdam videatur, probare, optimum, eſſe bonum. Tum quia formatâ in nobis ratione optimi abſolutè, naturaliter ſtatim excitatur in nobis vis ſpiritualis æſtimativa, & quodammodo animus dilatatur, & afficitur inclinatione naturali, dictamenque rationis ſeu ſyndereſis judicat evidenter, illud eſſe amandum, & quærendum. De nulla autem chimera eſt evidens naturaliter, & ex nulla chimera credita, colligitur per bonam Conſequentiam practicam, eſſe amabilem propter ſe. Tum quia evidenter falſa eſt Propoſitio hæc. Optimum eſt chimera. Optimum eſt non exiſtens.

Confirmatur 2*dò* illo Argumentandi modo, quem vocant Mirabilem. Vel datur ſingulare quoddam Optimum exiſtentium: vel non datur. Ex utroq; ſequitur exiſtere Optimum: Si datur, Illud erit poſſibili quolibet melius, non exiſtente. Alioquin ſi ſit poſſibile aliud Melius. Ergo exiſtit nunc potentia productiva ipſius Melioris: nam de ratione omnis Entis realis poſſibilis, & non exiſtentis actu, eſt, exiſtere actu intra ſuam potentiam activam. Ergo ſi non habet potentiam activam exiſtentem, non eſt poſſibile. At eſſe intra potentiam activam, eſt eſſe intra cauſam, quæ continet eminenter adæquatè totam perfectionem, & bonitatem effectûs, tanquam quid melius ipſo effectu. Ergo non illud poſſibile, ſed hæc potentia exiſtens, erit melius ipſo poſſibili. Ergo Optimum exiſtentium actu, erit etiam Optimum poſſibilium. Si autem reſpondens, dicat; hoc Optimum ſingulare non exiſtere actu, & nullum dari inter exiſtentia actu Optimum ſingulare inter ipſa. Ex hoc ipſo infero, Exiſtere actu tale Optimum. Nam ſi non exiſtit, ſequitur evidenter, ſingula ſingularia hujus Univerſi eſſe defectuoſa & imperfecta, ac proinde totum Univerſum eſſe melius ſingularibus. Ergo Univerſum eſt Optimum exiſtentium actu, ac proinde & poſſibilium. Jam enim demonſtratum; Optimum exiſtentium actu, eſſe optimum poſſibilium.

At non poteſt eſſe Optimum poſſibilium, neq; in hoc Univerſo eſſe tale Optimum, quin contineat formaliter aut eminenter omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices poſſibiles; nam poſſibiles non exiſtentes, ſunt intra cauſam exiſtentem meliori modô. Ergo exiſtit aliquod Optimum undequaq; perfectum, & in quo ſit cumulus omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Sed hoc non poteſt eſſe totum Univerſum: quia hoc componitur ex partibus defectuoſis: & hoc ipſum eſt defectus, & imperfectio: & de quolibet compoſito ex partibus imperfectis, idem demonſtratur. Ergo vel non exiſtit tale Optimum: vel eſt quoddam ſingulare. At exiſtit tale Optimum. Ergo tale ſingulare Optimum, de quo non poteſt negari eſſe bonum, & ipſum DEUM, quem quærimus.

Confirmatur *3tiò.* Quia eſſe Optimum, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & melius eſt exiſtere illud, & exiſtere cumulum perfectionum omnium ſimpliciter ſimplicium in uno Ente, quàm non exiſtere. Ergo eſt bonum & poſſibile. Antecedentis evidentia, hinc patet. Quia qualibet perfectione ſimpliciter ſimplici, eſt evidens, eſſe meliorem ipſam, quàm non ipſam: & habere præeminentiam, & magnitudinem. Ergo multò evidentiùs idipſum eſt de ipſo cumulo perfectionum: ſicut evidentior eſt magnitudo montis & acervus tritici, quàm unius arenæ, & grani.

Confirmatur *4tò. 5tò. 6tò. 7mò:* Argumentis quatuor quæ ſuccedunt.

3tium. Quia datur Ens unum ſimplex habens cumulum omniũ perfectionum

Argumentum 3tium.

Ab æterno exiſtit Ens unum ſimplex, habens totum cumulum perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Ergo exiſtit DEUS. Conſequentia patet. Nomine enim DEI, intelligitur tale Ens. Antecedens antequam probetur, ſupponuntur duæ proprietates perfectionis ſimpliciter ſimplicis. *1mò*, quòd nulla perfectio ſimpliciter ſimplex eſt univerſaliter oppoſita alteri perfectioni ſimpliciter ſimplici. Ratio eſt. Quia ipſa conventio utriuſque, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. *2do*, quòd nulla ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ ſaltem in aliquo individuo non exſtiterit ab æterno. Ratio eſt, quia alioqui ſit quædam perfectio ſimpliciter ſimplex, verbi gratia:

Sapientia possibilis seu incipiens in tempore, & quæ in nullo individuo exstiterit ab æterno, fuitque possibilis ab æterno, & existens intra suam causam activam: Sapientia incipiens, aut potens incipere in tempore, non fuit Sapientia ab æterno. Ergo causa Sapientiæ non habet perfectionem Sapientiæ, & potest dare perfectionem, quam non habet: quod est absurdum. His suppositis. Probatur Antecedens. Si Ens unum simplex, habens totum cumulum perfectionum simpliciter simplicium, non exstitisset ab æterno, tunc aliqua perfectio simpliciter simplex, in nullo individuo ab æterno exstitisset: quod est absurdum, contra secundam proprietatem. Item si non exstitissent, Sapientia, verbigratia, & Immortalitas in uno Ente simplici, tunc non est possibile, eas perfectiones esse unitè in uno. Si enim id esset possibile, tunc ea unitas esset perfectio simpliciter simplex, ac proinde esset possibilis aliqua perfectio simpliciter simplex, quæ non exstiterit ab æterno: quod est absurdum, contra eandem secundam proprietatem. Si autem dicatur, eam unitatem esse impossibilem. Sequitur evidenter, Sapientiam & Immortalitatem, quæ manifestè sunt perfectiones simpliciter simplices, esse inter se oppositas, & universaliter ita, ut nulla Sapientia, sit immortalis, & nullus immortalis, sit Sapiens. Quod est absurdum, contra primam proprietatem. Fuit ergo ille cumulus ab æterno unitè in uno Ente, & hoc necessarium, est æternum, & non potens aliquando deficere: nam hæc potentia deficiendi, est defectus, & exclusio alicujus perfectionis simpliciter simplicis.

Argumentum 4tum.

4tum. Quia exi-stit bonū undequaque perfe-ctum.

Natura tota fertur ad bonum, quia bonum, non quia malum, nec quia defectuosum: è contra retrahitur ab illo, & incipit sentire fastidium propter defectum animi & dolorem. At Natura non vult ita gubernari, nec bonum est regnare hæc bona, quæ non afferunt pacem, sed inquietudinem perpetuam. Ergo unum bonum est perfectum, in quo sit omnis perfectio. Alioquin unum ex duobus faciendum est: vel cessandum est omnino ab amore: vel indulgendum perpetuæ inquietudini. Hoc secundum, est stultum. Primum non est concedendum; quia prudentis est, bonum amare virtutis. Ergo

ne in hæc abſurda incidamus, fatendum eſt, exiſtere bonum undequaque perfectum.

5tum. Quia datur neceſſariò Intellectus potens intueri omnem veritatem.

Argumentum 5tum.

Intellectus potens intueri omnem caſum verum, ſeu omnem veritatem, exiſtit neceſſariò; ſed eo ipſo, quòd neceſſariò exiſtat, nullum habet defectum, proindeq; habet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ergo &c. Major probatur: quia ſi ille Intellectus poſſet non exiſtere, fiat ergo, quod eſt poſſibile, & non exiſtat; hanc Veritatem non exiſtentiæ ipſius, videre non poterit talis intellectus: nemo enim poteſt intueri ſe non exiſtere, ſeu caſum non exiſtentiæ ſui, & hoc eſt contra hypotheſim; ſupponitur enim intellectus intuitivus omnîs casûs. Ergo &c.

6tum. Eo ipſo, quòd dicitur non exiſtere Deus, exiſtit.

Argumentum 6tum.

Vel exiſtit DEUS, ſeu Ens ſummè perfectum: vel non exiſtit? Si exiſtit: habetur intentum. Si dicatur: non exiſtere. Ex hoc ipſo probatur, exiſtere. Nam ſi non exiſtit, eſt impoſſibile. Ergo datur neceſſitas non exiſtentiæ ipſius. Hæc ergo neceſſitas neceſſariò exiſtit. At quod neceſſariò exiſtit, nullum habet defectum, & eſt ſummè perfectum: ut conſtat ex ſuprà dictis. Ergo eo ipſo, quòd dicatur, DEUM non exiſtere, infertur exiſtere.

7mum. Quia aliàs omnia eſſent imperfecta ex eo, quod non ſint chimera.

Argumentum 7mum.

Exiſtit Ens ſingulare habens in ſe omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices; alioqui ſingula entia carent aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici. At carere aliqua tali perfectione, eſt imperfectio. Nam perfectio ſimpliciter ſimplex eſt illa, cujus carentia, ſubjecto affert imperfectionem. Omnia igitur & ſingula Entia, eſſent imperfecta, quia nullum illorum eſſet Ens habens omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices; quod ex hypotheſi eſt chimera. Ergo omnia ſunt imperfecta, quia non ſunt chimera, quod eſt abſurdum. Item. Ens unum non imperfectum datur, alioqui ſi eſt chimera, omnia ſunt imperfecta, quia non ſunt chimera, id eſt, quia non ſunt non imperfecta.

Argu-

Argumentum 8vum.

Aliquod Ens Volitivum est à se, id est, ab alio non habet suum velle. Ergo est Ens à se, id est, DEUS. Probatur Antecedens. Omne Ens volitivum, vel est ab alio volitivum, vel non? Si secundum, Causam obtinui. Si primum, Ergo volitivum ab alio, non opponitur volitivo à se, tanquam veræ differentiæ volitivi, sed tanquam fictæ & chimericæ differentiæ. At id fieri non potest. Quia sicut scire ab alio, & à Magistro discere, est imperfectio in genere scientis & sapientis; ità velle, & dependere ab alio, in volendo, est manifesta imperfectio in genere volitivi voluntarii, & liberi à necessitate extrinseca. Et Ratio à priori est. Quia tam intelligere, quàm velle, est motus ab intrinseco, qui in hac ratione minuitur per dependentiam ab extrinseco. Perfectio enim opposita imperfectioni volitivi ab alio, est vera differentia Entis. At hæc perfectio est, esse volitivum à se. Ergo &c.

8vum. Quia datur volitivum à se.

Confirmatur. Existit Natura volitiva, quæ sit Domina suprema Universi, & in administratione rerum ab aliis independens; quia in genere Volitivi carere hoc Dominio perfectissimô, est imperfectio. Unde si habere hoc Dominium radicale, esset chimera, omnia volitiva & non volitiva, essent imperfecta; id est, omnia Entia essent imperfecta, ex oppositione ad rationem chimeræ: casu volitivi habentis perfectissimum Dominium; quod est absurdum.

Argumentum 9num.

Existit aliquod Ens à se. Nam alioqui omne Ens esset ab alio. At dependere ab alio, & ipso indigere ad existendum, est imperfectio. Ergo omne Ens est imperfectum, quia non est Ens à se: quod ex hypothesi est Ens chimericum: quæ sequela est absurda. Ergo &c.

9num. Quia datur Ens à se.

Nota. Quòd non sit imperfectio propria generis equi, non esse à se, sed sit imperfectio in genere Entis; unde fit, eqvum non esse imperfectum eqvum, quia non est eqvus à se, sed quia non est Ens à se. Unde planè infertur, non quidem possibilem esse equum à se, sed possibile esse Ens à se.

Argu-

10mum.

Argumentum 10mum.

Quia necessariò existit Legislator supremus.

Omnibus hominibus ratione utentibus, est per se notum. Nunquam esse peccandum. Ergo iisdem notum est, existere Legislatorem supremum, quem offendere graviter, est summum scelus. Malitia enim peccati mortalis sumitur à DEO, ut prohibente. Item. Hæ Propositiones sunt per se notæ, & sempiternæ Veritatis. Nunquam est peccandum. Vivendum est honestè. Ergo per se notum est, existere ab æterno, & nunquam deficere posse debitum saltem remotè, vivendi honestè, ac non agendi turpiter, & contra hoc debitum, esse malitiam moralem, seu potius contra eum, in quo est jus, ne fiat contra hoc debitum. Ergo per se notum est, existere aliquid æternum, cui opponitur malitia moralis, quatenus est voluntaria, & scienter facta: & cui non opponeretur, si scienter non fieret. At hoc ipsum est, affirmare saltem indirectè, existere Naturam æternam, voluntate & ratione præditam. Ergo &c. Deinde. Per se notum est, debitum nunquam peccandi, esse summum debitum; quia homo cognoscit, contra cætera debita, posse aliquando bene aliquid fieri, sed contra hoc, nunquam. Ergo cognoscit Naturam intellectivam, in qua est jus ad hoc debitum, esse honorabilissimam omnium, & cui maximè est parendum.

Addit Pater Perez. Mihi videtur; posse Virum acutum, sinè syllogismo assentiri Existentiæ absolutæ Causæ Primæ. Sumantur enim mente omnia, quæ fiunt & facta sunt: id est Universitas rerum factarum, & consequenter sumatur mente, totum fieri rerum Universitatis factæ. Hoc supposito. Dico hanc Propositionem, esse per se notam. Totum fieri (tam immediatum scilicet, quàm mediatum fieri) rerum, quæ factæ sunt in Universo, est ab aliqua Causa Prima non facta. Hucusq; Pater Perez. Proposita à Patre Perez Argumenta, non esse ferè omnia efficacia, Quiros, Hainoldus, Caregno & alii quidam Theologi asserunt, propter easdem rationes, propter quas, idem senserunt de Argumentatione Divi Anselmi: Et ad Argumenta principalia, Respondent sub distinctione sic: Carens omni defectu, est bonum: ex suppositione quòd carens omni defectu, sit quid reale, & non purè objectivum. Concedunt. Præscindendo

Theologorum judicia de efficacia dictorum.

ab

ab hac suppositione. Negant. Item. Est defectus, non pervenire ad hoc, ut sit Optimum: ex suppositione, quòd Optimum, sive habens omnes perfectiones simpliciter simplices, sit quid reale, & non purè objectivum: seu in mera apprehensione. Concedunt. Præscindendo ab hac suppositione. Negant. Similiter. Intellectus potens intueri omnem casum verum seu omnem veritatem, existit necessariò: ex suppositione, quòd Intellectus talis sit quid reale, & non purè objectivum. Concedunt. Præscindendo ab hac suppositione. Negant. Adduntq; , quòd ferè similibus Argumentis possit demonstrari Mysterium SS. Trinitatis. Ulterius dicunt, quòd illa ipsa existentia Entis Optimi, quæ cogitatur esse in re, possit esse tantùm in apprehensione. Sicut dum apprehenditur Hircocervus currens: eo ipso apprehenditur ipsius existentia esse in re (nihil enim currit, si non existit) quæ tamen existentia actualis, de facto solùm est in apprehensione, & fictitia: seu solùm est signatè, & objectivè. Quod si dixeris: longam esse disparitatem, ex eo, quia ex apprehensione hircocervi, apprehenditur in ipsis terminis contradictio: in apprehensione autem Entis Optimi, nulla apparet contradictio. Si, inquam, hoc dixeris. Respondent illi. Ex hoc, solùm sequi, in hoc: Datur Ens Optimum: non esse notam per se, falsitatem: Sicut nota est in hoc: Datur hircocervus. Non autem sequitur quòd eo ipso sit nota Veritas hujus Propositionis: Datur Ens Optimum. *Argumentorum.*

Ergo conformiter dictis suprà ad Argumenta S. Anselmi, conformiter item menti subtilis Scoti, & Venerabilis Patris Salmeronis; nec non obviando Objectionibus Adversariorum.

Assero *imò*. Prædicta Argumenta probantia Existentiam DEI sub Conceptu. Carentis omni defectu: vel: Entis perfectissimi: vel. Entis volitivi à se, esse satis valida, si proponantur taliter. Ens carens omni defectu; vel. Ens, in quo existit cumulus omnium perfectionum simpliciter simplicium: vel, Ens volitivum à se, si est possibile, existit actu: Ut constat ex dictis etiam suprà. Sed tale Ens est possibile. Tum quia nulla in hoc implicantia, quæ enim? Tum quia (ut rectè ait Pater Perez) defectus statim offendit animum, & quasi repellit, facitq; aliò moveri, ut inveniat bonum perfectum; & firmatâ in nobis ratione Optimi absolutè, statim excitamur ad illud a-

mandum. Vide etiam dicta in libri primi Tractatu tertio, sub Argumento 2do. Ergo existit tale Ens carens omni defectu, seu perfectissimum: seu Ens volitivum à se. Subsumo. Sed nomine talis Entis, intelligitur DEUS, ut clarum est. Ergo existit.

Assero 2dò. Argumenta prædicta principaliora non totaliter conveniunt cum Argumentatione Divi Anselmi: Sed solùm ex parte. Ratio est: quia licèt conveniant in hoc, quòd Existentia DEI probetur ex ipsomet conceptu DEI (licèt non primo Essentiali: hic enim probabilius consistit in Asseitate) qui est, esse Ens perfectissimum: carens omni defectu, quô majus cogitari non potest: adeoq; sint juxta Divum Anselmum & Patrem Perez demonstrationes Existentiæ DEI per Causam metaphysicam, seu virtualem, ideoq; à priori. Conveniunt item secum in hoc, quòd similes ferè objectiones proponi soleant contra Argumentationem Divi Anselmi, & contra Argumenta Patris Perez. Disconveniunt tamen, quòd aliis mediis probet & illustret Pater Perez, dari Ens perfectissimum: & alio medio utatur S. Anselmus ad probandum dari tale in re Ens, quô majus cogitari non potest.

Ens omni defectu carens, necessariò unicũ est.

Nota 1mò Ingeniosè & solidè à Patre Perez probari, quòd Ens carens omni defectu sit necessariò Unicum, proinde & DEUS unicus. Ratio ipsius est. Quia si caret omni defectu, non est Bonum insufficiens; esse enim bonum insufficiens, est defectus: tale ergo bonum, carens omni defectu, est sufficiens sibi & cuilibet bene esse, saltem activè. Sed Bonum omnino sufficiens, est unicum. Si enim sunt plura bona sufficientia, quodlibet illorum, est minoris æstimationis, quàm esset, si esset unicum: nam amittit rationem necessarii boni, & requisiti, quod ipsum est defectus. Deinde, caritas, & Unitas augent pretium, & æstimationem. Sic unicus filius suæ matris, est carior & pretiosior, quàm unus filius ex duodecim: sic unicus oculus monoculi, est pretiosior, quàm solus dexter, habentis duos: & unicus Medicus sufficiens, est honorabilior, quàm unus ex plurimis: & unus Rex, quàm duo: & unus Papa, quàm duo. DEUS itaq; est nobis charissimus & honorabilissimus, quia sufficiens ad omnia: & summè pretiosus; quia unicus: non enim est possibile provocare ad alium: & hoc ipsum est magna excellentia, & opposi-

tum,

tum, defectus. Neq; his obstat Trinitas Personarum Divinarum. Nam in hac, non est multiplex abundantia & sufficientia, sed est unica Essentia, sufficiens sibi, & omnibus ad omnia bona à qua Essentia Personæ Divinæ non distingvuntur immediatè realiter, sed cum illa sunt idem adæquatè intensivè: itaq; omnes tres Personæ Divinæ, sunt unum & solum Bonum sufficiens ad omnia. Hinc habetur falsum esse, quòd non absimili modô, à modo argumentandi Patris Perez, possit probari, dari decem vel plura Entia carentia omni defectu, & Entia optima.

Nota 2dò. Si dicat Adversarius, esse terminos sibi essentialiter repugnantes hos: *Ens* et. *Carens omni defectu.* Item. *Ens* et. *Optimum.* Item. *Ens* et. *Quô majus cogitari non potest:* cùm omne Ens ex suo conceptu dicat essentialiter imperfectionem, quia Abalietatem. Tunc urgendus est, ut hujus sui dicti det rationem, ac probet, Ens ex suo conceptu, esse essentialiter ab Alio: Siquidem solùm Ens reale est id, quod est aptum existere, adeoq; præscindit ab Asseitate, & ab Alietate. Si autem tantummodò dicit, & non probat: nimiùm audax est, imò multùm temerarius. *Ens præscindit ab imperfectione.*

Nota 3tiò, Etiam juxta hìc Patri Perez oppositos, bona est Argumentatio ista. Datur Ens à se. Ergo illud est summè Sapiens, Omnipotens, & perfectissimum in omni genere. Mala autem est juxta omnes, Argmentatio hæc. Datur Ens à se. Ergo illud est Trinitas Personarum summè perfecta, in unitate Essentiæ. Et hoc ex eo, quia ex Asseitate, illæ solùm in particulari perfectiones, nullam involventes imperfectionem inferri possunt, quæ non superant vires naturales cognoscitivas intellectûs creati. Trinitas verò Personarum Divinarum, ut identificata Naturæ (sic enim tantummodo sumpta, nullam involvit imperfectionem, utpote non repugnans Unicitati Divinæ) superat vires naturales creatas cognoscitivas; cùm sit supra illud principium naturale. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ita etiam, licèt esset recta Argumentatio Patris Perez, hæc. Nullum bonum est, esse chimeram. Sed carens omni defectu, est bonum. Ergo non est chimera, sed quid possibile & existens, proinde existit DEUS. Mala tamen erit Argumentatio hæc. Nullum bonum est, esse chimeram. Sed Trinitas summè perfecta, in *Quænam perfectiones ex Asseitate inferuntur?*

in Unitate Essentiæ, est bonum. Ergo non est chimera, sed est quid possibile, & existens. Mala inquam Argumentatio, propter similem rationem datam superiùs.

Nomine Argumenti Pereziani quid intelligitur?

Nota demum 4tò. Non dixi suprà: *Argumenta Pereziana:* Sed. *Argumenta Patris Perez.* Nomine enim Argumenti Pereziani, intelligi solet, Argumentum Mirabile: in quo scilicet ex uno contradictorio, infertur aliud contradictorium. Talis modi argumentandi licèt non fuerit Auctor Pater Perez (multò minùs Cardanus, licèt id sibi, lib. 5. de proport: Proposit: 201, falsò attribuat: tali enim modô argumentandi, pridem antè usus est Euclides lib. 9. Prop: 12. & Theodosius in Sphær: Prop: 12) tamen, quia talem modum argumentandi, in suis scriptis frequenter adhibuit: ut patebit legenti: imò & hìc, bis quidem usus est tali modô (vide suprà, secundum Argumentum ejus, item quintum) ideo Argumentum mirabile, vocari solet, Perezianum.

CAPUT IV.

P. MARTINUS de ESPARZA.

Hispanus, duodecim Vallisoleti, ac Salmanticæ, totidem Annis Romæ, Theologiæ, insignis Professor: Ultra viginti verò edendorum à societate librorum Arbiter fuit: is duobus præcipuè Argumentis, Quæst: 2. de DEO Art: 4. 5. & 9. quæ ipse censet esse Demonstrationes, probat Existentiam DEI.

1mum Argumentum.

Patris Esparzæ Argumentũ 1mum pro Existentia Dei, quia dãtur ve-

Dantur Veritates aliquæ objectivæ, simpliciter necessariæ, ac Essentialiter invariabiles, & æternæ. Quia istæ Propositiones: Quodlibet est, vel non est. Impossibile est idem simul esse & non esse. Homo est animal rationale: & similes sempiternæ veritatis dictæ: cuicunq; enim durationi aut temporis differentiæ applicentur mentaliter ab intellectu, necessariò ac invariabiliter evadunt veræ. Quod fieri non potest, quin dentur à parte rei veritates objectivæ necessariæ & invariabiles. Quia Veritas formalis dependet essentialiter ab objectiva, utpote consistens in conformitate cum il-

la. Veritas autem objectiva, est passio Entis realis, indistincta re- aliter ab eodem. Eatenus enim unumquodq; est verum objectivè ac cognoscibile verè, quatenus à parte rei est tale, quale est repræsentabile & cognoscibile per cognitionem formaliter veram: quapropter implicat in terminis dari à parte rei Veritatem, veramq; cognoscibilitatem, & tamen nihil dari à parte rei, nullamq; existere Entitatem, cum qua identificetur, vel in qua fundetur aliqualiter talis veritas & cognoscibilitas. Ergo datur à parte rei, & verè existit Ens simpliciter necessarium, essentialiter invariabile, ac æternum, quod est DEUS.

Veritates objectivæ æternæ, invariabiles.

Confirmatur. Quia quodlibet verum objectivè, seu cognoscibile verè, vel est cognoscibile immediatè, ratione sui, vel mediatè ratione alterius, adeoq; est motivum, & causativum cognitionis veræ, vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per aliud. Quod autem est motivum, & causativum cognitionis veræ, veram habeat entitatem, & existentiam, necesse est. Siquidem quod nihil est, nec veram habet entitatem, & existentiam, nullum omnino effectum movere & nihil causare potest: ut per se patet. Cùm ergo dentur Veritates aliquæ objectivæ simpliciter necessariæ, & essentialiter invariabiles, ac æternæ, ut constat ex dictis: necesse utiq; est, dari aliquam veritatem motivam, & causativam cognitionis, similiter necessariam, invariabilem, ac æternam: adeoq; necessariò ac invariabiliter existentem ab æterno.

Prædictum Argumentum, & ejus Confirmatio, non excedunt terminos probabilitatis: etsi enim certum sit apud Philosophos, dari Propositiones sempiternæ veritatis, non quidem in hoc sensu, quasi aliqua Propositio creata exstiterit extra DEUM ab æterno: sed quia per nullam potentiam, res potest se aliter habere, quàm enuntiant: seu ut lib. 2. contra Gentes cap: 25 Divus Thomas ait: Quibus contraria, ne quidem DEUS facere potest: tamen communiùs docetur, Propositionum æternæ veritatis sensum esse conditionalem: verbi gratia, hujus Propositionis. Homo est animal rationale. Sensus est iste: si, & quando existit homo, non existit, nisi animal rationale. Proinde consequenter verificativum talium Propositionum, non debet esse tale quid, quod sit actu, sed quod esset: quia non affirma-

Quid sentiendum de robore hujus Argumenti.

tur esse tale actu, sed quod esset tale actu; quare nulla est necessitas hic recurrendi ad æternam necessitatem absolutam.

2dum Argumentum.

2dum Argumentũ. Quia ens carens omni defectu est necessarium in existendo.

Ens carens omni defectu, & continens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem, nec est impossibile, nec contingens. Ergo est necessarium, & datur semper à parte rei tale ens: seu quod idem. Datur purum & summum Bonum. Consequentia est evidens. Antecedens quò ad hanc partem: quòd tale Ens, non sit impossibile. Probatur. Quia nulla bonitas, & perfectio formaliter, & præcisè ut talis, est contradictoriè opposita ulli alii bonitati, & perfectioni formaliter & præcisè ut tali. Cùm contradictorium formale cujusvis bonitatis, sit sola malitia, seu defectus & imperfectio: sicut contradictorium formale lucis, sunt solæ tenebræ. Sed neq; potest ulla bonitas, & perfectio, quatenus talis formaliter ac præcisè: seu ex conceptu bonitatis & perfectionis secundùm se, esse essentialiter connexa cum defectu & imperfectione contradictoriè opposita formaliter ulli alii bonitati ac perfectioni præcisè ut tali; quia talis connexio, est formaliter defectus, & imperfectio: repugnat verò ut bonitas aliqua & perfectio formaliter ac præcisè ut talis, sit malitia aliqua, & imperfectio formaliter ut talis; sicut repugnat, lucem aliquam, esse formaliter aliquas tenebras, ut tales. Ergo &c. Neq; etiam Ens carens omni defectu est quid contingens, aut ex contingentibus conflatum: quæ est Pars secunda Antecedentis. Ratio est. Tum quia contingentia & defectibilitas, est proculdubio defectus aliquis & imperfectio, cùm sit capacitas non existendi: id est mali, quod omnia fugiunt, quantum possunt; & capacitas mali, sit aliquod malum. Tum quia contingens in existendo, indiget alio, vi cujus determinetur ad esse: indigentia autem est manifestus defectus, & imperfectio.

Argumentum istud convenit in re cum Argumentis principalioribus suprà positis Patris Perez. Unde de istius validitate, idem assero, quod de priorum validitate, superiùs asserui.

Eruditionis gratia, appono hic, alia quatuor Argumenta, non multùm inter se, & à superioribus disconvenientia: quidve ad illa respon-

reſpondere ſoleant Oppoſiti.

Primum Argumentum. Evidens eſt exiſtere Ens ſimpliciter neceſſarium in exiſtendo, ſi illud eſt poſſibile. Sed implicat in ipſis terminis, quòd Ens ſimpliciter neceſſarium in exiſtendo, non ſit poſſibile. Ergo evidens eſt illud exiſtere, proinde exiſtit DEUS. *Quatuor alia Argumenta quorundam pro exiſtentia DEI.*

2dum Argumentum. Æquè evidenter connectitur Ens neceſſarium cum actuali exiſtentia, atq; impoſſibile cum non exiſtentia. Sed ex impoſſibili apprehenſo, ut impoſſibili, colligitur evidenter illius non exiſtentia. Ergo ex Ente neceſſario ut tali apprehenso, colligitur evidenter illius exiſtentia actualis.

3tium Argumentum. Evidens eſt, bonum, cum Ente non efficere chimeram. Ergo evidens eſt, Optimum cum Ente non efficere chimeram: atq; adeo eſſe quid reale, Ens Optimum, ſive DEUM. Conſequentia probatur. Quia eatenus eſt evidens bonum cum Ente non efficere chimeram, quatenus eſt evidens, bonum eſſe Enti, eſſe bonum. Sed evidens conſequenter eſt, melius eſſe Enti, eſſe Optimum. Ergo &c.

4tum Argumentum. Evidens eſt, quòd Ens cum carentia ſui contrarii, non conſtituat aliquid impoſſibile. Sed Ens cum carentia omnis defectûs & imperfectionis, eſt Ens cum carentia ſui contrarii. Ergo evidens eſt, quòd Ens cum carentia omnîs defectûs & imperfectionis, non conſtituat aliquid impoſſibile, ſed potius aliquid maximè neceſſarium, ſcilicet, Ens Optimum.

Ad hæc quatuor Argumenta reſponderi ſolet ſub una Diſtinctione. Scilicet *ad Primum.* Tranſita Majore. Diſtingvitur Minor. Implicat, quòd Ens ſimpliciter neceſſarium non ſit poſſibile, in eodem ſtatu, in quo eſt ſimpliciter neceſſarium. Conceditur. In diverſo ſtatu. Negatur Minor. Ergo evidens eſt illud exiſtere, in eſſe objectivo. Conceditur. In eſſe reali Negatur Conſequentia.

Ad 2dum. Diſtingvitur Major. Si Exiſtentia & non exiſtentia comparentur in eſſe objectivo. Conceditur. Si comparentur in eſſe reali. Negatur. Et Minore conceſſâ. Diſtingvitur Conſequens. Ex Ente neceſſario ut tali apprehenso, colligitur evidenter illius exiſtentia actualis, in eſſe objectivo. Conceditur. In eſſe reali. Negatur.

Ad 3tium, Conceſſo Antecedente, Diſtingvitur Conſequens, & con-

conceditur Consequentia, ex suppositione, quòd Optimum sit quid reale, & non purè objectivum. Negatur autem, præscindendo ab hac suppositione.

Ad 4tum. Data Majore. Distingvitur Minor. Ex suppositione, quòd tale Ens sit aliquid reale, neq; purè objectivum. Conceditur Minor. Præscindendo ab hac suppositione. Negatur.

Ne totaliter vis horum Argumentorum à data Distinctione concidat, consule dicta cap. 2. & 3.

CAPUT V.

JOANNES BAPTISTA MORINUS.

Morinus quis fuerit?

FUit is Natione Gallus, Doctor medicinæ, & Parisiis Regius Mathematicæ Professor: natus Anno 1583, obiit verò 1656. Juvenis annorum sedecim, Philosophiam docuit apud Aquenses: Cartesio & Galilæo de Gallilæis familiaritate conjunctus. Edidit ille librum de vera cognitione Dei ex solo naturæ lumine per theoremata adversùs Atheos, Mathematico more demonstrata: qui liber (ut ipse refert lib. 1. Astrologiæ gallicæ) fuit à Philosophis & Theologis, insigni plausu exceptus ob methodi in hisce rebus tractandis novitatem, ac brevitatem. Probatio istius veritatis, quòd DEUS sit, ab ipso data, supponit Definitiones 13. Axiomata 22, illasq; Definitiones & Axiomata supponit Morinus esse omnino certa, & ex illis deducit theoremata 40. ex quibus demum theorematibus concludit existere Deum. Porro Argumentationis ejus medulla consistit in hoc discursu ad Argumentum tale reducibili.

Ejus Argumenta pro Existentia Dei.

Omne Ens finitum habet suum esse ab Ente infinito; sed Mundus hic finitus est. Ergo habet esse ab Ente infinito. Subsumitur. Sed infinitum hoc Ens, est Deus. Ergo existit Deus.

Major hujus Argumenti probatur. Quia Ens finitum habet esse ab alio Ente. Ergo ab Ente finito, vel ab infinito. Si hoc: habetur intentum. Si illud; rursus dicetur hoc finitum Ens habere esse ab alio Ente finito, vel ab infinito: sicq; vel iterum habebitur intentum· vel continuabitur progressus in qualemcunq; numerum Entium finitorum; contra illud Axioma: In causis non datur progressus in infini-

finitum. Qui numerus ideo nequit esse infinitus, quia infinitum est indivisibile.

Minor etiam probatur. Nam globus terrestris, non est totus Mundus, sed pars Mundi: idemq; dicetur de sole, luna, & quolibet Astro, vel etiam Cœlo. Ergo Mundus est aliquod totum ex illis partibus compositum, ideoq; in illas divisibile: ac sic Mundus non est infinitus.

Subsumptum itidem illius Argumenti probatur. Quia Ens infinitum est, quod nullis essendi limitibus includitur. Est item purus Actus: aliàs essendi limitibus includeretur. Est item immutabile: aliàs non esset purus Actus: est item unicum: non possunt enim esse duo Entia infinita: quia infinitum essentiâ vel entitate, est omne id, quod est, vel esse potest. Finita etiam corporis essentia nequit esse subjectum accidentis infiniti: qualis esset extensio infinita vel aliqua qualitas. Ens item infinitum est indivisibile. Non enim est divisibile in duo Entia infinita, aliàs pars esset æqualis toti. Nec possunt esse duo Entia infinita, juxta dicta. Nec est divisibile in finitum & in infinitum. Nam detractô finitô, semper relinqueretur infinitum. Ergo Ens infinitum est indivisibile. Insuper, ut constat ex dictis, Ens infinitum est simplicissimum, quia si aliquo modo esset compositum, tunc esset divisibile in ea, ex quibus componeretur, & sic non esset indivisibile Hæc autem prædicata, Esse actum purum: Esse id omne, quod est, vel esse potest: Esse Ens immutabile, unicum, indivisibile, simplicissimum. Hæc inquam prædicata, sunt convertibilia cum Deo.

Confirmatur vis Argumenti superioris. Mundus hic creatus est in tempore ab Ente infinito. Ergo existit Ens infinitum, proinde Deus. Antecedens probatur: quia Mundus hic, finitus est, ut suprà ostensum. Ergo non est æternus Nullum enim Ens finitum est, vel esse potest ab æterno. Aliàs essent duæ numero æternitates, & sic darentur duo infinita, quod implicat. Accedit: quia si numerus gyrationum primi Mobilis ab æterno hucusq; esset infinitus, eo ipso numerus ille non erit numerus: nam omnis numerus est divisibilis; infinitum autem est indivisibile.

Argumenta proposita licèt Morino videantur evidentissima: mi-

Multa incerta continent. hi tamen nec videntur evidentia, imò nec probabilissima. Multa enim in illis continentur, Doctissimorum Virorum controversiæ jure-merito obnoxia, proinde nec omnino certa & evidentia; imò aliqua in illis continentur, quæ vix gradum alicujus probabilitatis attingunt.

Primò enim incertum est, An numerus nequeat esse infinitus. Gravissimi enim plurimi Theologi ac Philosophi asserunt, possibile esse infinitum Categorematicum in numero, seu multitudine, non solùm Entium spiritualium, verbi gratia. Angelorum, Animarum rationalium, cognitionum; sed etiam infinitum Categorematicum corporum, seu Entium materialium. Ita teste Josepho Polisio asseruerunt omnes antiqui Philosophi ante Aristotelem, imò & ipse Aristoteles, & præter illos Veteres, Mairon, Occam, Bacconius Ariminensis, Almainus, Vasquez, Hurtadus, Ariaga dicens hanc sententiam esse communem inter modernos: Comptonus, Polisius, Oviedo &c. Divus Thomas, saltem fuit hac in parte dubius, dicit enim Opusc: 25. Adhuc non esse demonstratum, quòd Deus non possit facere, ut sint Entia infinita actu. Imò suppositâ communi sententiâ, quòd Continuum componatur ex partibus in infinitum divisibilibus, & quòd illæ partes sint actu distinctæ: sequitur dari actu infinitum categorematicum in multitudine partium non penetratarum in continuo: ut docet Oviedo, Ariaga, & plures alii acutissimi Recentiores; hancq; sententiam ego olim in Philosophia docui, & nunc etiam censeo eam esse multùm saltem probabilem. Non pauci item gravissimi Auctores docent, posse dari infinitum in intensione, imò etiam in extensione; unumq; infinitum posse esse majus altero, & dividi in plura infinita. Proinde incertum est, debere infinitum esse nonnisi unicum, simplicissimum, & indivisibile.

Secundò, incertum est, quòd infinitum nullis essendi limitibus includatur: siquidem juxta sententiam probabilem, unum potest dari majus altero. Imò in sententia multorum Scotistarum, est possibile in creatis infinitum categorematicum secundum Essentiam, quod tamen includeretur intra limites Abalietatis, dependentiæ ab Ente à se.

Tertiò, non est omnino evidens, in causis non dari, nec posse dari progressum in infinitum.

Quartò, incertum est, quòd nullum Ens finitum potuerit esse ab æterno.

Quin-

Quintò, incertum est, quòd subjectum infiniti non possit esse Ens aliquod finitum. Cur enim Anima rationalis, quæ est ens finitum, non possit esse subjectum gratiæ infinitè intensæ? imò & paries, cur non possit esse subjectum infinitè intensæ albedinis vel alterius coloris?

Sextò, incertum est, ut constat ex dictis, quòd positis duobus Infinitis, sequeretur, partem esse æqualem toti. Quanquam Principium hoc: *Omne totum est majus sua parte.* et. *Nulla pars potest esse æqualis suo toti.* An locum habeat in infinito, controvertunt Doctores. Non pauci enim illud Principium habere locum in infinito negant: ut Ariminensis, Holcot, Bassolis, Major, Ægidius, Ferrariensis, Capreolus, Soncinnas, Conimbricenses 3. Physi: Cap. 8. Q. 2. Art. 4. ad 2. Vasquez, quos omnes citat & sequitur Pater Joannes Baptista de Benedictis in sua Physica: & rationem dat; quia cùm excedere, in rigore sit progredi ultra mensuram & terminum alterius, & infinito mensura ac terminus non sit, ideo quantumvis infinitum unum comparetur ad aliud, ut totum ad partem, non potest illo esse majus.

CAPUT VI.

RENatus des Cartes, *vulgò Cartesius*, qui Joanni Dolæo Medico, est Philosophiæ Sanæ & reformatæ Antistes: Peripateticis verò Philosophis, insanæ & deformatæ Philosophiæ Author censetur, vel saltem Patronus (cujus descriptionem vide fusiùs in libro meo cui titulus: *Gradus ad Atheismum*, in Tract: 3tio) is in libro, cui titulus: Meditationes de prima Philosophia edito Amstelodami, post annum 1640, proponit Rationes, Existentiam Dei probantes (ut ipse ait) more geometrico dispositas, tali modô.

Cartesii propositiones, quibus Argumenta ejus infundantur.

Propositio Prima.

Dei Existentia ex sola ejus Naturæ consideratione cognoscitur.

Demonstratio.

IDem est dicere, aliquid in rei alicujus natura sive conceptu contineri, ac dicere idipsum de ea re esse verum, sive de ipsa posse

affirmari. Atqui Exiftentia neceffaria, in Dei conceptu continetur: quia in omnis rei Idea, five conceptu, continetur Exiftentia. Nihil enim poffumus concipere, nifi fub ratione exiftentis: nempe continetur exiftentia poffibilis, five contingens in conceptu rei limitatæ: neceffaria verò & perfecta, in conceptu Entis fummè perfecti. Ergo verum eft de Deo dicere, neceffariam exiftentiam in eo effe, five ipfum exiftere.

Confirmatur. Sicut ex eo, quòd verbi gratiâ, percipiat mens noftra in Idea trianguli, neceffariò contineri tres ejus angulos æquales effe duobus rectis, planè fibi perfvadet, triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis. Ità ex eo, quòd mens noftra percipiat exiftentiam neceffariam & æternam in Entis fummè perfecti idea contineri, planè concludere debet, Ens fummè perfectum exiftere.

Propofitio 2da.

Dei Exiftentia ex eo folo, quòd ejus idea fit in nobis, à pofteriori demonftratur.

Demonftratio.

Realitas objectiva cujuslibet ex noftris Ideis requirit caufam, in qua, eadem ipfa realitas non tantùm objectivè, fed formaliter vel eminenter contineatur. Hæc Propofitio, tam neceffariò eft admittenda, ut ab ipfa una, omnium rerum, tam fenfibilium, quàm infenfibilium cognitio dependeat. Unde enim fcimus, exempli caufa, Cœlum exiftere? an quia illud videmus? At ifta vifio, mentem non attingit, nifi quatenus idea eft, idea inquam, menti ipfi inhærens, non autem imago in phantafia depicta. Nec ob hanc ideam, poffumus judicare. cœlum exiftere, nifi quia omnis idea caufam fuæ realitatis objectivæ habere debet realiter exiftentem, quam caufam judicamus effe ipfum Cœlum: & fic de cæteris. Sic probatâ Majore, probatur Minor. Sed habemus ideam Dei, hujusq; Ideæ realitas objectiva, nec formaliter, nec eminenter in nobis continetur, nec in ullo alio, præterquam in ipfo Deo, poteft contineri. Ergo hæc Idea Dei, quæ in nobis eft, requirit pro caufa Deum, proinde exiftit. Minoris prima pars, probatur. Quia nomine Ideæ, intelligo (inquit Cartefius) cujus-

cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem, ipsius ejusdem cogitationis conscius sum. Secunda etiam pars Minoris probatur. Quia sunt diversi gradus realitatis sive Entitatis; nam substantia, plus habet realitatis, quàm Accidens, vel modus: & substantia infinita, quàm finita: ideoq; etiam est plus realitatis Objectivæ in idea substantiæ, quàm accidentis, & in idea substantiæ infinitæ, quàm in idea finitæ.

Propositio 3tia.

Dei Existentia demonstratur etiam ex eo, quòd nos ipsi habentes ejus Ideam, existimamus.

Demonstratio.

SI vim haberem meipsum conservandi, tantò magis haberem etiam vim mihi dandi perfectiones, quæ mihi desunt. Quia qui potest efficere id, quod majus est, sive difficilius, potest etiam efficere id, quod minus: & majus est creare vel conservare substantiam, quàm attributa: non autem majus est creare idem, quàm conservare. Ego autem non habeo vim mihi dandi istas perfectiones: alioqui enim jam ipsas haberem. Ergo non habeo vim meipsum conservandi. Deinde non possum existere quin conserver, quamdiu existo: atqui non habeo vim meipsum conservandi. Ergo ab alio conservor. Præterea ille à quo conservor, habet in se formaliter vel eminenter omne id; quod in me est: in me autem est perceptio multarum perfectionum, quæ mihi desunt, simulq; Ideæ Dei. Ergo est etiam in illo, à quo conservor, earundem perfectionum perceptio. Deniq;, ille idem non potest habere perceptionem ullarum perfectionum, quæ ipsi desint, sive quas in se non habeat formaliter, vel eminenter: cum enim habeat vim me conservandi, ut jam dictum est; tantò magis habet vim sibi, ipsas dandi, si deessent: habet autem perceptionem earum omnium, quas mihi deesse atq; in solo Deo esse posse concipio. Ergo illas formaliter vel eminenter in se habet, atque ità est Deus.

Corollarium.

Creavit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, insuperq́; potest efficere id omne, quod clarè percipimus, prout idipsum percipimus.

Demonstratio.

HÆc omnia clarè seqvuntur ex præcedenti propositione, in ipsa enim Deum existere, ex eo probatum est, quòd debeat aliquid existere, in quo formaliter vel eminenter sint omnes perfectiones, quarum idea aliqua est in nobis. Est autem idea tantæ alicujus potentiæ, ut ab illo solo, in quo ipsa est, cœlum & terra procreata sint, & alia etiam omnia, quæ à me, ut possibilia, intelliguntur, ab eodem fieri possint. Ergo simul cum Dei Existentia, hæc etiam omnia de ipso probata sunt. Hucusq́; Cartesius.

Propositiones dictæ cum suis probationib9 non subsistere declarantur

Proposita ejus Argumenta à gravissimis Doctoribus reprobantur, atq́; meritò: siquidem illa Argumenta, quæ Cartesius censet esse perfectas certissimas & evidentissimas demonstrationes, continent in se multa falsa, multa quoq́; incerta. Nam in Probatione primæ Propositionis, falsa sunt hæc. *In omni rei idea, sive conceptu, continetur Existentia.* et. *Nihil potest concipi, nisi sub ratione existentis, sive contingenter, sive possibiliter.* Falsa inquam: tum quia multi sunt conceptus, in quibus etiam à possibilitate rei, non tantùm ab existentia præscinditur. Tum quia concipiuntur negationes atq́; chimeræ. Deinde in dicto Argumento, si intelligitur conceptus formalis; tunc conceditur dari illum, verum, in quo affirmetur necessaria existentia Dei. Quodsi intelligitur conceptus objectivus; negabitur suppositum, dari eundem. Unde prius supponitur, quod deberet probari.

Ad Confirmationem Respondet Pater Caregno. Sicut inquit ex eo, quòd verbi gratia, percipiat mens nostra in idea trianguli, necessariò contineri tres ejus angulos, æquales esse duobus rectis; non infertur existere in rerum natura, tres angulos, nisi ex suppositione, quòd in rerum natura sit triangulus; ita ex idea Entis summè perfecti, in cujus conceptu objectivo includitur existentia realis, non infertur dari in rerum natura talem existentiam, nisi ex suppositione quòd in rerum natura detur Ens summè perfectum. Ratio etiam à pri-

priori utriusq; est; quia ex toto non infertur pars, nisi juxta statum, in quo totum ipsum supponitur.

2da Propositio falsa est, quia æquivalet huic, vel saltem sequitur ex illa, universalior hæc. *Existentia rei, ex eo solo, quòd ejus idea sit in nobis, à posteriori demonstratur.* Quod per se est falsum, maximè supposito, quòd in sensu Cartesii, idea, sit forma illa cogitationis, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscius sum: consequenter enim hoc nihil est aliud, quàm ipsa cogitatio, vel ad summum Attentio ad propriam cogitationem: ex cognitione autem rei, evidens est, non sequi existentiam rei, aliàs cognoscendo plures Mundos præter hunc, qui defacto est, deberent existere plures Mundi à parte rei. Quod si Cartesius intelligit, per Ideam Dei, Speciem impressam Dei; tunc negatur suppositum, dari eam in viatoribus, (imò multi Theologi negant, eam etiam esse absolutè possibilem) Deus enim in via cognoscitur abstractivè solùm per species alienas, quarum realitas objectiva, causam tantùm postulat in illo Ente, cujus sunt species. De Cœlo dispar longè est Ratio. Quia Cœlum intuitivè cognoscimus per species proprias: secus Deum & multa alia. Etiamsi in idea seu cognitione objecti, tantò plus sit realitatis, quantò plus est in ipso objecto: hoc est. Etiamsi tantò perfectior (cæteris paribus) sit cognitio, quantò habet perfectius objectum: non ideo tamen, si objectum in nullo continetur formaliter, aut eminenter, nisi in Deo, cognitionis debet esse causa ipse Deus. Quia hoc fortè requiritur utcunque ad cognitionem intuitivam, sed non ad abstractivam.

3tia etiam Propositio, cum suis probationibus, non subsistit. Falsum enim est. *1mò.* Quòd, si vim haberem meipsum conservandi, tantò magis haberem vim dandi perfectiones quæ mihi desunt. Quia perfectiones, quæ mihi desunt, sunt infinities plures, & majores, quàm meum ipsius esse à me conservandum: & sic licèt si homo posset se conservare, non ideo posset sibi dare perfectiones Angelicas. *2dò.* Falsum universaliter. Qui potest efficere majus, potest & minus. Ut patet in homine, potente generare hominem, non lapidem aut plantam, aut bovem. Item. Licèt Petrus Theologus possit optimè discurrere de Deo: non sequitur inde, quòd etiam possit portare doli-

um

um cerevisiæ. Unde limitandum est illud Principium, scilicet. Qui potest plus, potest & minus: si plus & minus sint in eodem genere, & nulla specialis Ratio obsit. In proposito autem Argumento, plus & minus sunt in diversa Ratione. *3tiò.* Falsum est. Majus esse, creare, vel conservare substantiam suam, quàm dare sibi perfectiones, quæ sibi desunt. Quia perfectiones quæ desunt, possunt esse meliores; & perfectiores incomparabiliter, quàm substantia conservanda. Desultoriè item, & inconstanter subjungitur ista Propositio. *Majus est creare vel conservare substantiam, quàm attributa.* Quia perfectiones, quæ mihi vel alteri substantiæ desunt, non possunt dici mea, vel illius substantiæ attributa: esse enim possunt illæ perfectiones non consectariæ ad meam vel alterius substantiam, sed potius illi repugnantes, & illam infinitè excedentes. Corollarium non subsistit, quia priores Propositiones cum suis Probationibus non subsistere, ostensum est suprà. Desinant proinde Cartesiani, recensitas sui Principalis Rationes, in elenchum certissimarum ac evidentissimarum Demonstrationum reponere, multas siquidem incertas, quin & erroneas complectuntur Propositiones.



Li-

LIBRI SECVNDI
PRO DEO CONTRA ATHEOS.
TRACTATUS SECVNDVS.

Doctissimorum novem Philosophorum Veterum RATIONES VALIDÆ RECENSENTUR, *Atheismi eversivæ.*

S. Thomas à veteribus Philosophis, irrefragabiliter Existentiam Dei probatam esse dicit.

ANgelicus Doctor S. Thomas Quæstione 10. de Veritate art. 12. ait. *Opinio quorundam, qui dixerunt, quod Deum esse, non est per demonstrationem scitum, sed est tantùm à fide susceptum, manifestè falsa apparet. Invenitur enim hoc, quod est, Deum esse, rationibus irrefragabilibus etiam à Philosophis* (scilicet Veteribus, multò magis etiam à Patribus) *probatum.* Plurimorum Philosophorum, Theologorum, & Patrum libros (inter acervos licet aliarum occupationum ferè semper positus) accuratè diuque revolvi, solicitè quærendo has rationes irrefragabiles, & quas reperi, ex ipsis fontibus, non ex rivulis desumptas, in Tractatu hoc 2do, & sequenti 3tio, propono, & quidem propono ipsissimis Auctorum verbis; id enim & ad rerum Auctoritatem, & ad Antiquitatis memoriam, & ad Veritatis majorem testificationem, nec non ad legentium multiplicem utilitatem atq; etiam Voluptatem, magnopere pertinere sum arbitratus. Quid enim aut jucundius, aut utilius esse potest? quàm gravissimos Viros, sua verba loquentes, & contra Atheismum insurgentes audire? magnoq; tum librorum, tum temporis æquè ac laboris compendiô, legere tot Veteres Philosophos, ac Patres, Atheismum ever

Probationum illarum, ex Philosophis & Patribus de-

sumptarũ congeries, cur Lectori displicere non debeat?

evertentes? *habere collectum quasi in unam Coronam, germen floridum* (Verbis loquor Cassiodori) *quod per librorum Campos passim fuerat antè dispersum?* Nec ulli prudenti, labor hic meus displicere debet: nam si *Collectori Sententiarum è libris, soli stulti malè affecti sunt*: ut Orator Regius antiquissimus, suaq; ætate per Europam & Asiam celeberrimus, Isocrates notavit in Oratione ad Nicoclem Regem Cypriorum: &, si judiciô omnium rectè sentientium, laudabiliter, S. Prosper, librum integrum Sententiarum trecentarum octoginta octo; & Venerabilis Beda, Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli confecerunt, excerpendo hæc omnia ex Divi Augustini Operibus, ejusmet ferè verbis; Cur ægrè ferant bene docti, quòd non solùm ex unius S. Augustini, verùm ex tot insuper Doctorum, ac Philosophorum Veterum libris, collectas exhibeam Atheismi subversivas rationes? sicq; eas *quærenti* (ut non in multum absimili materia loquitur Magister Sententiarum in suo Prologo in lib. Sent:) *non erit necesse librorum numerositatem evolvere, cui brevitas, quod quærit, sinè labore offert*; illi præsertim, cui vel tempus evolvendi plures libros, vel voluntas, vel libri etiam, vel demum simul hæc omnia desunt, ut quærat illas rationes in vastis Voluminibus. Sancto Paulo ad Areopagum adducto, non displicuit, (Actorum Cap. 17.) Existentiam Dei confirmare ex loco quodam Arati, qui fuit Pöeta Græcus, & Astrologus; mihi ex Gentilium multorum Philosophorum scriptis, idem præstare placuit. Et licèt quandoq; aliquomodo secum convenire videantur Rationes diversorum Auctorum adducendorum; differunt tamen illustrationibus, similitudinibusq; ac modis aliis, unaq;, aliam efficaciorem reddit. Addo insuper ex Magno Hypponensi Præsule lib: 2do de Baptismo contra Donat: Cap. 1. *Ea, quæ instructioni sunt necessaria, sæpiùs oportet insinuare tardioribus, & cùm eadem multipliciter varieq; tractantur, atq; versantur, ipsos quoq; capaciore intelligentiâ præditos adjuvant, & ad facilitatem sciendi, & ad copiam differendi.* Porro in præsenti Tractatu inducuntur novem Antiqui Philosophiæ Proceres, scilicet: Trismegistus, Plato, Aristoteles, Seneca, Epictetus, Galenus, Empyricus, Plotinus, & Philo; quorum rationes propono. Quanto verò in pretio habenda sit prædictorum Philosophorum Auctoritas, indicant aliquatenus, limen tamen veritatis non excedentia, Elogia, quæ singu-

Elogia, Philosophis & Patribꝰ quæ

lis

lis apponuntur (idem præstiturus & in Tractatu tertio, Patribus adducendis) ut inde etiam aliquomodo extrinsecum majus eorum rationibus addatur pondus, & pervicacia contradicentium, graviùs rubore suffundatur. Jam ergo audiantur Philosophi veteres, rationibus suis Atheismum evertentes, inhæreatq; simul menti, dictum illud Nicetæ apud S. Clementem lib. 2do. Recognitionum: *Solet frequenter accidere, ut, qui Veritatem defendit, non semper obtineat, dum aut in aliquo præventi sunt Auditores: aut non grandem curam melioris sententiæ gerunt.* *re apposita?*

CAPUT I.

HERMES MERCURIUS TRISMEGISTUS.

HIc *Physicorum* seu Philosophorum *omnium*, teste Tertulliano lib contra Valentianos Cap. 15. *Magister* fuit. *Hunc Cicero ait* (ut scribit Lactantius lib. de Ira Dei Cap. 11.) *in numero Deorum apud Ægyptios haberi, scilicet, qui ob virtutem, multarumq; artium scientiam, Trismegistus nominatus est: & erat non modò Platone, verùm etiam Pythagorâ, septemq; illis Sapientibus longè antiquior.* Vixit enim ante Christum ferè mille quingentis annis; cùm tamen septem Sapientes, Christi Nativitatem tantummodò circiter sexcentis annis præcesserint. Multa de Deo scripsit vera, similiaq; doctrinæ Moysis, præsertim in Pimandro, & Asclepio, prorsus adeò, ut nonnulli eum vocaverint Moysen Ægyptium. De rerum autem Principiis (ut refert ex Meneteo Jamblichus lib: de Mysteriis §. 39.) scripsit 36525. volumina. *Cui inter Deos tantus honor, cultusq; à vobis* (ut dicit S. Augustinus lib. de 5. hæresibus. Cap. 3. alloquens Paganum) *allatus, ut ejus nomine; diem Domini vocaretis.* Qui teste Horatio lib. 1. Carm: Ode 10, fuit Nepos Atlantis, juxta illud: Mercuri facunde Nepos Atlantis. Te canam Magni Jovis & Deorum Nuncium. Hujus igitur totius Vetustatis Ore celebratissimi Mercurii argumenta Capite 5to Pimandri contra Atheismum, audiantur. *Quis fuerit iste Mercurius? Cur nominatur Trismegistus? Quot libros scripsit?*

„[Cùm statuam & Imaginem absq; fabro & pictore fi-
„eri, nullus asserere audeat: miram Mundi hujus constituti-

 onem,

Judiciô Mercurii, Atheus cæcus est, nimisq; impius.

Multa Divinæ artis opera, in formatione corporis humani relucent.

,onem sine Conditore constitisse putabimus? O cæcum ,homunculum! O nimis impium! O profundis obrutum ,ignorantiæ tenebris! cave, cave O Fili mi Tibi, ne unquam ,artificium prives Artifice- Si per ea, quæ terrâ sustinen- ,tur fragilia, & aquæ profunditate conduntur, Deum Arti- ,ficem investigare volueris, age Fili, circumspice humani ,Corporis opificium, cujus admonitione perdisce, quis tam ,pulchræ Imaginis Conditor? quis oculorum Pictor? quis ,aures, naresq; tornavit? quis labia distendit oris? quis ner- ,vos tetendit, atq; ligavit? quis irrigavit venas? quis ossa ,congessit solida? quis carnem pelliculâ tenui circumte- ,xuit? quis digitos, articulosq; discrevit? quis fundamen- ,ta pedum extendit? quis perforavit poros atq; meatus a- ,peruit? quis splenem coëgit, atq; compressit, quis pyra- ,midis figuram cordi impressit? quis jecoris porro texit ,fibras? quis pulmonum sculpsit fistulas? quis aluo capa- ,cem amplitudinem tradidit? quis honoranda corporis ,membra in propatulo figuravit? quis obscæna, in obscu- ,ro prorsus abdidit, eaq; ab aspectu, cernentium voluit se- ,creta jacere? Vide, quot Divinæ artis opera in una mate- ,ria demonstrantur? singulaq; pulchra rectèque dimensa, ,nec non propriis invicem officiis differentia. Quisnam ,singula finxit? qualis Mater? qualis Pater? nonne ,hæc solus ipse invisibilis Deus, cuncta propriâ voluntate ,molitus est?- Utinam Fili, tibi daretur facultas, ut ala- ,rum adminiculô in sublimem àëris plagam volares, me- ,diamq; inter Cœlum ac terram, regionem sortitus, con- ,spiceres terræ quidem soliditatem, maris diffusionem, flu- ,xum fluminum, àëris amplitudinem, ignis arctam cele- ,ritatem. O felicissimum Fili spectaculum! O beatissimam

Nec non in productione totius Mundi.

visio-

,visionem! siquidem uno luminum motu, seriem totius ,Mundi comprehenderes, immobilemq; Factorem conci- ,tum latentem quoq; perspicuum cerneres.]

Porro idem Mercurius, Deum esse Unum probat duplici ratione: scilicet. Tum ex recta gubernatione Mundi: tum quòd Unitas sit principium multitudinis, non è contra: addit & congruentiam hujus, desumptam ex unitate Mundi. Verba ejus 2. par: Pymand: Serm. 1. sunt hæc. ,[Impossibile est esse plures Factores, neq; enim Ordo unus ,servaretur in multis, nam qui inter illos imbecillior esset, ,potentiori invideret, ex quo seditio oriretur] *Et serm. 4.* ,*Pymand:* [Unitas, omnium Principium, radix & origo: ,absq; vero Principio nihil. Principium ex nullo, nisi à se- ,ipso dependet. Unitas ergo Principium, omnem nume- ,rum continet, à nullo contenta.] *Item 2. Pymand: serm. 1.* ,[Deus est Unus, quia anima una, una materia, unica lu- ,na, sol unus, Mundus unus.] *Additq;.* [Esse Unum omni- ,um Auctorem, perspicuum est. Quisnam iste, quis alter ,præter unicum Deum? Qui (*ut ait Cap. 11. Pyman.*) si à ,quopiam opere influxum suum subtraxerit, deficiente vi- ,tâ in mortem corruent universa.] *Unitas Dei probatur à Mercurio*

Appono Christiano etiam Ore & corde dignum Eucharisticon, quô idem Mercurius in fine Asclepii conclusit suum de rebus plerisque Divinis Tractatum. [Gratias tibi agimus ô summe & ,Exuperantissime. Hæc est enim sola humana gratulatio, ,cognitio Majestatis tuæ. O vitæ vera via! o naturarum ,omnium fæcunda prægnatio: æterna perseveratio: nos ve- ,lis servare perseverantes in amore cognitionis Tuæ.] *Eucharisticon, item Hymnus Mercurii ad Deum notatu dignissimus.*

Appono & Hymnum ejus, ad Deum. [Universa Mundi ,Natura hunc audiat hymnum: audi terra, audite turbines ,imbrium, o sylvæ silete: cantaturus sum Creatorem omni- ,um, & Unum. Audite Cœli, quiescite venti. Circulus im- morta-

,mortalis Dei, orationem istam exaudiat. Cano jam Cre-
,atorem omnium terrarum Distributorem: cœlum æqui-
,librantem: jubentem ex Oceano, undiq; fluere dulcem
,undam ad hominum alimentum: jubentem ignem ful-
,gere supernè ad actiones hominum. Agamus omnes illi
,una voce gratias tranandi Cœlos naturamq; creanti. Hic
,mentis est oculus. Hic potentiarum benedictionem liben-
,ter excipiat. O meæ vires laudate ipsum Unum, & Omne:
,Consonate voluptati meæ omnes animi vires. Cognitio
,Sancta, quæ tuo lumine fulges; per te lumen intelligibile
,cantans, gaudiô mentis exulto. Omnes potentiæ mecum
,unà concinite. Constantia canta mecum. Justitia mea per
,me Justum canat. Communio mea totum ipsum laudet:
,per me canat veritas Veritatem, Bonum nostrum, Bo-
,num deniq; canat. O Vita. O Lux. à Vobis in nos bene-
,dictio currit. Gratias ago tibi Pater, Actus omnium Po-
,testatum. Gratias ago tibi Deus, omnium Potestas Actu-
,um. Verbum tuum per me, te laudet; per me Mundus,
,verborum recipit sacrificium hoc. Meæ vires clamant, to-
,tum cantant voluntatem tuam perficiunt: tua Voluntas
,abs te in totum: sacrificium verborum ab omnibus exci-
,pe.] Hucusq; Mercurius.

Goropius, erroneè quid intellexerit nomine Mercurii.

Joannes Goropius, vir aliàs Catholicus, nec ineruditus, natione Belga, qui obiit anno 1572. lib 4. Gallicorum, & alibi, censet, quòd nomine Mercurii Trismegisti, nihil aliud intelligi debeat, quàm Verbum Incarnatum, vel Deus ter Maximus, & trino Capite, sive trina Hypostasi, quam, Capitis nomine, Veteres intelligebant, omnia gubernans: vel Mens Divina, perfectissimè se contemplans. Opinatur item, libros, nomine Mercurii circumferri solitos, esse compositos ab Annebone Gentili Philosopho, qui fuit Magister Jamblichi. Verùm hæc opinio Goropii, meritò est rejicienda. Quia in nulla so-

lida

lida ratione fundata eſt: è contrà plurimi vetuſtiſſimi ac graviſſimi ſcriptores Gentiles & Chriſtiani, dicta Mercurii, ut Philoſophi antiquiſſimi, & ut indubitata citant Unde temeritatis non exiguæ ſpecies eſt, tantis contradicere, eoſq; ignorantiæ ac oſcitantiæ tam craſſæ arguere. Item pari ratione & audaciâ dici poſſet Iliadem & Odiſſeam, non eſſe ab Homero conſcriptam, nec illum fuiſſe in rerum natura; tituloq; falſiſſimo tribui in Verrem Orationes, Ciceroni: &c. Neſciverit ſanè etiam Albertus apud Carthuſianum in 1. Diſtin: 3. q. 3. quis fuerit Triſmegiſtus. Quid tum ? Sed præter innumeros, ſcivit Plato in Philæbo & Phedro: ſcivit Tertullianus, Clemens, Lactantius, Auguſtinus, Cyrillus, Caſſiodorus, Suidas, aliiq;. Accedit, quod Goropius non videtur ſibi conſtare: nam illo lib. 4. Gallicorum, paginâ 89. dicit. *Verbo Incarnato Mercurii nomen tribuendum eſt.* Poſtea ſtatim aliud quid aſſerit, nempe: *Mercurius Triſmegiſtus ille eſt Deus ter Maximus, & trino Capite, ſive trinâ Hypoſtaſi, quam Capitis nomine Veteres intelligebant, omnia gubernans.* Deum dicit ibidem, paulò poſt. *Concludimus Mercurium nihil aliud eſſe, quàm Mentem Divinam perfectiſſimè ſe contemplantem, à qua, omnis conſiderationis & intelligentiæ Perfectio deſcendit.* Hæc autem, nempe, Verbum Incarnatum, Eſſentia Divina cum tribus Perſonalitatibus, Mens Divina: non ſunt omnino idem, ut certum ex fide. Tres item Hypoſtaſes, ſeu Perſonalitates in una Eſſentia, Gentilibus erant ignotæ. Addo. Datô, non conceſsô. Auctorem librorum illorum fuiſſe Annebonem Gentilem Philoſophum, ut ſuſpicatur Goropius: Stat adhuc inconcuſſa vis Argumenti propoſiti, ut patet.

CAPUT II.

PLATO.

IS, cùm antea ex Avi paterni nomine, Ariſtoteles vocaretur, quaſi latus à latis humeris appellatus eſt Plato. *Vir ille unus, totius Græciæ facile doctiſſimus, & intelligendi graviſſimus Auctor, & Magiſter.* Ciceroni lib. de ſenectute & de Claris Oratoribus. *Sapientiæ Antiſtes.* Plinio lib. 7. hiſt: Cap. 30. *Columen & ſublimis Apex Philoſophorum.* Arnobio lib. adverſus Gentes. Judiciô plurimorum, quaſi quidam De-

Plato unde ſic dictus ?

Quanto in pretio ha-

bitus à Gentilibus? Quin, & à Patribus? Ex productione orbis, & consensu summo omnium Gentium probat Plato Existentiam Dei.

Deus Philosophorum, & Princeps ingenii ac doctrinæ, habitus. Qui apud Christianos etiam Doctores, magnæ semper fuit Auctoritatis: nam teste S. Thomâ quæst: 16. de Malo art: 1. *S. Dyonisius Areopagita, in plurimis, fuit Sectator sententiæ Platonicæ:* item alii pleriq; Patres. Hic ergo Plato in Dialogo decimo de Legibus, atheismum esse erroneum, ostendit sic.

,[O Amice, facile est veritatem hanc ostendere, quòd ,Dii sint. Quo pacto? Primùm quidem, terra, Sol, Sidera, ,ipsumq; Universum, temporum quoq; ornatissima varie-,tas, annis mensibusq; distincta, id ostendunt. Græcorum ,præterea Barbarorumq; omnium consensus, Deos esse fa-,tentium.] *Et quidem tantus consensus, ut idem Plato de Atheis loquens in Dialogo de Legibus, apud Recupitum lib. 1. de Existentia Dei, quæst: 20. dixerit:* [Profectò nullus eorum ,ab adolescentia usq; ad senectutem in hac opinione, quòd ,Dii non sint, perseveravit.] *Tantus item consensus, ut teste eodem in Timæo.* [Omnes, qui vel tantillum mentis ha-,bent, cùm aliquid, sive magnum sive parvum aggrediun-,tur, Deum semper invocare soleant.] *Et in Philebo, seu de ,summo Bono, ait.* [Omnes sapientes consentiunt, Intelle-,ctum esse Cœli terræq; Regem.- Utrum dicendum est, U-,niversum hoc agi ab irrationali quadam temerariaq; & ,fortuita potestate, an contra? quemadmodum Majores ,nostri senserunt, Ordine quodam Mentis & sapientiæ mi-,rabilis gubernari, fateri, Mente omnia hæc exornari, sen-,tentia quædam conspectu Mundi, solisq;, & Lunæ, cæte-,rorumq; Siderum, & omnis deniq; cœlestis circuitûs, di-, gna est; nec enim ego de iis, aliter loqui & sentire ausim,] alibiq; idem Plato, Opinionem Democriti asserentis, Mundum casu fortuito factum, stultam esse dicit. Ut testatur Eusebius lib: 11. de Præpa: Evang.

In Timæo, Parte secunda, asserit idem Plato, Angelos productos à Deo; introducit enim Deum loquentem ad Angelos sic. „[Dii Deorum, quorum ego Opifex, Paterq; operum, in„solubilia erunt, me scilicet volente. Omne quidem quod „compactum, hoc & solubile: & quod pulchrè coaptatum „beneq; habet, potest solvi, à malo. Idcirco quoniam nati „estis, non estis immortales, & insolubiles omnibus modis„Convertamini vos secundùm naturam ad animalia for„manda, imitantes meam Virtutem, quâ in vestra nativi„tate usus sum, & in quantum ipsis immortalibus cogno„mines esse convenit, Dii dicimini.]

Angeli quoq; producti à Deo.

Nota. Dum Plato plures sæpè nominat Deos, vel nomine Deorum, præter Deum unicum, intelligit, Cœlestes Spiritus Angelicos, Dei Ministros: ut constat ex textu immediatè allato: vel loquitur quasi coactus metu cicutæ, & ad populi gratiam, non ex animi Sententia: quod ipsum patet ex Epistola ejusdem Platonis ad Dionysium, in qua leguntur hæc. [Notæ meminisse te puto, quam videlicet E„pistolis illis appono, quas alicujus ponderis scribo, & quas „nullius. Tu tamen ea, quæ nunc dicam, intellige, & dili„genter adverte. Multi me rogant, ut ad te aliquid scri„bam, quos haud facile est vacuos à me prorsus repellere. „Symbolum itaq; tibi hoc est: ut illius Epistolæ, quam se„riò à me scriptam velim, accipias, dictio hæc, DEUS, sin„gulari numero sit Principium: levioris autem Epistolæ, „Dii, numero multitudinis.] Et in Parmenide atq; Timæo, unicum per seipsum, probat esse Deum.

Nomine Deorum, quid intellexerit Plato: & cur nomē Deorum usurpat?

CAPUT III.

ARISTOTELES.

Hunc, Plato; *Mentem, Intellectum, & Veritatis Philosophum.* Cicero: *Philosophorum acutissimum:* Plinius: *Immensæ subtilitatis. & sum-*

Aristotelis laus ex

Platone, Cicerone, Plinio, ac Divo Hieronymo.

summum in omni doctrina Virum. Divus Hieronymus: *Miraculum Naturæ & Ingenii.* Alii *Naturæ Secretarium, disciplinarum omnium Oceanum,* appellârunt Is tantus Philosophus multis rationibus, Atheismum impugnat, Existentiam Dei probando. Prima ejus Ratio pro Existentia Dei, sub conceptu Primi Motoris, desumitur ex motu.

Primò, Aristoteles Existentiam Dei probat ex eo. Quia datur Primus Motor immobilis

,[Necesse est, (*inquit ille 8. Physic: à textu34.*) Omne quod ,movetur, ab aliquo moveri, & aut ab eo, quod movetur ,ab alio, aut non: & si ab alio quidem quod movetur: ne-,cesse est aliquid esse Primum Movens, quod non ab alio.] Hunc Primum Moventem seu Motorem 12. Metaph. textu 25. 35. 37. 43. 49. 54. dicit & probat esse substantiam, perpetuam, immobilem, Actum æternum, Primam Causam simpliciter, & quid Perfectissimum ac Unum. [Cum tres sint substantiæ, duæ quidem Na-,turales, alia autem Immobilis; de hac est dicendum, quòd ,necesse est perpetuam aliquam & Immobilem substantiam ,esse. Est aliquid quod non motum movet, quod æternum ,& Substantia, & Actus est. In omnibus maximè ipsum ,Principium, est bonum. Primum, est Optimum. Movens ,Primo motu est Principium, ac Primum Entium. Quod ,movet, prius est motô, & quod prius Substantiâ est, Sub-,stantia sit, necesse est.] Porro enumerata Prædicata simul sumpta, conveniunt Soli Deo. Hæc Ratio, ex motu desumpta, ut concludat efficaciter, intelligenda est juxta dicenda infrà in Tractatu 3tio: Capite sexto, in Notato 2do. Sufficiensq; est, ut non solùm moveat, sed & permoveat Atheos, ut fateantur Dei Existentiam.

2dò, quia datur Ens summè necessarium in existẽdo, & Actus purus.

2da Probatio Existentiæ Dei sub conceptu Entis summè necessarii in existendo, & Puri Actûs, desumitur ab Aristotele ex contingentia rerum Creatarum. [Quod (*inquit ille 2. Metaph: textu ,30.*) potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse ,tale Principium, cujus Substantia, actus sit- Quonamque ,modo movebuntur (*Entia de potentia ad existere actu*) Si ,nulla erit actu Causa?] Hanc Probationem idem Aristoteles, vel

vel quisquis est Auctor librorum Theologiæ secundùm Ægyptios, clariùs & fusiùs lib: 3. Cap. 3. proponit sic. [Deum esse hæc ,Demonstratio inter omnes maximè videtur efficere, quòd ,nihil in potestate sit, quin aliud antecedat, quod actu exi-,stat: alioquin ne ipsa quidem potestas in actum suum de-,duceretur; cùm illa aliud non sit, quàm ad actum quæ-,dam facultas; nec possit suâ vi in actum exire. Non e-,nim rationi consentaneum est, aliquid à seipso, tanquam ,ab Agente existere: præsertim, cùm Agens omne, eâ re ,prius habeatur, quam suâ vi efficit: falsumq; sit, idem se-,ipso, in una & eadem ratione, prius esse ac posterius. ,Itaq; si potestas (*id est quodcunq; Ens contingens in existen-,do vel collectio quævis talium entium*) in actum educitur, ne-,cesse est Actum quendam Purum existere, quod hic ni-,hil habere possit, à quo in actum excitetur. Ejusmodi ve-,rò est Ens necessarium, perpetuum, quod in nullam ali-,am Substantiam abire ullo modo potest, neq; imminui, ne-,que ullis affectionibus commutari; à quo actiones omnes ,manant, & cujus nutu, potestas omnis in actum excita-,tur. Ipsum quoq; Incommutabile, quoniam ab alio pro-,creari non potuit: nihil vero illi accidit, quia suapte Na-,turâ in actu perpetuo est, eodemq; necessario. Imò idi-,psum est, quod verè est, vel potiùs supra id, quod est. ,Atque idcirco ratio eorum, quæ sunt, ab illo pendet, in e-,odemq; conservatur, & ad illud revocatur, adeò, ut ne co-,gitatione quidem fingi possit hoc in aliqua potestate exi-,stere, alioqui altero indigeret, cujus vi in actum excita-,retur: contrà verò, omnia, quæ ab illo diversa sunt, prius ,in potestate esse, intelliguntur, quàm in actu, quoniam ,Principium antecedit id, quod est, sicut & potestas neces-

,sitatem] *Et lib: duodecimo ejusdem Theologiæ inquit.* [Sicut ,centrum circuli in seipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ,ambitum, ipseq; ambitus cum punctis, in eodem centro ,existunt: Sic quoq; Naturæ omnes, tam quæ ad intelle-,ctum, quàm quæ ad sensum pertinent, in Agente Primo ,consistunt, & confirmantur, ab eoq; pendent. Siquis verò ,inquirat, quomodo ea, quæ sunt, in Primo Opifice per-,manere dicantur, dicemus, aliquid in altero permanere, ,uno quidem, ut forma in subjecto, vel contra: altero au-,tem, ut in Agente: verbi gratia: lux in lucente, & radius ,in eo, à quo emanat: & deniq; quodlibet in Essentia sim-,plex in efficiente.]

3tiò, quia datur Causa Prima.

3tia Aristotelica Probatio Existentiæ Dei, sub conceptu Causæ Primæ 2. Metaph: tex: 6. proponitur sic. [Mediorum, quorum ,extra aliquid ultimum & Primum est, necesse est, quod ,prius est, Causam esse eorum, quæ post illud sunt: Si e-,nim dicere nos oportuerit, quid trium causa est. Primum ,dicemus: non enim ultimum: nullius enim, quod ulti-,mum est: neq; medium, unius enim. Nihil enim differt, ,unum, an plura sint, nec infinita, aut finita. Infinitorum ,quidem hoc modo & omnino infiniti omnes partes me-,diæ sunt similiter hucusq;: quare si Primum nihil est, o-,mnino nulla Causa est.] Prædictam Aristotelis Rationem, Pater Antonius Perez, Dispu: 1. de Voluntate Dei, Cap: 6. clariùs proponit taliter. [Si nulla est Causa Prima, ut Adversarius con-,tendit. Ergo existit Causa Prima: alioqui omnes Causæ ,rei, quæ fit, essent mediæ, id est causantes causatæ: fieret ,ergo effectus mediatè per omnes causas medias. Quæ ,Consequentia est manifesta. Sicut hæc. Homo percutit ,mediante baculo. Ergo ab aliquo percutiente cum bacu-

Hæc tertia ratio proponitur fusiùs à Patre Perez & illustratur.

lo,

,lo, seu medio baculo. At Causa operans mediatè per o-
,mnes causas medias, & per totam Actionem mediatam,
,est Prima, non Media: Causa enim media, non potest o-
,perari mediatè per omnes causas medias: ut est ex termi-
,nis notum. Ergo ex eo, quòd non existit Causa Prima,
,sequitur existere Causam Primam.] Similia habet Pater Qui-
ros in suo Cursu Philosophico Disput: 58. Sect: 1. Appono hìc & textum alium Aristotelis pro Existentia Dei, 12. Metaph: tex: 56, ubi dicitur. [Præterea si non erunt præter sensibilia (*intellige,*
,Spirituales Substantiæ, & præsertim primo principalis inter il-
,las) non erit Principium, Ordo, Generatio, & ipsa Cœle-
,stia]

Quarta Probatio ejusdem Aristotelis est, quòd Corpora Cœlestia sint non à Casu, sed ab aliqua Mente, quæ est Deus. 2. enim Physic. Cap: 6. tex: 44. & 45. dicit. [Sunt autem, qui Mundi hujus a- *4tò, quia corpora cœlestia non sunt à casu, sed ab aliquo Intellectu*
,liorum omnium causam, in casum referant; conversio-
,nem enim & motum eum, qui Universum distinxit, & in
,hunc ordinem redegit, casu esse. Et hoc sanè admiratione
,maxima dignum est, quòd animalia quidem, & plantas,
,neq; esse, neq; fieri à fortuna, sed aut Naturam, aut Men-
,tem, aut aliquid aliud tale, causam esse affirment, propte-
,rea, quòd è cujusq; Semine, non quodvis fiat, sed ex tali
,Olea, ex tali autem homo. Cœlum autem, & ea, quæ in-
,ter sensibilia, diviniora sunt, casu effici censeant, talium-
,que eorum, nullam, qualis plantarum, & animalium est,
,Causam esse.] 1. verò Metaph: Cap: 4. Illos, qui censuerunt, Causam Mundi, non esse Intellectum aliquem præstantem, dicit, locutos fuisse ut ebrios; Anaxagoram autem, qui censuit, Causam Mundi esse Intellectum, fuisse locutum, ut sobrium. Dicit enim illo Cap: 4.
,[Quapropter, qui ut in animalibus, ita in Natura, Intel-
,lectum, esse Causam Mundi, totiusq; Ordinis dixerat, quasi

,Sobrius, comparatus ad Antiquiores, vana dicentes, appa-
,ruit.] Item idem Aristoteles, ut verba ejus adducit Cicero lib. 2. de Natura Deorum, in Persona Lucilii, præclarè, hæc scripsit. [Si es-
,sent, qui sub terra semper habitavissent, bonis & illustri-
,bus domiciliis, quæ essent ornata Signis atq; picturis, in-
,structaq; rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui Be-
,ati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram,
,accepissent autem famâ & auditione, esse quoddam Nu-
,men & Vim Deorum: deinde, aliquo tempore patefactis
,terræ faucibus, ex illis abditis Sedibus evadere in hæc lo-
,ca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent, aspexissent-
,que Solem, ejusq; tum magnitudinem, pulchritudinemq;,
,tum etiam efficientiam cognovissent, quòd is diem effice-
,ret, toto Cœlo, luce diffusâ: qvum autem terras nox o-
,pacasset, tum Cœlum totum cernerent astris distinctum,
,& ornatum, Lunæq; luminum varietatem, tum crescen-
,tis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus, & occasus,
,atq; in omni æternitate ratos, immutabilesq; cursus: Hæc
,quum viderent, profectò & esse Deos, & hæc tanta ope-
,ra Deorum esse, arbitrarentur.]

5ta Probatio desumitur ex consensu omniū. Et quòd Entia non sint sibi sufficientia ad existere.

5tam demum Probationem Existentiæ Dei, desumit Aristoteles ex Consensu omnium: & quòd nulla creatura sit sibi sufficiens: nec obstet, quòd non videatur Deus. 12. enim Metaph: tex: 50. ait: ,[Est ab Antiquis, Veteribusq;, fabulæ modo (*seu, est res ,passim divulgata: fabula enim à fando dicta*) traditum, Po-
,sterisq; relictum, & Deos esse, & totam naturam, Divino
,Numine contineri - Si quis sumpserit illas primas substan-
,tias Deos esse existimasse, Divinè dictum esse, arbitrabitur.]
& in lib: de Mundo ad Alexandrum Cap: 6. dicit. [Restat, ut
,summatim de Causa disseramus, quæ cunctarum ipsa re-
rum

,rum vim habet nutricem & continentem- Vetus igitur ,Sermo eſt, à Majoribusq́; proditus inter omnes homines, ,Univerſa, tum ex Deo, tum per Deum conſtituta eſſe, at- ,q́ue coágmentata, nullamq́; Naturam ſatis inſtructam ad ,ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium, ſuæ demum ,ipſa tutelæ permiſſa ſit.- Itaq; ille omnium Princeps Pa- ,rensq;, animi tantùm ſenſu ſpectabilis, ſimul ac ſignum ,Naturis dedit, inter cœlum, terramq́; vehentibus, earum ,unaquæq́;, in orbibus ſuis jugi motu cietur.- Quum e- ,nim ab una Vi Impultrice cieantur omnia, fit utiq́;, quòd ,cuiq́; commodum eſt, & conveniens. Nec verò, ſi ea Vis ,ipſa, nec cerni ab hominibus, nec apparere poteſt, quo- ,quo pacto, id obſtat, aut illi, ad ea, quæ diximus, agen- ,da, aut nobis ad fidem hiſce rebus accomodandam: nam ,& Anima ipſa, quâ vivimus, quâ Urbes, quâ domos ha- ,bitamus, cùm haud quaquam ſub aſpectum noſtrum ſita ,ſit, operibus tamen ipſis videtur, omnisq́; vitæ cultus, ni- ,torq́;, ut ab ea inventus eſt & deſcriptus, ita ex ea, teno- ,rem ſuum ſervat. Proinde hæc etiam de Deo nobis ſen- ,tienda ſunt, illo quidem, ſi vim ſpectes, valentiſſimô; ſi ,decorem, formoſiſſimô; ſi vitam, Immortali: deniq́; ſi vir- ,tutem, præſtantiſſimô. Quapropter cùm ſit inconſpicabi- ,lis Naturæ omni interituræ, ipſis nihilo ſecius Ipſe cer- ,nitur ab operibus, atq́; ea quidem, quæ in àére fiunt, quo- ,quo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè, Dei ,opera eſſe, meritò dixerimus, Dei inquam, opera, cum ,imperio ſummo, Mundum pro poteſtate obtinentis-. Fa- ,ma eſt Phydiam illum ſtatuarium, cùm Minervam illam, ,quæ eſt in Arce, coagmentaret, in medio ejus ſcuto, fa- ,ciem ſuam expreſſiſſe, oculosq́; fallenti artificio ita devin- xiſſe

Nec obeſt, quòd Deus non videtur.

,xisse simulacro, eximere inde ut ipsam, si quis cuperet, , minimè posset aliter quidem certè, quàm ut ipsum solve- ,ret simulacrum. Opusq; ejusmodi compactile confunde- ,ret. Hanc igitur eandem rationem Deus habet, in Mun- ,do, utpote qui universarum coagmentationem cohæren- ,tem, cohibeat & coarctet, incolumitatemq; Universitatis ,conservet- Ut verò summatim, jam loquamur, quod in ,Navi, Gubernator est; quod in curru, Agitator: quod ,in Choro, Præcentor: quod deniq; Lex in Civitate, & ,Dux in Exercitu, hoc Deus est in Mundo.]

Unum esse Deũ, probat Aristoteles: licèt diversis nominibus appelletur

Idem Aristoteles in eodem lib: de Mundo. Cap. 7. Deum esse Unum, asserit & Probat esse, sic. [Unus porro Deus cum sit, ,pluribus nominibus appellatus est. Vocatur & Fulgura- ,tor, & Altitonans, & Æthereus, & Fulminator & Pluvius- ,Quin & Frugipotens, deniq; Servator dicitur, & Assertor. ,Et ut semel omnia complectar. Cœlestis & Terrenus: ab ,omni Natura sorteq; nomen adeptus, utpote qui rerum ,omnium Auctor sit.- Eundemq; Fatum dictum, à serie ,rerum conserta, inoffensoq; tenore procedente.- Et Neme- ,sim, quasi Potestatem divinam ejus quod visum est, cui- ,que distributricem.- Æsan deniq; dictum, quasi semper ,existentem.- Parcas non aliud quidquam, quàm Deum es- ,se, planum est, ut Eximius Plato censuit. Enimvero De- ,us (ut est vetusto verbo proditum) Principium & finem ,& media rerum omnium tenens, rectâq; lineâ incedens, ,operatur ille secundùm naturam.] *Metaphysicam suam de rebus Divinis, 12. Metaph: tex: ultimo concludit sic.* [Entia ,nolunt malè gubernari. Non est bonum pluralitas Princi- ,patuum. Unus ergo Princeps.] Ac ob assertionem Unius Principii Primi, seu Dei ne damnaretur ab Atheniensibus aufugit Athenis ut

ut lib: 1. contra Celsum, prope finem, refert Origenes inquiens. „[Est memoriæ de Aristotele traditum, cùm adversùm se, „perinde ac impium, futurum esset, ut concitati Judices „convenirent, quia dogmata quædam, ejus Philosophiæ in-„duxerat, quæ contra Deorum cultum facere, Athenienses „existimarent, ex Athenis secedens, Chalcidem se contulit: „ubi & diu permansit, quo ex loco familiaribus, & notis „scribentibus, cùm responderet. Ex Athenis (inquit) re-„cessimus, ne causam demus Atheniensibus, secundò scelus „committere, quale in Socratem (*qui ideo, ut scripsit Tertullianus in Apologet: Cap. 13. & S. Justinus, Apol. 1. damnatus, quia Deos destruebat, Unitatem confessus*) commiserunt: neve „contra Philosophiam iteratò impietatis còarguantur.] Laërtius quoq; testatur, Aristotelem, quòd Deorum pluralitatem damnaret, accusatum esse ab Eurimedonte.

Neque Dicas. Verba adducta superiùs in Probatione 4ta, à Cicerone, non reperiuntur nunc in Libris Aristotelicis. Item, liber de Mundo ad Alexandrum, non est Aristotelis, multò minùs libri Theologiæ secundùm Ægyptios. Respondetur enim Certum esse, ab Aristotele plurimos conscriptos fuisse libros, prope quadringentos fuisse testatur Laërtius, & Plutarchus: alii numerant ad septingentos quadraginta septem: licèt ex tanto numerò, qui nunc supersunt, centum viginti summam non excedant. Unde, quæ ex Aristotele, adducit Cicero, vir planè gravissimus, censendum est, desumpta esse ex aliquo illorum librorum: qui nunc interierunt. Porro, nomen Deorum, in eo sensu sumit Aristoteles, in quo, suprà Plato. Librum de Mundo, Aristoteli tribuunt plurimi & magnæ Auctoritatis Scriptores, ut S. Justinus Martyr (qui illum librum, etiam vocat: Compendium Peripateticæ Philosophiæ) Philoponus, Eugubinus, Picus, Carpentarius, aliiq; plures. Quanquam alii asserunt illum librum, esse conscriptum à Theophrasto, qui Aristoteli in Scholæ regimine immediatè successit, eumq; , cùm antea, Tyrtamo, illi nomen esset, ob Divinam elocutionem, Aristoteles, Theophrastum, appellavit. Libros 14. de

Liber de Mundo ad Alexandrum: & libri Theologiæ secundùm Ægyptios an Aristotelis?

Theologia, seu, de Mystica Philosophia secundùm Ægyptios, esse Aristotelis censet S. Thomas Opusc: 16. Petrus Nicolaus Faventinus, & Franciscus Rubeus Ravennas, qui Anno 1514, Damasci, Arabicè scriptos invenit, nomineq; Aristotelis inscriptos. Aliis videtur, librorum illorum Auctor, aliquis Platonis Auditor fuisse; nam Cap: 5. libri primi leguntur hæc. [Plato igitur olim dedit ani-,mæ attributa plura, quorum nos auriti fuimus testes.] Alii demum Opus illud tribuunt Palæphato cuidam Ægyptio, quem asserit Suidas, Ægyptiorum Theologiam scripsisse. Sed quidquid sit de Auctore citatorum librorum: certum est, illorum aliquem, vel aliquos, fuisse auctores Gentiles Philosophos Veteres, insigni doctrinâ conspicuos, ac utrumq; Volumen, si paucos errores ex posteriori demas, dignos esse, qui tribuantur Aristoteli. Certum item, ex illis Voluminibus desumpta, congruere iis, quæ in Libris indubitatis Aristotelicis continentur. Rationes allatæ in hoc toto Capite ex Aristotele, roborantur magis & illustrantur ex dictis suprà in Tractatu tertio Libri primi, & infra in Tractatu 3tio, Capite 6to.

CAPUT IV.

ANNÆUS SENECA.

Quis fuerit Seneca?

PAtruus fuit Lucani Pöetæ, Frater verò germanus L. Junii Gallionis Proconsulis Achaiæ, ad cujus Tribunal à Judæis adductus fuerat S. Paulus; quem scripsisse ad Senecam, & vicissim ab eo accepisse literas, testatur Divus Augustinus Epistola 54. ad Macedonium, & S. Hieronymus lib: de Script: Eccles: aliiq;. Literæ tamen, quæ circumferuntur Pauli & Senecæ ad invicem, meritò de suppositione suspectæ sunt, nec satis dignæ, gravitate Pauli ac Senecæ:

An Sancto Paulo ad eum scripserit?

fuit vitæ continentissimæ, Stoicorum acutissimus, ac primarius ævi sui Philosophus, & Neronis per quinquennium Præceptor: quo etiam toto tempore, laudabiliter Imperii habenas, tenuit Nero, rexit Seneca: triennio post, ante martyrium S. Pauli, interemptus ab eodem Nerone. Atheismi fuisse hostem acerrimum declarant hæc. Lib. 4to de Beneficiis, Cap: 5to. 6to. & 7mo. Scribit sic. [Non dat Deus ,beneficia. Unde ergo ista, quæ possides? quæ das? Quæ

Seneca enumerat,

ne-

,negas? quæ servas? quæ rapis? unde hæc innumerabilia, *quanta*
,oculos, aures, & animum mulcentia? Unde illa, luxuri- *beneficia*
,am quoq; instruens copia? Neq; enim necessitatibus tan- *Deus ho-*
,tummodo provisum est, usq; in delicias amamur. Tot ar- *minibus*
,busta, non uno modo frugiferæ, tot herbæ salutares, tot *præstat.*
,varietates ciborum, per totum annum digestæ, ut inerti
,quoq; fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia
,omnis generis, alia in sicco, solidoq;, alia in humido in-
,nascentia, alia per sublimè dimissa, ut omnis rerum na-
,turæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc
,amænissimis flexibus campos cingentia, illa præbitura
,commerciis viam, vasto & navigabili cursu vadentia: ex
,quibus quædam, statis diebus, mirabile incrementum tra-
,hunt, & anhela & ferventi subjecta cœlo loca, subita vis
,æstivi torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium
,venæ? quid in ipsis littoribus aquarum calentium exun-
,datio? - Si pauca quis tibi donasset jugera, accepisse te di-
,ceres beneficium: immensa terrarum latè patentium spa-
,tia, negas non esse beneficium? Si pecuniam tibi aliquis
,donaverit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum vi-
,detur) impleverit, beneficium vocabis. Tot metalla de-
,fodit, flumina emisit in æra, super quæ decurrunt sola au-
,rum vehentia, argenti, æris, ferri, immane pondus, omni-
,bus locis obrutum, cujus investigandi tibi facultatem de-
,dit, ac latentium divitiarum, in summa terra, signa dispo-
,suit: negas te accepisse beneficium? Si domus tibi done-
,tur, in qua marmoris aliquid resplendeat, & nitidius au-
,rô, aut coloribus sparsa, num mediocre munus vocabis?
,ingens tibi domicilium, sine ullo incendii aut ruinæ me-
,tu struxit, in quo vides, non tenues crustas, & ipsa, quæ

,secantur laminâ graciliores, sed integras lapidis pretiosis-
,simi moles, sed totas variæ distinctæq; materiæ, cujus tu
,parvula frusta miraris; tectum verò aliter nocte, aliter in-
,terdiu fulgens; negas te ullum munus accepisse? Et cùm
,ista, quæ habes, magno æstimes, quod est ingrati hominis
,nulla debere te judicas? Unde tibi istum, quem trahis
,spiritum? unde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis
,atq; ordinas lucem? unde sangvinem, cujus cursu vitalis
,continetur calor? unde ista, palatum tuum, Saporibus ex-
,quisitis ultra satietatem lacessentia? unde hæc irritamen-
,ta jam lassæ voluptatis? unde ista quies, in qua putre-
,scis, ac marces? Nonne si gratus es, dices?

,Deus nobis hæc otia fecit.
,Namq; erit ille mihi semper Deus, illius Aram
,Sæpè tener nostris ab ovilibus, imbuet agnus.
,Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
,Ludere quæ vellem, calamô permisit agresti.

,Ille Deus est, non qui paucas boves, sed qui per totum
,Orbem, armenta dimisit, qui gregibus ubiq; passim va-
,cantibus, pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiva sub-
,stituit, qui non calamô tantùm cantare & agreste atque
,inconditum carmen ad aliquam tantum oblectationem
,modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot
,sonos, alios Spiritu nostro, alios externo cantus edituros
,commentus est. Neq; enim nostra ista, quæ invenimus,
,dixeris, non magis, quàm quòd crescimus: quàm, quòd
,ad constitutum tempus, sua corpori officia respondent.
,Nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem jam
,ætatem, & robustiorem gradum transeuntem pubertas,
,& ultimus ille dies fugienti vitæ terminum ponens. In-

,sita sunt nobis omnium ætatum omnium artium semi-
,na, Magisterq; ex occulto Deus producit ingenia - Natu-
,ra inquit hæc mihi præstat. Non intelligis te, cùm hoc di-
,cis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud est Natura,
,quàm Deus & divina Ratio, toti Mundo & partibus ejus
,inserta?] Vide plura de eadem materia differentem Senecam su-
prà in Libri primi. Tractatu uno Cap: 4. sub nona Propositione.

Natura Deus est, qui hæc confert.

Idem Seneca in Libro de Divina Providentia, dicit: [Su-
,pervacuum est in præsentia ostendere, non sine aliquo
,Custode, tantum opus stare, nec hunc siderum certum
,discursum, fortuiti impetûs esse, & quæ casus incitat, sæ-
,pè turbari, & citò arietare; hanc inoffensam velocitatem
,procedere æternæ Legis imperio; tantum rerum terrâ
,mariq; gestantem, tantum clarissimorum luminum ex
,dispositione lucentium, non esse materiæ errantis hunc
,ordinem, neque quæ temerè coierunt, tanta arte, pendere;
,ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum, &
,circa se, properantis Cœli fugam spectet, insuper ut in-
,fusa vallibus maria, molliant terras: nec ullum incremen-
,tum fluminum sentiant, ut ex minimis seminibus, na-
,scantur ingentia.]

Cœlum, Astra, non sunt casu producta, nec casu volvũtur.

In Præfatione Lib. 1. Naturalium Quæstionum ait. [Quid
,est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides to-
,tum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua
,illi redditur, quâ nihil excogitari majus potest. Si solus
,est omnia, opus suum & extra & intra tenet. Quid ergo
,interest inter Naturam Dei, & nostram? Nostri melior
,pars, animus est; in illo nulla pars extra animum. Totus
,Ratio est, cùm interim talis error mortalia teneat, ut hoc,
,quô neq; formosius est quidquam, nec dispositius, nec in

Quid est Deus juxta Senecam?

,proposito constantius, existiment homines fortuitum & ,casu volubile- Dementia est ita sentire.]

Epistola verò 148. Spiritus Cœlestes, & summum Spiritum, quos nomine Deorum appellat, probat esse ex communi sensu omnium: dicit enim. [Deos esse, inter alia sic colligimus, quòd ,omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla Gens usquam ,est, adeo extra leges, moresq; projecta, ut non aliquos De-,os credat. Cùm de animarum æternitate differimus, non ,leve momentum apud nos habet, consensus hominum, ,aut timentium inferos, aut colentium.]

CAPUT V.

EPICTETUS.

Epictetus, quanto in pretio habitus apud Gentiles?

STοicæ Sectæ Philosophus, apud Gentiles ob suæ doctrinæ & integritatis vitæ præstantiam, existimationis & famæ ingentis. Hieropoli (est Urbs Phrygiæ, non longè à Laodicea sita) natus: Servivit Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari: commoratus Romæ usq; ad tempora Marci Antonini, Domitianô autem imperante, vel offensus ejus Tyrannide, vel coactus ob senatûs consultum de pellendis Urbe Philosophis, Româ Hieropolim commigravit. De illo, Lib: 6to contra Celsum Origenes scribit. *Epictetus in quorumvis manibus est, qui ejus ex scriptis, non mediocriter possunt proficere, admirationiq; his est, qui ejusdem ex dictis, non parum sentiunt meliores se redditos.* Arrianus (Fuit is duobus Imperatoribus Antoninis, Pio & Philosopho apprimè charus, ab iisq; ad Consulatum etiam evectus) Epicteti erat Auditor, scripsitq; Commentariorum de Epicteti Disputationibus, libros quatuor, referendo tanti Philosophi sententias, doctrinas, sermones, quorum partem aliquam, ad comprobandam Dei Existentiam, ejusq; Providentiam, hic appono. Utinam ex attenta lectione horum, Athei, sanæ restituantur menti; fideles verò, præduce Gratiâ Divinâ, sentiant meliores se redditos.

Origenis judicium de Epicteto.

Epictetus

Imprimis Lib, 1. Cap. 6. leguntur hæc. [Ex singulis, quæ in

,in Mundo fiunt, rebus, Providentia laudari facilè poteſt,
,ſi cui duo hæc inſunt: unum, facultas naturam cujuſq; rei
,perſpiciendi: alterum, gratus animus: nam alioqui, vel u-
,tilitates multiplices rerum conditarum non intelliget, vel
,gratiam pro iis non habebit. Si colores feciſſet Deus, vim
,autem eorum contemplatricem non feciſſet, quænam eſ-
,ſet rerum utilitas? Nulla penitus. Quid verò ſi utrumq;
,ſic feciſſet, lucem autem non feciſſet? Ne ſic quidem ul-
,la eſſet ejus utilitas. Quis ergo eſt, qui hoc cum illo, &
,illud cum hoc coàgmentârit? Quis eſt, qui gladio vagi-
,nam aptavit, & vaginæ gladium? Nemóne? Atqui ex i-
,pſa rerum perfectarum ſtructura pronunciare ſolemus
,omnino Artificis alicujus eas eſſe opus. Itane hæc ſingu-
,la Artificem ſuum demonſtrant, res autem aſpectabiles,
,& aſpectus & lux non demonſtrant? -- At hæc quidem
,eum demonſtrant. Talis autem ratio cogitationis, ut non
,ſimpliciter rerum ſenſibilium formæ nobis imprimantur,
,ſed ea vi prædita, ut etiam inde aliquid colligamus, & ab-
,ſtrahamus, ut ſenſu perceptis rebus, aliquid adjungamus,
,& quædam per eas componamus, atq; adeo tranſeamus
,ab aliis ad alia hiſce finitima: ne hæc quidem permovere
,queunt aliquos, eoq; verecundiæ adigere, ne Artificem
,deſerant? Explicent ergo nobis, quid illud ſit, quod hæc
,ſingula peragat: aut qui fieri poſſit, ut res tam mirabiles
,& artificioſæ temerè ac fortuitò exſtiterint. Quid ergo?
,in nobis ſolis hæc evenient? multa quidem in nobis ſo-
,lis, quæ præcipuè neceſſaria fuerunt compoti rationis ani-
,manti: ſed & multa reperies nobis communia cum bru-
,tis. Nunquid ergo illa, res, quæ fiunt, intelligunt? Ne-
,quaquam, aliud enim eſt rei uſus, aliud intellectus: ac il-
la

exponit ſingularia Exiſtentiæ Dei, ejusq; Providentiæ, documenta.

,la Deus sic instruenda censuit, ut visa sequerentur, nos
,verò ut rerum usum intelligeremus. Itaq; satis illis est,
, edere, bibere, quiescere, procreare, aliæq; cujusq; illorum
,functiones, nobis autem, quibus intelligendi quoq; vim, il-
,le tribuit, non item hæc sufficiunt, nisi enim ritè & ordi-
,ne, & naturæ cujusq; rei, ac rationi convenienter egeri-
,mus, nequaquam nostro fine potiemur- Hominem in vi-
,tam introduxit Deus, ut spectatorem tum sui, tum ope-
,rum suorum: nec spectatorem duntaxat eorum, sed &
,explicatorem. Quare homini turpe est, inde & auspicari,
,& ibi desinere, ubi brutæ animantes: imò potiùs inde qui-
,dem auspicandum est, sed ibi desinendum, ubi & natura
,in nobis desiit, desiit autem in contemplatione atq; intel-
,ligentia, & totius vitæ ratione, naturæ convenienti: Pro-
,inde videte, ne spectaculi hujus expertes, moriamini.]

Homo cur productus?

Idem Epictetus apud Arrianum lib. 1. Cap. 14. & 16. dicit.

Deus omnia intuetur.

,[Sol tantam Universi partem illustrare potest, exiguam
,illam relinquens luminis expertem, quam umbra terræ
,occupat; qui autem Solem ipsum, & fecit & circumdu-
,xit, parvam suorum operum partem, si cum Universo
,conferatur, is verò non potest animadvertere omnia? At
,ego, inquit, nequeo hæc omnia simul assequi. Quis ve-
,rò istud tibi dicit te parem cum Jove habere potentiam?
,Nihilominus tamen etiam Procuratorem unicuiq; addi-
,dit Genium cujusq;, eumq; illi custodiendum tradidit &
,talem quidem, qui nec dormit, nec decipiatur-- Cùm i-
,gitur fores clauseritis & conclave tenebrosum effeceritis,
,cavete, ne unquam dicatis, vos esse solos: neq; enim estis,
,sed Deus intus est, vester Genius intus est --- Nolite mi-
,rari, cur aliis animantibus, ea, quæ ad corpus pertinent,

Unicuiq; additus est Genius.

Animantia, cur,

adeo

,adeo in promptu sint, non cibus modò & potus, sed & ,cubilia: non requirunt calceamenta, non stramenta, non ,vestem, nobis autem hæc omnia sint necessaria. Quæ e- ,nim non sua causa, sed ad ministerium nata erant, ea ,non expediebat, ita esse facta, ut aliis rebus indigerent. ,Nam illud vide, cujusmodi foret, si curari nos oporteret ,non modò nos ipsi, sed oves etiam, & asini, quomodo in- ,duendi essent, quomodo calceandi, quo pacto esuri, quo ,bibituri. Nunc brutæ animantes ita expeditæ sunt, ut mi- ,lites Imperatoris, calceati, induti, armati; quàm verò Tri- ,buno, grave esset, circumire, ut suos millenarios calcea- ,ret, aut indueret! ita Natura etiam ea, quæ ministerii cau- ,sâ, creata sunt, expedita fecit, instructa, nullam amplius ,curationem postulantia. Sic unus parvus puellus vel pe- ,dô propellt oves. Nos verò his de rebus, Deo gratias a- ,deo non agimus, ut quod eandem illis curam, quam no- ,bis ipsis non impendimus, propter nosmetipsos Deum ac- ,cusemus. Atqui Deum Immortalem! satis esset vel una ,rerum creatarum, verecundo quidem homini & grato, ad ,Providentiæ sensum percipiendum. Neq; verò mihi ma- ,gna nunc proferto. Isthuc ipsum duntaxat, ut ex herba, ,lac nascatur, & è lacte caseus, è cute lana. Quis est, qui ,ista fecerit, aut excogitârit? Nemo inquit. O magnam ,impudentiam & stuporem! Age, omissis Naturæ operi- ,bus, ea quæ illis obiter accedunt, contemplemur. Nunquid ,inutilius est pilis, qui mento enascuntur? quid ergo? ,nonne iis etiam maximo cum decore usa est? nonne per ,eos, marem & fœminam discrevit? nonne statim eminus ,cujusque nostrûm Natura clamitat. Vir sum, sic ad me ,accedito, sic colloquere mecum, nihil aliud require, ecce

quæ ad corpo pertinẽt, habent in promptu à

Pili, quare in mento mariũ enascũtur?

,Signa in promptu sunt? Rursus in mulieribus quemad-,modum ipsi voci mollius quiddam immiscuit, sic & pi-,los istos illis ademit. - Nonne & inter fodiendum & a-,randum & edendum, hymnus hic cantandus erat Deo. ,Magnus est Deus, qui nobis instrumenta præbuerit hæc, ,quibus terram excolamus. Magnus est Deus, qui manus ,dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem, qui effecerit, ,ut latenter crescamus, ut dormientes respiremus. Hæc ,singulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus ac ,divinissimus resonandus, quòd facultatem dederit harum ,rerum intelligentem, & utendi ratione instructam - Quid ,possum aliud Senex, claudus, nisi celebrare Deum? quodsi ,luscinia essem, lusciniæ officiô fungerer; si olor, oloris. ,Nunc rationis cùm particeps sim, Deus mihi celebrandus ,est: hoc meum munus est, hoc exequor: neq; stationem ,hanc deseram, quoad licuerit, & vos ad eandem hanc ,cantilenam exhortor.]

Deo referēdæ gratiæ pro beneficiis.

Idem Gentilis Epictetus in Enchiridio suo, Cap. 15. ait. ,[Nunquam te quidquam perdidisse dicito, sed reddidisse. , Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum? an ,non id quoq; est redditum? At improbus est, qui eripu-,it? Quid id tuâ refert, per quem is, qui dederat Deus, ,abs te repetierit? sed quamdiu concesserit, tanquam alie-,num id curato, ut cauponam Viator.] Et Cap. 23. [Acto-,rem esse fabulæ talis, qualis Deo Magistro probata fue-,rit, te memento, si brevis, brevis; si longa, longa; si men-,dicum agere te voluerit, fac eam quoq; personam inge-,niosè repræsentes; ita si claudum, si Principem, si plebe-,ium. Hoc enim tuum est, datam Personam bene effin-, gere; eam autem eligere, alterius, scilicet, Dei.]

Aureus Epicteti sēsus.

CAPUT VI.

GALENUS.

VIr (teste Sancto Hieronymo lib: 2. adversùs Jovinianum) *doctissimus.* Excellentissimus Trajani & Antonini Imperatorum Medicus, & præclarus sua ætate Philosophus, ac longævus, Vixit enim annis 140. Ex mirabili structura corporis humani, & animalium etiam exiguorum: Item ex multitudine finium ejusdem fabricæ corporis, colligit dari Opificem Sapientissimum, nec id fieri posse casu. Libro enim 17. de Usu partium, Cap: 1. leguntur apud ipsum hæc. *Galenus quis ?*

,, Certè mihi subit viros illos admirari, qui naturam ajunt ,, arte carere; si statuarios quidem laudant, cùm partes dex- ,, tras, sinistis æquales omnino fecerint. Naturam autem ,, non laudant, quæ præter partium æqualitatem, actiones ,, etiam exhibuit, ac præterea statim, ut animal fuit geni- ,, tum, usum earum, ipsum edocuit. An Polycletum quidem ,, jure admirabimur, propter partium statuæ, quæ Canon, ,, id est Regula, fuit appellata, convenientiam ac proporti- ,, onem. Naturam autem nonmodò non laudabimus, sed ,, omni etiam arte privabimus, quæ partium proportionem ,, non solùm extrinsecus, more statuariorum, sed in profun- ,, dò etiam servavit? Nonne & Polycletus ipse, Naturæ est ,, imitator, in quibus saltem eam potuit imitari, potuit au- ,, tem in solis externis partibus, in quibus artem considera- ,, vit, ab iis quæ maximè sunt in promptu auspicatus, qua- ,, rum manus una est instrumentum homini maximè pro- ,, prium, quinque habens digitos, in latos ungves desinen- ,, tes, in unoquoq; ipsorum tres articulos, ac motus, quot ,, & quales libro 1omo, exposui; quæ omnia plena sunt sum- ,, mi artificii. - Quis igitur adeo est demens, aut Operum ,, Naturæ inimicus, qui non ex cute statim, & iis quæ pri- *Summum artificium relucet in structura hominis & aliorum animantium, etiam exiguorum.* *Demens est, qui inde non intelligit*

Deum Opificem. ,mùm occurrunt, artem Opificis intelligat? Quis non statim animo concepit Mentem quandam esse, quæ vim habeat admirabilem, quæque terras omnes pervadens, in omnes ejus partes extendatur? Ubiq; certè animalia procreari videas, quæ constructionem habent admirabilem: neq; enim existimes in solo homine tantam inesse artem, quantam sermo superior explicuit: sed quodcunque aliud animal dissecare velis, parem in eo artem Opificis, ac Sapientiam reperies: & quanto ipsum minus fuerit, tantò tibi majorem admirationem excitabit; quod declarant Opifices, cùm in corporibus parvis, aliquid insculpunt: cujus generis est, quod nuper quidam in annulo, Phaéthonta, quatuor equis invectum sculpsit- quanquam horum quidquam opus, crure pulicis præstantius non habebat. Nam præterquam, quòd ars, toti cruri pulicis inest, dum ipsa vivit, alitur, atq; augetur; major adhuc alia quædam esse videtur artis ejus, qui pulicem condidit vis, atq; Sapientia, quæ ipsam nullo labore formet, nutriat & augeat. Cùm igitur ars tanta in tam abjectis animalibus appareat, quæ dixerit aliquis, accessionis vice, ab Opifice esse facta; quantam ejus Vim ac Sapientiam, in præstantioribus inesse putabimus?] *Et in fine ejusdem Lib. 17mi ait.* ,[Quis conspicatus in tanta carnium ac Succorum colluvie, scilicet corpore humano, Mentem tamen habitare: conspicatus item est cujusvis animalis constructionem, omnia enim declarant Opificis Sapientiam, Mentis quæ Cœlo inest (*non per informationem, sed per assistentiam*) excellentiam intelliget: tum Opus de partium utilitate, quod prius exiguum sibi esse videbatur, perfectissimæ Theologiæ (*id est scientiæ, cognoscendi Deum*) verum principium constitu-

,stituet, quæ Theologia multò est major, atq; præstantior, ,totâ medicinâ.]

Libro verò 3tio de Usu partium Corporis humani, Cap: 10, inquit. ,[Insanus revera is fuerit, qui præterquam quòd ejusmodi ,non admiratur Naturæ opera, etiam insimulare audeat. - ,At verò si de hujusmodi pecudibus (*intellige Epicuro, ejusq; asseclis, qui omnia ex fortuita congerie atomorum facta esse blaterabant*) plura verba fecero, melioris mentis homines, meritò mihi fortè succenseant, dicantq;, me polluere Sacrum Sermonem, quem ego Conditoris nostri verum Hymnum compono; existimoq; in hoc, veram esse ,pietatem, non si taurorum hecatombas, & plurimas, sacrificaverim, & casias, aliaq; sexcenta odoramenta ac unguenta suffumigaverim: sed si noverim ipse primus, deinde & aliis exposuerim, quænam sit ipsius Sapientia, ,quæ Virtus, quæ Bonitas. Quod enim cultu convenienti ,exornare omnia, nihilq; suis beneficiis privatum esse voluerit id perfectissimæ Bonitatis specimen esse statuo: & ,hac quidem ratione, ejus Bonitas, hymnis est nobis celebranda; hoc autem omne invenisse, quo pacto, omnia ,potissimùm adornarentur, summæ Sapientiæ est; effecisse ,autem omnino, quæ voluit, Virtutis est invictæ, ac insuperabilis.]

Epicurei, quia omnia in casum referunt, pecudes sunt.

In productione rerum, relucet Dei perfectissima Bonitas, summa Sapientia, & invicta Virtus.

Demum, ut alia prætermittam in Libro de Fœtuum formatione Cap: 6. scribit ita. [Illud manifestè præseferre mihi videtur efformatio corporis animalium, summum scilicet Opificis, qui ,nos condidit artificium, quòd nemo, qui modo, æquô judiciô rem perpendat, referre in temerariam fortunam potest. Nam cùm in animalis corpore multò plures musculi sint, quàm trecenti, qui voluntariâ motione membra agi-

Hominis structura quàm perfecta!

Quotnam in illa musculi?

,agitant; unusquisq; ex ipsis, & formam, & magnitudinem, ,& caput, & finem, & Situm, & insertionem, admodum ,convenientem habet, nervusq; ac vena, & arteria, itâ a- ,ptè inseritur, ut horum congrua ad musculum magnitu- ,do, locusq; servetur, atq; ex tam multis, nihil invenitur, ,quod reprehendi vel minimùm possit; id, quod in Libris ,de Usu partium, demonstratum est. Verumtamen si tre- ,centarum particularum structura spectetur, quarum sin- ,gulæ, decem Scopos, ac fines habeant, eosq; feliciter asse- ,quantur, ad trium millium numerum omnes evadent; & ,nondum tamen dixi id, quod maximè mirandum in ho- ,rum fabrica est: æquales prorsus esse in sinistris partibus ,musculos, iis, qui in dextris sunt: arteriis item arterias, ,venis venas, ac nervis nervos, ut tria millia finium dupli- ,canda jam sint. Idem est in ossibus, quæ ducenta sunt, & ,amplius: quorum item singulorum fines, decem cùm sint, ,longè plures, quàm duo millia efficiuntur, & duplicati, ,quatuor millia, & amplius evadunt. Eadem ars in visce- ,ribus omnibus, & demum omnibus partibus spectari po- ,test: ut si quis fines uniuscujusq; fabricæ numerare velit, ,numerus omnium, summam perfectionem assecutorum, ,in myriadas, non chiliadas, hoc est, non in millia, sed in ,dena millia redigatur. Quos ego nequaquam, ut dixi, nisi ,à Sapientissimo ac Potentissimo Opifice factos esse, cre- ,diderim. Hoc habeo, quod de Causa animalium forma- ,trice asserere posse, existimem, quòd summa in ea, ars, ,summaq; Sapientia inest. J Hucusq; Galenus.

Quot ossa?

Quanta multitudo finium?

Omnia hæc à Sapientissimo & Potentissimo effecta Opifice.

Quis porro is esset Opifex, & quænam Causa primò principalis sit formatrix animalium, dubius hærebat, hoc loco, Galenus: inclinabatq; in opinionem quorundam Platonicorum, docentium, Animam

mam

mam, quæ per totum Orbem diffusa est, fœtus formare: tamen aliis in locis, præsertim in libris de Usu partium, ut constat etiam ex allegatis hic ejus textibus, primariò id Deo attribuit. Ac meritò: nam Anima Mundi, figmentum purum est: Semini autem, vel formis brutorum, vel alicui Enti materiali, summam attribuere Sapientiam, summæ est insipientiæ.

CAPUT VII.

SEXTUS EMPYRICUS & PLOTINUS.

Quis Empyricus?

EMpyricus, Philosophus Ethnicus, Plutarchi Nepos, Marci Antonini Imperatoris amicus, floruit circa annum Christi Centesimum quadragesimum. In Examine suo physicæ scientiæ Cap. 1mo. cum aliis Antiquioribus, quos refert, impugnat Atheismum, sic.

Ex consideratione cœli, Solis, Astrorum suiq; ipsius facile deducitur homo, in cognitionem Dei: illustraturq; hoc ipsum variis paritatibus.

,,Si quispiam sedens supra Trojanam Idam, vidisset Græ-,corum exercitum decenter & ordinatè in campis proce-,dere, Equites quidem primùm cum equis & curribus, de-,inde retro, pedites: ei omnino venisset in mentem, quòd ,sit aliquis, qui regit, & moderatur, & militibus, qui ab i-,pso reguntur, eum ordinem servare imperat, nempe Ne-,stor, aut aliquis alius ex Heroibus, qui scit & equos re-,gere, & homines scutiferos: & quomodo, qui est na-,vis peritus, cùm primùm conspexit navem, quæ secun-,dô ventô fertur, & velis benè est instructa, intelligit ,esse aliquem, qui eam regit, & ad portus deducit pro-,positos. Ita, qui primùm, cœlum suspexerunt, & con-,templati quidem sunt Solem, ab Oriente usq; ad Occi-,dentem, cursum suum veluti in stadio conficientem, ,stellarum autem quasdam ordine procedentes choreas: ,inquirebant Opificem pulcherrimæ hujus ordinationis, ,eam conjectantes çasu non accidere, sed à quadam Po-

tente

,tente Natura, & in quam non cadit interitus, quæ qui-
,dem est Deus-- Quomodo, cùm conspexerimus pul-
,chrum aliquod & affabrè factum Opus, desideramus e-
,jus scire artificem, utpote quòd materia sit per se immo-
,bilis: ita universorum materiam moveri contemplantes,
,esseq; & formatam & ornatam, jure, causam, quæ eam
,movet, variisque eam formis exornat, esse concludimus.
,Deniq;, num si videris effigiem pulchrè & affabrè fa-
,ctam, dubitaveris an Mens hoc effecerit Artifex, an nec
,te tenueris, quominus tale quid suspiceris, adeo ut ad-
,mireris operis & artis excellentiam? Num ergo exter-
,nam hujus videns figuram, fers testimonium ei, qui con-
,didit, & dicis esse aliquem Opificem? In te autem vi-
,dens imaginem, quæ tam variis modis cuivis antecellit
,imagini, & picturæ, an casu eam existimas esse factam,
,& non ab Opifice, qui præstantem vim habet, & Sapien-
,tiam?]

Plotinus quis?

Plotinus, (teste Marsilio Ficino lib. de Religione Christianâ Cap: 12, & Macrobio) *Platonicorum Interpretum, & Philosophiæ Princeps*, in quo (ex communi Philosophorum & Divi Augustini lib. 3. Acad: sensu) Plato videtur revixisse, Multorum Romanorum Senatorum & Porphirii, in Philosophicis, Magister: Galieno Imperatori, ejusq; uxori Salominæ percharus: natione Ægyptius, Licopoli enim in Ægypti Civitate natus: asserit & probat dari Primum Ens, seu Deum, à quo omnis res & omne pulchrum accipit suum esse. Item probat, quòd Deus, sit Unus, cùm sit Ens se solo sibi sufficiens, nec indigus locô. Enneade enim 4ta lib. 7. Cap. 9. scripsit hæc.

Is probat Naturam quandam

, [Omnino necesse est, alteram quandam esse Natu-
,ram, præter corpora, quæ esse habeat ex seipsa- Non o-
,mnia peregrinâ utuntur vitâ, alioqui in infinitum pro-
gres-

,gressio fiet: sed oportet Naturam quandam existere Pri- *dari vi-*
,mò Viventem, quam Incorruptibilem, Immortalemq; es- *ventem*
,se, necessarium est, utpote quæ aliis sit vitæ principium. *incorru-*
,Hoc sanè in gradu, omne Divinum atq; beatum oportet *ptibilem ,*
,consistere, ex seipso vivens, atq; existens, primò exi- *à se, eam-*
,stens, primoq; vivens, mutationis secundùm Essentiam *que causā*
,expers, neq; oriens neq; occidens - Hoc itaq; Primum *aliorum*
,Ens, semperq; Ens, non decet vitâ carere, instar lapidis, *Entiū esse*
,aut ligni, sed oportet esse Vivens, purâq; vitâ frui.] *Et Enneade 2. lib. 9. Cap. 16. ait.* [Ille animô erit prorsus igna-
,vô, neq; ad aliquid unquam aliud incitabitur, quisquis
,videns cuncta in hoc Mundo præclara spectacula, abso-
,lutumq; ordinem, ex perfecta mensurarum proportione
,compositum, ac speciem in stellis, quamvis longè remo-
,tis mirificè resplendentem, hinc non admiratione inten-
,tissima contempletur & colat, qualia videlicet, à quali
,proficiscantur admirans: alioqui neq; hoc consideravit,
,neq; illa cognovit.] *Enneade item 6. lib. 9. Cap: 4. 6. & 7. dicit.*
,[Omne pulchrum, & Deô est posterius, & à Deo: quem-
,admodum diurnum omne lumen à sole. - Potest aliquis *Hocq; Ens*
,per id, quòd Deus, seipso sufficiens appellatur, summam *à se, est u-*
,Dei Unitatem nihilominus comprobare; oportet enim *num, nec*
,summum rerum Principium, nullo modo indignum es- *indiget*
,se, sed sufficientissimum omnium, maximèq; seipso con- *locô,*
,tentum: Quidquid autem non Unum est, sed multum,
,necessariò est egenum. Quippe cùm ipsum quidem non
,sit unum, sed ex multis, unum evadat, itaque ejus essen-
,tia indiget, unum fieri: at ipsum Unum, seipso non in-
,diget, ipsum namq; jam existit -- Locus item huic est
,nullus, nullo enim indiget fundamentô, quasi se sustine-

,re non possit: nam quod in alio fundandum est, vitâ ,vacuum judicatur, molesq; labans, nisi fortè sustineatur, ,stabiliuntur & alia propter ipsum, per quem & simul ,exstiterunt, & locum sortita sunt, ubi ex ordine loca-,rentur: quod autem quærit locum, proculdubio est ege-,num: at verò Principium his, quæ seqvuntur, minimè ,indiget. Itaq; Principium omnium, prorsus indiget nul-,lis. -- Meritò Deum, quem fugiunt (*Athei*) apprehen-,dere nequeunt, & qui seipsos jam perdiderunt, alium ,indagare non valent. Atqui & filius furore quodam ex-,tra se positus, non agnoscet Patrem: qui verò seipsum ,didicerit, etiam unde sit, jure cognoscet.]

Cur quidã negant Deum?

Gentilibus Philosophis appono Philonem, qui licèt tempore prior sit Galenô, Empyricô, & Plotinô, tamen Religione propior fuit Patribus.

CAPUT VIII.

PHILO.

Philo, quãto in pretio habitus à Patribus. Et à Gentilibus.

HEbræorum Plato: illum enim, teste Sancto Hieronymo Epistola 84. ad Magnum Oratorem Romanorum. *Vel alterum, vel secundum Judæum Platonem, Critici pronuntiant.* Juxta Sanctum Augustinum lib. 12. contra Faustum, Cap: 2. *Vir liberaliter eruditissimus, unus eorum, cujus eloquium, Græci, Platoni æquare, non dubitant. Qui* (ut scribit Eusebius lib. 2. Histor: Eccles:) *non nostrorum hominum solùm, sed etiam Gentilium, qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantiâ excellebant, facilè principem locum obtinuit - Omnibus suæ memoriæ & ætatis Viris antecelluisse prædicatur.* Primus divinarum Scripturarum Veteris Testamenti Expositor. Natione fuit Alexandrinus, inter suos primarius: fuit enim germanus frater Tiberii Alexandri Alaibarchæ (sic in Ægypto, Judæorum summus Magistratus appellabatur) cui, Romæ, inter Consulares Vespasia-

ſpaſiani Amicos, Statua fuit erecta: ad Cajum Caligulam Imperatorem legatione pro Gente ſua functus etiam eſt. Hic, inquam, alter Plato, lib: 1. de Monarchia, non procul ab initio, redarguit Atheos, taliter.

,[An ſit Deus, quòd negat quorundam peſſima impi-
,etas, non magnô diſcitur negotiô, Opifices plerumque
,noſcuntur ex opificiis: quis enim inſpectâ ſtatuâ, vel
,tabulâ, non ſtatim intelligit pictorem, vel ſtatuarium?
,Quis veſtibus, navibus, domibus, inſpectis, non cogitat
,Textorem, Materiarium, Cæmentarium? Item dum ali-
,quis adit Urbem, cujus benè conſtituta ſit Reſpubli-
,ca, ornataque pulchris legibus, quid aliud credet, quàm
,bonos ei Magiſtratus præeſſe? Sic qui venit in hanc
,veram Megalopolim (*id eſt magnam Urbem*) Mundum
,videlicet, videns terræ montana, & campeſtria, plena
,ſtirpibus & animalibus, omnibus perennibus & torren-
,tibus, pabulis, & maritimis ſubvectionibus, tum àëris
,temperiem & mutationem viceſque annuas temporum;
,ad hæc, Solem, Lunamq; noctis & Diei Principes, cæ-
,teraque ſidera, vel fixa vel erratica, totiusq; Cæli cho-
,reas & ambages: nonne veri ſimilem atque adeo ne-
,ceſſariam cogitationem de horum Patre Conditore, at-
,que Rectore concipiet? Nullum enim artificioſum o-
,pus ſponte provenit. Mundus autem arte ſumma fa-
,ctus eſt, dubiò procul à Conditore optimo ac perfe-
,ctiſſimo. Ita jam, eſſe Deum, percepimus.]

Oſtendit, magis poſſe Dei Exiſtentiam demonſtrari ex Creaturis quàm ex artefactis artificem.

Libro autem de ſomnijs leguntur hæc. [Credendum eſt,
,ſicut in curru, aurigam; aut in navi, Gubernatorem;
,ita in rebus omnibus, ſuperſtare eum, qui præeſt Cor-
,poribus, Animabus, Animantibus, Mentibus, Angelis,

,cunctis, quæ, terrâ vel àére, vel cœlo continentur, Na-
,turis, tum visibilibus, tum invisibilibus, totum enim
,Mundum ex se pendentem regit.]

Gentilibus Philosophis, & Hebræorum Platoni succedant jam decem Patres, Eruditione, Sapientiâ, imò pleriq; & Sanctitate, præstantissimi, Eversores Atheismi.



LIBRI SECUNDI
PRO DEO CONTRA ATHEOS.
TRACTATUS TERTIUS.
SAPIENTISSIMORUM DUODECIM PATRUM, ET THEOLOGORUM VALIDA REFERUNTUR ARGUMENTA EVERSIVA Atheiſmi.

IN Superiori 2do Tractatu, Gentiles octo Philoſophos, & Philonem, Hebræorum Platonem, adversùs Atheos victoriosè decertantes, ſpectavimus: nunc juxta ordinem temporis, quô floruerunt (ſi excipias tantùm Divum Chryſoſtomum, ob rationem infrà dandam) duodecim Patres, omnigenæ Eruditionis ac Sapientiæ Proceres inducuntur: ſcilicet, S. Athanaſius, S. Nazianzenus, S. Auguſtinus, S. Proſper, S. Damaſcenus, S. Bernardus, Richardus, S. Edmundus, S. Thomas, S. Bonaventura, Subtilis Scotus, & S. Chyſoſtomus. Quibus hi armis ac telis impetant & proſternant Atheos, libeat nunc intueri. Porro Divus Chryſoſtomus, licèt tempore præceſſit S. Damaſcenum, quin & S. Auguſtinum, (floruit enim circa Annum 390) tamen in Tractatus hujus 3tii, imò ferè & totius hujus Voluminis Concluſione, poſt alios Patres ac Doctores inducitur, non tam ex eo, quia nervosè ac eloquentiſſimè, more ſuo, multa complectitur, verbis ſuis infra apponendis: quàm, quòd illa ejus verba, Spiritûs Dei fervore plena, plurimùm convenientia ſentiam, ad confirmandos Fideles in ſua certiſſima ſententia de Dei Exiſtentia, nec non ad permovendos Atheos, ut à ſuo errore nefando recedant: quod utrumque, non tantùm hujus Tractatus 3tii, verùm etiam totius Voluminis conſcripti præcipuus eſt finis. Jam ſit

Nomina duodecim Patrũ & Theologorum recenſentur.

Cur Divus Chryſoſtomus in fine Tractat⁹ huj⁹ inducitur?

CAPUT I.

S. ATHANASIUS MAGNUS.

Divi Athanasii Encomium.

MAgni Antonii Discipulus, Archiepiscopus Alexandrinus, qui per quadraginta sex Annos, magnis persecutionum, calumniarumque procellis, ab Arianis, imò toto ferè Oriente, agitatus, semper Victor evasit: quem Constans Imperator Occidentis, & Orthodoxi, summè coluerunt: de quo Sanctus Nazianzenus in Oratione de laudibus Sancti Athanasii, & in Oratione, quam in laudem Heronis, aut veriùs Maximi, Philosophi composuit, habet hæc. *Athanasius, virtutes omnes complexu suo tenebat; ex Patriarchis, Prophetis, & Christi Discipulis, alios æquavit, ab aliis parvô intervallô superatus est, nonnullos etiam antecessit. Vitâ, sublimis: Formâ, Angelicus; Animâ, magis Angelicus. Oculus Orbis: Fidei Columen: Christi Lucerna: Secundus Præcursor. Magna veritatis Tuba.* Sonum hujus Tubæ, in Oratione contra Idola, audiant Athei.

Enumeratione variorum operum & additis plerisq; illustrationibus, probat Sanctus Doctor existere Deum.

,[Homini est facultas, ex illis quæ apparent; Dei co-
,gnitionem addiscere, rerum Natura, veluti literis, per Or-
,dinem & Harmoniam, Dominum suum Conditoremq; in-
,dicante, & altissima voce protestante. Bonus enim cùm
,sit Deus, & hominum amans, curatorque Animarum, quas
,condidit, sed tamen invisibilis, & incomprehensibilis natu-
,râ, & altior omnibus rebus creatis, ut homo in eo co-
,gnoscendo frustra laboraret, eò, quòd ipse ex non Ente
,ad essentiam prodierit, Ille autem creatus non sit; ideo re-
,rum naturam ita ratione instruxit, ut quamvis per natu-
,ram sit invisibilis, ex operibus tamen cognosci potest. Sæ-
,pè enim ex operibus cognoscitur Artifex, etiamsi in ocu-
,lis non sit; quemadmodum referunt de statuario Phidia,
,quem sua opera ex commensione & proportione partium
,inter se, etiam absentem, extraq; contuitum, positum re-
,præsentarint. Ita quoq; ex Mundi Ordine, ejus Opifex &

Con-

,Conditor Deus intelligendus eſt, tametſi corporeis oculis ,ſpectari nequeat. - Quis enim cœleſtem Ambitum, cur- ,ſum ſolis & Lunæ, aliarumque ſtellarum ſitus, rationesq; ,actas in Orbem, contrarias quidem & diverſas, ſed tamen ,in diverſitate illa, æqualiter ordinem ſuum ſervantes, cer- ,nens, non ſecum ratiocinetur, illa non à ſe ipſis creata eſ- ,ſe, ſed alium eſſe earum rerum Conditorem, Gubernato- ,remque? Quis item Solem conſpiciens, diurno tempore ,exorientem, Lunam verò noctu apparentem & occiden- ,tem indemutabili lege pro certo numero dierum, incre- ,menta & decrementa ſumere, ex ſideribus alia diſcurre- ,re, ac multipliciter curſus ſuos variare, alia verò citra va- ,gationem, certô modô procedere, non animo colligat, ,omnino eſſe aliquem Opificem, qui iſta gubernet? Quis ,item cernens contrarias inter ſe naturas, còáptatas tamen ,eſſe, & concordem harmoniam tenere; veluti quis videns ,ignem, frigido; & ſiccum, humido commixtum eſſe, at- ,que hæc ſibi invicem non reſiſtere, ſed unum quaſi ex u- ,no corpus abſolvere, non ſecum cogitet, foris & ſeorſim ,eſſe Eum ab iſtis, qui iſta ad hunc modum conjunxit? ,Quis oculis viciſſim animadvertens, Hyemem conceden- ,tem Veri, Ver æſtati, Æſtatem Autumno, eaq; inter ſe con- ,traria, cùm aliud infrigidet, aliud fervefaciat, aliud fove- ,at, aliud corumpat, omnia tamen iſta æqualem, innoxi- ,umq; uſum hominibus conficere, non conſideret eſſe ali- ,quem iſtis præſtantiorem, qui omnibus æqualitatem præ- ,beat, omniaq; gubernat? quanquam ſub oculos noſtros ,non veniat. Quis ſpectans in àére nubes fieri, & in nubi- ,bus pondus aquarum colligatum, non cognitionem con- ,cipiat de eo, qui eas res colligavit, cujusq; juſſu hæc o-

omnia

,mnia fiunt: aut quis considerans ipsam terram, naturâ gra-
,vissimam, in aqua stabiliri, immotamq; consistere in re
,suapte naturâ agitabili, non secum expendat, esse aliquem,
,qui hæc ita disposuerit & fecerit, Deum? Quis rursus vi-
,dens suis temporibus, terræ fæcunditatem ac pluvias cœ-
,lestes, amnium affluxus, fontium scaturigines, animalium
,ex diversis sexibus fœtum, eaq; non semper, sed certis
,temporum vicibus, fieri. In summa, quis animadverso,
,in dissimilibus contrariisq; parem similemq; ordinem ex
,illis conflari, non animo ratiocinetur, unam esse Vim Po-
,tentiamq;, quæ ista dispenset & gubernet? pro cujus ar-
,bitrio, omnia ita ritè in eo statu perseverant, ipsa enim
,per se nunquam vel constiterint, vel apparuerint, ob mu-
,tuam, quæ in eis est, discordiam naturæ. Aqua enim per
,se gravis est, & deorsum fluit: Nubes contrà leves, & ex
,eo numero rerum, quæ agiles sunt, sursumq; feruntur:
,nihilominus tamen, aquam cernimus, quæ ponderosior
,est, in nubibus per àërem circumferri: ac rursus terram
,omnium gravissimam esse, rursum verò aquam, hac levi-
,orem, tamen gravius à leviori portari, nec subsidere, sed
,terram immobilem consistere. Masculus item non idem
,est, quod fœmina, tamen in unum conciliantur, unaq; ab
,ambobus similis animantis procreatio conficitur. Et ut
,compendio dicam, frigidum calido infestum est, humidum
,sicco repugnat, ob id tamen postquam convenerint, nihi-
,lo magis inter se se seditionibus laborant, sed ex concor-
,dia, unum corpus & rerum omnium procreationem con-
,stituunt. Non igitur pugnantia & contraria, ex ipsa na-
,tura in unum còalescerent, nisi præstantior aliquis esset,
,& Dominus, qui ea conjungeret, cui & ipsa elementa

tan-

,tanquam ſervi obſequentes cedunt, & obtemperant- Qua-
,lis, quæſo, Mundus eſſet, ſi Sol tantummodò appareret, aut
,Luna duntaxat circumferretur, aut nox ſola, aut dies per-
,petuus exiſteret? qualis rurſus harmonia, ſi tantummo-
,dò cœlum ſit ſinè ullis ſtellis, aut ſtellæ ſinè cœlo? quid
,utile, ſi ſolùm mare in rerum natura inveniretur, aut
,terra ſinè aquis, aliisq́; naturæ partibus jaceret? Quomo-
,do aut homo, aut ullum in terris animal prodiiſſet, ele-
,mentis inter ſe ſeditione ſævientibus, & uno duntaxat præ-
,dominante, neq́; tamen eo ipſo ad corporis conſtitutio-
,nem ſatis efficaci? Non enim ex ſolis calidis, aut ex ſo-
,lis frigidis, aut ſolis humidis, aut ſiccis omnino aliquid
,componitur; ita enim omnia omnino incompoſita, inor-
,dinataq́; eſſent: ſed neq́; hoc ipſum, quod prædominatu-
,rum cæteris videretur, conſiſtere per ſe, ſine aliorum ad-
,miniculo poſſet: ſiquidem ideo omnia etiam nunc conſi-
,ſtunt, quia non inordinatio, ſed ordo eſt in omnibus, ne-
,que diſconvenientia, ſed convenientia, neq́; rudis indige-
,ſtio, ſed mundus, qui nihil aliud eſt, niſi congruens un-
,decunq́; diſpoſitio. Neceſſum eſt igitur reputare, atque
,cognoſcere eum Dominum, qui iſta in unum còégit, &
,concentum iſtum, congruentiamq́; injunxit, qui tametſi
,oculis non conſpiciatur, ab ordine tamen, congruentiaq́;
,rerum diſſidentium, intelligere eum poſſumus, iſtorum
,omnium Principem, Ducem, & Regem eſſe. Ut enim ſi
,videas Civitatem ex multis, variisq; hominibus conſtan-
,tem, parvis, magnis, opulentis, pauperibus, ſenibus, ju-
,nioribus, maribus, fœminis, bono ordine rectâq́; diſcipli-
,nâ coli, eosq;, qui ibi degunt, tametſi diverſos inter ſe, ani-
,mô tamen conſentire, neq́; opulentiores contra pauperes,

Xx neq́;

,neq; magnos, contra parvos, neq; juvenes contra senes, ,insurgere, sed omnes æqualitate juris, pacem tueri. Si hæc ,inspiciamus, fieri nequit, quin in mentem veniat, Princi- ,pis ibi præsentiâ hanc concordiam foveri, tametsi ille in ,conspectum non prodeat, cùm immodestia, pro signo ha- ,beatur, sine capite Rempublicam esse: Ordo autem con- ,tra, Principis curam, moderationemq; demonstrat. Ut e- ,nim cùm in corpore, membrorum inter se congruentiam ,videmus, neq; oculos cum auribus pugnare, neq; manus ,contra pedes, seditionem movere, sed unumquodq; pro- ,prium perficit negotium absq; seditione; prorsus ex illo ,ipso intelligimus, esse animam in corpore, quæ ista, ad ,istum modum temperet, ac regat: etiamsi illa, oculis non ,pateat; ita quoq; Universitatis istius ordine & harmoniâ, ,necesse est, ut animadvertamus, omnium istorum Prin- ,cipem, esse Deum, eumq; Unum, & non plures. Nam il- ,le dispositionis ordo, & rerum omnium consentiens har- ,monia, non multos, sed unum sibi Ducem, Principemq; ,esse, declarat. Quemadmodum, sicut Musicus, ubi lyram ,adaptaverit, & gravia acutis, & media, extremis, ex arte ,sua conjunxerit, certum, designatumq; melos absolvit. Ita ,quoq; Dei illa Sapientia, rerum universitatem, ut lyram ,tenens, & àëra terrenis copulans, & cœlestia àëreis, uni- ,versaq; cum singulis còaptans, circumagensq; nutu suo, ,ac Voluntate unum Mundum, Mundiq; unum ordinem ab- ,solvit rectè & congruenter, ipse quidem invisibilis perse- ,verans. - Homines stolidi, repudiatâ Dei cognitione & pi- ,etate, res, quæ non sunt, rebus, quæ sunt, anteposuerunt, ,& pro vero Deo, ea, quæ nulla essent, Deos statuerunt, ,creaturæ potiùs quàm Creatori servientes, remq; & stul-

Dei Unitas probatur.

tam

,tam & impiam designantes: non aliter, quàm si quis, ope-,ra, præ Opifice admiretur, & ad monumenta in civitate ,obstupescat, conditorem eorum pedibus conculcet. Aut ,veluti, si qui, musicum instrumentum laudibus extollant, ,Concinnatorem, Auctoremq; ejus rejiciant, stolidi nimi-,rum, & magnopere oculis capti. Quomodo enim ullâ ra-,tione cognoverint aliter, aut navem, aut domum, aut cy-,tharam, si non faber navalis, qui operam adhibeat, aut ,Architectus, qui ædificet, aut Musicus, qui concinnet, & ,componat? ut igitur qui hæc considerant, furunt, imò ,omnem furorem transcendunt, ita mihi sani esse non vi-,dentur, qui Deum ignorant, & Verbum ejus non colunt.] Hucusq; Sanctus Athanasius, de quo Divus Nazianzenus scribit: *Erat percutientibus adamas, diffidentibus Magnes.* Utinam his validis rationibus ab hoc Sancto allatis, ad agnitionem Dei, ferrei attrahantur Athei.

CAPUT II.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

IS primùm Saslimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, de quo Sanctus Hieronymus Lib: de Scriptor: Eccles: ait. *Vir eloquentissimus Præceptor meus Gregorius, quô Scripturas explanante didici.* S. Damascenus in Epistola ad Cosmum. *Magnus*, inquit, *in Theologia Gregorius.* S. Basilio, Studiorum comes Athenis, eiq; amicissimus. *Cujus* (teste Ruffino) *neq; vitâ aliquid sanctius: neq; eloquentiâ clarius & illustrius: neq; fide purius & rectius: neq; scientiâ plenius & perfectius, inveniri potest. Sol Orientis* (ut dicit Card: Baronius in Notis Martyrol:) *occasum nesciens: Sacer Vertex Orientalis Ecclesiæ. Cujus* (inquit S. Thomas, 1. p. q. 61. art. 3.) *tanta est in doctrina Christiana Auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis, calumniam inferre præsumpserit.* Calumniaberisne ejus, Athee, Rationes, quibus Existentiam Dei propugnat? Audi illas, desumptas ex Oratione 2da sive lib. 2do de Theologia. *Quàm Eximius Doctor Divus Nazianzenus!*

 De-

Oculi & Naturæ lex qualiter docent dari Deũ: multis id modis declarat Sãctus Doctor.

,[Deum (*inquit*) esse, eundemq; omnium effectricem,con-,servatricemque esse causam, & oculi & naturæ lex, nos ,docent. Illi quidem, dum ad ea, quæ his videri possunt, ,convertimur, & omnia pulchrè compacta, pulchrius pro-,gredi, ac ut sic dicam, sine erroris motu moveri, ferrique, ,miramur. Hæc verò, dum per ea, quæ oculis sunt expo-,sita, eoq; ordine composita, Principem eorum Auctorem, ,& velut Architectum, ratiocinando colligimus. Alioqui ,quibus fundamentis hæc rerum Universitas, vel subsiste-,ret, vel constaret, nisi essentiam cuiq; suam suppeditaret, ,suppeditatamq; conservaret Deus? Et profectò, ut, qui ,bellè fabricatam cytharam, ejusq; concinnitatem, com-,positionemq; miratur, aut concentum audit, nihil aliud, ,quàm ipsius cytharæ vel artificem vel moderatorem cy-,tharædum, animo concipit, eoq; tota cogitatione conver-,titur, etiamsi oculis eum fortasse non cernat; ita & nobis, ,se ipsum prodit illud, quod & facit omnia, & facta mo-,vet atq; conservat: cùm interim quid illud tandem sit, ,mentis nostræ angustiis nequeat comprehendi. Quid est, ,quod cælestia hæc pariter & terrena, pulcherrimo ordine ,concinnavit, & quæcunq; vel in àére, vel aquis degunt, ,imò quæ his sunt antiquiora, cœlum, terram, & aquæ na-,turam? Quis hæc sic inter se & temperavit, & secrevit, ,quæve horum mutua communicatio, cognatio, conspira-,tioq;? est, (*scilicet, Oppianus Cilix Pòéta Græcus Gentilis, An-,tonino Imperatori percharus*) cujus hæ sunt voces. Quid ,est, quod hæc movet, & progressu perpetuo, & nunquam ,interquiescente vertigine circumagit? an non horum Ar-,tifex? Is, qui singulis rationem, & modum indidit secun-,dùm quem, hæc rerum, universitas se ipsa librans consta-bili-

,bilitur? Tum quis ille Artifex? an non, qui hæc fabrica-
,vit, & ut sic essent, produxit? neq; enim fortuitis casibus
,tantum facultatis est tribuendum, ut nullo fabricante, tan-
,tam molem ultro extitisse assentiamus. Sed ut demus,
,casum esse, quòd Mundus factus est. Age, pulcherrimus
,hic rerum ordo, cujus erit? quin potiùs, ut & hoc, casui
,tribuamus, illud quæro, cujus sit hæc tueri, & velut inter
,certarum legum præscripta, juxta quas instituta primùm
,sunt omnia continere, alteriusne, an & hoc casus? alte-
,rius profecto, quod casu multò sit superius. Hoc autem
,quid tandem est, si non Deus est? & ad hunc modum,
,ratio, quæ à Deo proficiscitur nobis innata, & prima ho-
,mini lex, cunctis indita, per eorum, quæ oculis cerni pos-
,sunt considerationem, velut quandam semitam, ad Deum
,nos reduxit. Proinde alio initio denuo sumpto, sic dici-
,mus. Deus, quid tandem in sua Natura & Essentia sit?
,(*Intellige perfectè & omnimodè*) hoc hominum nemo in-
,venit unquam: sed quod sit, hoc nemo non invenerit.]

Oratione verò 4ta, sive libro 4to, de Theologia dicit. [Tres
,de Deo sunt præcipuæ opiniones; quarum prima, nullum
,Deum, nullum Dei Imperium: alia, Deos multos, & cui-
,que suum Imperium: Tertia unum solùm, ejusq; unicum
,Imperium statuit. Duabus prioribus, luserunt Græci, at-
,que adeo ad Satietatem usque ludant: siquidem ubi nul-
,lum est Imperium, ubi nullus ordo: ubi multorum domi-
,nium, ibi seditio: ut & sic nullum Imperium, nullus or-
,do existat]

CAPUT III.

SANCTUS AUGUSTINUS.

Divi Augustini Encomiũ ex Patribus.

DE hoc Sancto, Caſſiodorus, Conſul olim Romanus, libro de Inſtitut: Divin. liter: cap. 22do ſcripſit: *Doctor eximius Beatiſſimus Auguſtinus, Debellator hæreticorum: Defenſor fidelium, & famoſorum Palma certaminum.* A Sancto Paulino, aliiſq;, meritò appellatur: *Magiſter Theologiæ: Doctor Doctorum: Eruditorum Sanctiſſimus, & Sanctorum eruditiſſimus.* Eum Sanctus Damianus, Sermone de Sancto Stephano, rectiſſimè nominat: *Linguam Eccleſiæ.* Divus verò Bernardus, Serm. 80. in Canticâ. *Validiſſimum hæreticorum malleum.* quàm validè conterat hic malleus, etiam Atheos, audiatur.

Dei Exiſtentia, cur non neganda, etſi non videatur oculis corporeis.

Enarr: in Pſalmum 73. ait. ſ Dicitur mihi, ubi eſt De-,us tuus? & quia non poſſum oſtendere Deum meum, quaſi ,inane ſequar, inſultatur mihi. Quid faciam talibus? Oſten-,dam, quod non vident, non poſſum. Non enim propter ,illos, Deus, viſibilis debet fieri. Videat, qui poteſt, credat, ,qui non poteſt, eſſe Deum, &, ſi videt, qui poteſt, num-,quid oculis videt? intellectu videt, corde videt. Non vi-,deo, inquit, quid crediturus ſum? Anima enim tua vide-,tur? ut opinor; ſtulte, corpus tuum videtur. Animam tu-,am quis videt? cùm ergo corpus tuum ſolum videatur, ,quare non ſepeliris? Miratur, quia dixi: ſi corpus tantum ,videtur, quare non ſepeliris? & reſpondet: Sapit enim ad-,huc: quia vivo: unde ſcio, quia vivis, cujus Animam non ,video? unde ſcio? Reſpondebis: quia loquor, quia ambu-,lo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis, agnoſco vi-,ventem. Ex operibus creaturæ, non potes agnoſcere Cre-,atorem? J

Philoſophi Gentiles

Sermone 143. ſ Vobis inſinuavimus, Sapientes Genti-,um, quos Philoſophos dicunt, ipſi, qui in eis excellentiſ-

,ſimi fuerunt, ſcrutatos fuiſſe naturam, & de operibus Ar-,tificem cognoviſſe. Prophetas non audierunt, legem Dei ,non acceperunt, ſed Deus quodam modo ſilens, ipſius Mun-,di operibus loquebatur: eos ad quærendum Artificem re-,rum, Mundi ſpecies invitabat: Nec potuerunt in animum ,inducere, cœlum & terram, ſine auctore conſtare-- In-,terroga pulchritudinem terræ; interroga pulchritudinem ,maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffuſi àéris, ,interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem ſide-,rum, interroga Solem, fulgore ſuo diem clarificantem; in-,terroga Lunam, ſplendore ſubſequentis noctis tenebras, ,temperantem; interroga animalia, quæ moventur in aquis, ,quæ morantur in terris, quæ volitant in àére, latentes ani-,mas, perſpicua corpora, viſibilia regenda, inviſibiles re-,gentes, interroga iſta. Reſpondent tibi omnia: Ecce vide, ,pulchra ſumus. Pulchritudo eorum, confeſſio eorum eſt: ,Iſta mutabilia, quis fecit? niſi Incommutabilis Pulcher. J Vide ex eodem S. Doctore ſuprà plura, lib. 1. Tract. 3. ſub Argumento 25. & 26. ac alibi.

undenam agnoverunt, Deum eſſe?

CAPUT IV.

S. PROSPER. S. DAMASCENUS.

DIvus Proſper Aquitanus, S. Leonis Magni quondam Notarius, Epiſcopus Rhegienſis, adverſus Pelagianos acerrimus Fidei & Divi Auguſtini præclarus Defenſor: is in libro 2do de Vocatione Gentium cap. 4. in paginis Elementorum, legendam Atheis exhibet DEI exiſtentiam, inquiens. ſ Cœlum ac terra & mare, omniſq; cre-,atura, quæ videri atq; intelligi poteſt, ad hanc præcipuè ,diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut Natura ratio-,nalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot

S. Proſper, in paginis Elementorum legẽdum exhi-

bet Atheis testimonium de Existentia Dei.

,tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & ,dilectionem, sui imbueretur Auctoris, implente omnia Spi- ,ritu DEI, in quo vivimus, movemur & sumus.-- Et qui- ,dem ut dicit S. Paulus, non sine testimonio reliquit semet- ,ipsum DEUS, bene faciens de cœlo, dans pluvias, & tem- ,pora fructifera, implens cibô & lætitiâ corda vestra. Quod ,est autem hoc testimonium, quod semper Domino deser- ,vivit, & nunquam de ejus bonitate ac potestate conticuit? ,nisi ipsa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenar- ,rabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per ,quæ humanis cordibus, quædam æternæ Legis tabulæ præ- ,bebantur, ut in paginis Elementorum, ac Voluminibus ,temporum, communis & publica Divinæ Institutionis ,Doctrina legeretur Cœlum ergo, cunctaq; cælestia, ma- ,re & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ, ,ordinationisq; concentu, protestabantur gloriam DEI, & ,prædicatione perpetua, Majestatem sui loquebantur Aucto- ,ris.] Hæc S. Prosper.

Quis S. Damascenus?

S. Joannes, natione Damascenus, cognomento autem Chrysoras, & Mansur, à Paulo Diacono appellatur etiam, Manzurim, & Saracenicus. Vir (ut ait Suidas) eloquentissimus, nec ulli eorum, qui ipsius tempestate, doctrinæ Laude præcipuâ claruerunt, secundus: insigni etiam Sanctitate conspicuus: qui primus circa annum 740, Theologiam universam recto ordine comprehendit in suis quatuor libris de Fide Orthodoxa, eumq; imitati sunt Magister Sententiarum, ac Doctores Scholastici. Quem Joannes Jerosolymitanus Patriarcha, describens ejus vitam, appellat: *Veritatis Ducem, insipientes sapientiâ instruentem.* Atheos insipientes, qualiter, libro 1mo de Fide Orthodoxa cap. 3tio instruat, audiatur.

Cuncta quæ vide-

,[Omnia, quæ in rerum natura sunt, aut creata sunt, aut ,increata. Si creata: utiq; & mutationi obnoxia? quorum enim

,enim natura à mutatione initium duxit, ea quoq; mutati-
,oni ſubſint, neceſſe eſt: utpote quæ, vel intereant, vel vo-
,luntate atq; animi inſtitutô commutentur. Si autem incre-
,ata; ſequitur profectò, ut mutari nequeant. Quorum
,enim Eſſentia inter ſe contraria eſt, eadem quoq;, eſſen-
,tiæ modo ac ratione, hoc eſt, quantum ad proprietates at-
,tinet, inter ſe pugnant. Ecquid ergo nobis non aſſentia-
,tur, omnia quæ ſunt, non ſolùm, quæ ſub ſenſum noſtrum
,cadunt, ſed Angelos etiam ipſos mutari & alterari, variô-
,que ac multiplici modô moveri atq; immutari? ſic nimi-
,rum, ut ea quidem quæ animô intelliguntur, hoc eſt An-
,geli, Animæ, & dæmones, voluntatis ratione atq; & pro-
,greſſionis in bono, & rurſus abſceſſionis à bono, ſe ſe vel
,intendentis, vel remittentis, reliqua verò quantùm ad ge-
,nerationem & corruptionem, augmentum item & decre-
,mentum, mutationemq; eam, quæ qualitate contrahitur,
,ac denique localem motum, immutentur. Quocirca quæ
,mutabilia ſunt, ſanè etiam creata ſunt. Quæ autem creata
,ſunt, dubium non eſt, quin à quopiam condita ſint. Con-
,ditorem porro increatum eſſe neceſſe eſt: nam ſi ipſe quo-
,que creatus eſt, à quonam profectò creatus eſt: idque tan-
,tiſper locum habebit, quò ad aliquid minimè creatum per-
,venerimus. Increatus ergo omnino eſt Summus ille Opi-
,fex, atq; immutabilis: hoc autem quid tandem aliud eſſe
,queat, quàm Deus? Jam verò ipſa rerum conditarum
,compages, & conſervatio atq; gubernatio Deum eſſe, qui
,univerſam hanc rerum molem còagmentavit, atque tu-
,eatur, atque conſervet, eique perpetuò proſpiciat, nos do-
,cet. Qui enim, quæſo, fieri potuiſſet, ut ignis & aqua, àër,
,& terra, hoc eſt pugnantes inter ſe naturæ, ad unius Mun-

tur, ſunt mutabi-lia; proinde ab alio immutabili & increato Ente, producta.

Compages ex diver-

 di

sis naturis conservatio & gubernatio Mundi, indicant esse Deum.

,di ornatum, numeris omnibus absolvendum simul coirent, ,adeoq; tenaci nexu cohæreant, ut nulla ratione dissolvi ,possint? nisi omnipotens vis aliqua, hæc & conciliasset, & ,ita semper tueretur, ut disjungi ac dissolvi nullo modo ,queant? Quis ea, quæ in cælis, & quæ in terra, quæ in àére, ,& quæ in aquis degunt, imò etiam quæ his priora sunt, cæ- ,lum, ac terram & àérem, ignis etiam & aquæ naturam cer- ,to ordine collocavit? Quis hæc junxit & separavit? Quis ,motum his attulit? Quis hæc perpetuô & nulla re impe- ,dito cursu versat? An non eorum Artifex & Fabricator? ,Quiq; omnibus rebus rationem, modumque imposuit, quô ,Universum hoc volvitur ac gubernatur? jam quis horum ,Artifex? Nonne is, qui ea procreavit, atq; in ortum pro- ,duxit? Nec enim casui ac fortunæ talem vim facultatem- ,que tribuemus. Sit enim sanè casûs ac fortunæ, quòd ex- ,stiterint: cujus tandem erit, ea, suo ordine colocasse? Ve- ,rùm illud quoq;, si lubet, concedamus: cui tandem eorum ,juxta eas, quibus primùm condita sunt rationes, conser- ,vationem atq; custodiam adscribemus? alteri nimirum, ,quàm fortunæ. Hoc verò ecquid aliud esse queat, quàm Deus?]

Recensentur ea, ex quibus declaratur Dei Virtus

Item in historia Barläam cap. 17. idem Sanctus Damascenus ait: [Si navis, sine Gubernatore non potest subsistere, ,sed mòx submergitur: & domus modica sine Provisore: ,Mundus quomodo constat tanto tempore, creatura sic ,magna, sic bona, & mirabilis, sine gloriosa quadam, ac ,magnifica atq; mirabili gubernatione & Sapientissima Pro- ,videntia? Ecce enim cœlum, quantum tempus habet? & ,non denigratum est: terræ virtus non est lassata ex tanto ,tempore: fontes non desierunt fluere, ex quo facti sunt: mare,

,mare, tot & tanta suscipiens flumina, non supergreditur ,mensuram. Cursus Solis & Lunæ, non mutantur: ordines ,diei & noctis non pervertuntur. Ex omnibus istis, inef- ,fabilis Dei Virtus & magnificentia, nobis declaratur]

CAPUT V.

S. BERNARDUS, RICHARDUS, S. EDMUNDUS.

DIvus Bernardus, Clarevallensis Primus Abbas: Mellifluus Ecclesiæ Doctor, & ob miraculorum multitudinem, sublimitatem scientiæ, zelum Gloriæ Divinæ propagandæ ardentissimum, suavitatemque facundiæ, per universum Orbem celebratissimus: facilè notitiam DEI haberi posse, declarat, dum Sermone 31. super Cantica, dicit.

S. Bernardus docet, unde facilis notitia Dei haberi possit?

,[Tanta hæc formarum Varietas atque numerositas spe- ,cierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt Radii Dei- ,tatis, monstrantes quidem, quia verè sit, à quo sunt, non ,tamen quid sit prorsus definientes. Itaque de ipso vides, sed ,non ipsum: cùm autem de eo, quem non vides, cætera vides, ,scis indubitanter existere; quem oportet inquirere, ut in- ,quirentem non fraudet gratia: negligentem ignorantia ,non excuset: verum hoc genus videndi, commune, in prom- ,ptu enim est, juxta Apostolum omni utenti ratione: Invisi- ,bilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere.]

Item in die Pentecostes Sermone 3tio [Tria (*inquit*) in ma- ,gno hujus Mundi opere cogitare debemus; videlicet, quid ,sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem re- ,rum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam mul- ,ta, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt cre- ,ata. Sanè in modo ipso Sapientia singularis elucet: quòd hæc ,quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatis- ,simè sint locata. Si verò ad quid factus sis, mediteris; occur- ,rit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam in-

,gratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficio-
,rum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia,
,sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata.]
Hæc Divus Bernardus.

Richardus à S. Victore, probat esse aliquod Ens à semetipso: seu Ens improductū & summū à quo sunt omnia.

Richardus de S. Victore, Divo Bernardo amicissimus, in scripturis divinis & altioribus scientiis insigniter exercitatus, victoriosè Lib: 1mo de Trinitate cap. 8. 10. & 12. contra Atheos decertat sic,

,[Ex illo esse, quod non est ab æterno, nec à semetipso,
,ratiocinando colligitur & illud esse, quod est à semetipso,
,& eo quidem etiam ab æterno. Nam si nihil à semetipso
,fuisset, non esset omnino, unde ea existere potuissent, quæ
,suum esse à semetipsis non habent, nec habere valent. Con-
,vincitur itaq;, aliquid esse à semetipso, & eo ipso & ab æter-
,no: alioqui fuit, quando nihil fuit, & tunc quidem futu-
,rorum nihil futurum fuit: quia qui sibi vel aliis initium
,existendi daret, vel potuisset dare, tunc omnino non fu-
,it: quod, quàm falsum sit, ipsa evidentia ostendit, & re-
,rum existentium experientia convincit. Sic sanè ex his
,quæ videmus, ratiocinando colligimus, & ea esse, quæ
,non videmus; ex transitoriis, æterna: ex mundanis, super-
,mundana: ex humanis, Divina.-- Illud certissimum est,
,& unde, ut credo, nemo dubitare potest, quia in tanta mul-
,titudine rerum existentium, & tam multiplici differentia
,graduum, esse oporteat aliquid summum; Summum ve-
,rò omnium, dicimus, quô nihil est majus, nihil melius;
,absq; dubio autem, est melior, rationalis, quàm natura
,irrationalis: oportet itaq;, ut aliqua rationalis Substantia
,sit omnium summa: quam autem constat, in hac rerum
,Universitate, summum locum tenere; non potest autem
,hoc ipsum, quod est, à suo inferiori accipere. Oportet er-
,go ut aliqua sit Substantia, quæ utrumq; habeat; & sum-

„mum videlicet locum tenere, & à ſemetipſa eſſe: nam ſi-„cut ſuperius jam diximus, atq; probavimus: ſi nihil eſſet „à ſemetipſo, nihil eſſet ab æterno; & tunc quidem nulla „rerum origo, nulla eſſet rerum ſucceſſio: Convincit itaque „rerum expertarum evidentia, aliquam Subſtantiam eſſe à „ſemetipſa oportere. Nam ſi nulla à ſemetipſa eſſet, nul-„lum omnino eorum foret, quæ aliunde originem trahunt, „& à ſemetipſis eſſe non poſſunt: Pertinet itaq; Subſtantia „illa, quæ non eſt niſi à ſemetipſa, pertinet, inquam, ad il-„lud eſſe, quod eſt ab æterno, & ſine omni initio. Certiſſi-„mum eſt, quòd in tota rerum univerſitate; nihil eſſe po-„teſt, niſi poſſibilitatem eſſendi, vel de ſe ipſo habuerit, vel „aliunde acceperit: quod enim eſſe non poteſt, omnino non „eſt. Ut igitur aliquid, exiſtat, oportet, ut ab eſſendi po-„tentia, poſſe eſſe accipiat: ex Eſſendi itaq; potentia, eſſe „accipit omne, quod in rerum univerſitate ſubſiſtit: ſed ſi „ex ipſa ſunt omnia, nec ipſa quidem eſt, niſi à ſemetipſa, „nec aliquid habet, niſi à ſemetipſa. Si ex ipſa ſunt omnia. „Ergo omnis eſſentia, omnis potentia, omnis ſapientia: Si „omne eſſe ab illa eſt, ipſa Summa Eſſentia eſt: ſi ab illa „omne poſſe, ſummè potens: ſi omne ſapere, ſummè ſapi-„ens eſt: eſt enim impoſſibile, majus aliquid dare, quàm „habere.] Hæc Richardus.

Sanctus Edmundus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, pietate, cum Sanctiſſimis: Doctrinâ cum Eruditiſſimis comparandus: floruit circa Annum 1240. Moriens inter Oſcula Crucifixi, ajebat: *Mi DEus, te teſtem habeo, nihil me unquam expetiiſſe, præter te.* Qualinam ratione, Deus eſſe cognoſcatur, in ſpeculo Eccleſiæ, Capite 27, quod habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Tomo 13. taliter exponit.

Sanctus Edmundo oſtendit, Ens aliquod eſſe ſine principio, eſſe-

„[Per rationem venit Deus in cognitionem hominis, „hoc modo. Quilibet homo bene poteſt videre in ſe, quòd

que Au-ctorem & Guberna-torem o-mnium.

,ipse est, quòd habet esse, & quòd non semper fuit, & ex ,hoc bene scit, quòd initium aliquando habuit. Tunc se-,quitur, quòd aliud tempus erat, in quo ipse non fuit: sed ,quando non fuit, tunc nullo modo se ipsum facere potuit. ,Hoc enim vides homo in omni creatura: nam qualibet die ,vides aliquas creaturas transire & aliquas venire, & quia ,omnes res sunt, & à se ipsis non sunt: ideo oportet neces-,sariò, quòd una res sit, quæ dat omnibus esse: hoc est, à ,qua omnia sunt: Et ex hoc convincitur necessariò, quòd ,ille, per quem omnia sunt, est sine principio: quia si habe-,ret principium, oportet, quòd haberet ex alio, tunc non ,esset primus Author, & Primum Principium omnium. ,Et ideo oportet necessariò, per quem omnia facta sunt, ,sit ante omnia, & nihil ante ipsum, & si nihil sit ante i-,psum, non venit ex alio, tunc semper fuit, & sine princi-,pio. Nam ut prius; omne, quod habet initium, ex alio ,habet illud: nihil enim quod non est, sibi ipsi potest dare ,esse: & ideo oportet omnibus modis, quòd una res sit, ,quæ nunquam principium habuit. Et quando Ratio ho-,minis videt necessariò, quòd non potuit aliter esse, inci-,pit firmiter credere, quòd Unum est absq; principio, qui ,est Auctor, Factor, Gubernator omnium, quæ sunt in ,Mundo, & illud appellatur Deus.] Hucusque S. Edmundus.

CAPUT VI.

S. THOMAS AQUINAS.

Doctor Angelicus in sua Sūma probat Dei Existentiam

THeologorum Princeps, Theologiæ Angelus: Doctor, Vitâ, Eruditione, Sapientiâ, Modestiâ, Scriptionis claritate, Angelicus: in sua Summa Theologiæ, quæ est Medulla omnium ejus laborum, ac multiplicis Eruditionis, Mysteriorumq; Compendium, Epitome alienæ Sapientiæ, & Summa suæ: Rationibus quinq; seu Viis quinq; impugnan-

pugnando Atheos, probat Existentiam DEI sic.

quinq; viis ima. Sumitur ex parte motûs.

,, [Ima, & manifestior Via est, quæ sumitur ex parte ,, motûs. Certum est enim, & sensu constat, aliqua moveri ,, in hoc Mundo: Omne autem quod movetur, ab alio mo- ,, vetur: nihil enim movetur, nisi secundùm quod est in po- ,, tentia ad illud, ad quod movetur: movet autem aliquid, ,, secundùm quod est actu. Movere enim nihil aliud est, ,, quàm educere aliquid de potentia in actum: de potentia ,, autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ,, Ens in actu: sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, ,, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, & per ,, hoc movet, & alterat ipsum. Non autem est possibile, ,, ut idem sit simul in actu & potentia secundùm idem, sed ,, solùm, secundùm diversa: quod enim calidum est in actu, ,, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul ,, frigidum in potentia. Impossibile est ergo, quòd secun- ,, dùm idem & eodem modo, aliquid sit movens & motum: ,, vel quod moveat se ipsum. Omne ergo, quod movetur, ,, oportet ab alio moveri. Si ergo id, à quo movetur, mo- ,, veatur: Oportet & ipsum ab alio moveri, & illud ab alio. ,, Hìc autem non est procedere in infinitum, quia sic non ,, esset aliquod primum Movens, & per consequens, nec a- ,, liquod aliud Movens: quia moventia secunda, non movent ,, nisi per hoc, quòd sunt mota à primo movente. Sicut ba- ,, culus non movet, nisi per hoc, quòd est motus à manu, ,, Ergo necesse est devenire ad aliquod primum Movens, ,, quod à nullo movetur: & hoc omnes intelligunt, Deum.]

Non absimile Argumentum, sed longè fusius discussum, ad probandam Existentiam Dei infundatum huic Principio. Omne quod movetur, ab alio movetur: proponit ex Aristotele idem Divus Thomas libro 1mo contra Gentiles cap. 13.

2da

2da, ex Ratione causæ efficientis.

,ſ 2da Via eſt ex Ratione Cauſæ efficientis. Invenimus ,enim in iſtis ſenſibilibus eſſe ordinem cauſarum efficien-,tium: nec tamen invenitur, nec eſt poſſibile, quod aliquid ,ſit cauſa efficiens ſui ipſius: quia ſic eſſet prius ſe ipſo, quod ,eſt impoſſibile. Non autem eſt poſſibile, quòd in cauſis ,efficientibus procedatur in infinitum: quia in omnibus ,cauſis efficientibus ordinatis, primum eſt cauſa medii, ,& medium eſt cauſa ultimi: ſive media ſint plura, ſive u-,num tantùm: remotâ autem causâ, removetur effectus. ,Ergo ſi non fuerit Primum in cauſis efficientibus, non ,erit ultimum, nec medium. Sed ſi procedatur in infinitum ,in cauſis efficientibus, non erit Prima Cauſa efficiens, & ,ſic non erit nec effectus ultimus, nec cauſæ efficientes me-,diæ, quod patet eſſe falſum. Ergo eſt neceſſe ponere ali-,quam cauſam efficientem Primam, quam omnes, Deum ,nominant.

3tia ex poſſibili & neceſſario

,3tia Via eſt ſumpta ex Poſſibili & Neceſſario, quæ ,talis eſt. Invenimus enim in rebus quæ ſunt poſſibilia eſ-,ſe & non eſſe: cùm quædam inveniantur, generari & cor-,rumpi, & per conſequens, poſſibilia eſſe & non eſſe. Im-,poſſibile eſt autem, omnia quæ ſunt talia, ſemper eſſe: quia ,quod poſſibile eſt non eſſe, quandoq; non eſt. Si igitur ,omnia ſunt poſſibilia non eſſe, aliquando nihil fuit in re-,bus. Sed ſi hoc eſt verùm, etiam nunc nihil eſſet: quia ,quod non eſt, non incipit eſſe, niſi per aliquid, quod eſt. ,Si igitur nihil fuit Ens impoſſibile, fuit quod aliquid in-,ciperet eſſe, & ſic modo nihil eſſet: quod patet eſſe falſum. ,Non ergo omnia Entia ſunt poſſibilia, ſed oportet aliquid ,eſſe neceſſarium in rebus. Omne autem neceſſarium, vel ,habet Cauſam ſuæ neceſſitatis aliunde, vel non habet,

,Non eſt poſſibile, quòd procedatur in infinitum in neceſ-
,ſariis, quæ habent cauſam ſuæ neceſſitatis: ſicut nec in cau-
,ſis efficientibus, ut probatum eſt. Ergo eſt neceſſe pone-
,re aliquid, quod ſit neceſſarium, non habens cauſam ne-
,ceſſitatis aliunde, ſed quod eſt Cauſa neceſſitatis aliis: quod
,omnes dicunt Deum.

,4ta Via ſumitur ex Gradibus, qui in rebus inveni- *4ta ex Gradibus.*
,untur. Invenitur enim in rebus aliquid magìs & minùs
,bonum, & verum, & nobile, & ſic de aliis hujuſmodi. Sed
,magìs & minùs, dicuntur de diverſis, ſecundum quod ap-
,propinquant diverſimodè ad aliquid, quòd maximè eſt: ſi-
,cut magìs calidum eſt, quod magìs appropinquat maxi-
,mè calido. Eſt igitur aliquid, quod eſt Veriſſimum, &
,Optimum, & Nobiliſſimum & per conſequens, maximè
,Ens. Nam quæ ſunt maximè vera, ſunt maximè Entia:
,ut dicitur ſecundo Metaphyſicorum. Quod autem dicitur
,maximè tale in aliquo genere, eſt Cauſa omnium, quæ
,ſunt illius generis: ſicut ignis, qui eſt maximè calidus, eſt
,cauſa omnium calidorum: ut in eodem libro dicitur. Er-
,go eſt aliquid, quod omnibus Entibus eſt Cauſa eſſe & bo-
,nitatis & cujuslibet perfectionis; & hoc dicimus Deum.]

Cum hac 4ta Ratione còincidit & illa, libro 1mo contra Gentiles cap. 13. ubi hæc leguntur. [Poteſt & alia Ratio colligi
, ex verbis Ariſtotelis in lib. 2do Metaph: oſtendit enim ibi,
,quòd ea, quæ ſunt maximè vera, ſunt & maximè Entia.
,In 4. etiam Metaph: oſtendit, eſſe aliquid maximè verum
,ex hoc, quòd videmus duorum falſorum unum altero eſ-
,ſe magìs falſum. Unde oportet, ut alterum ſit etiam al-
,tero verius. Hoc autem eſt ſecundùm approximationem
,ad id, quod eſt ſimpliciter & maximè verum.] Scilicet, ut

explicat hic Ferrariensis, quantùm ad Materiale tantùm, vel quantùm ad esse: & sic non inconvenit, unum esse altero verius, sicut unum est altero perfectius Ens: propter quod perfectissima entium, dicuntur verissima. Quantùm verò ad Formale, sive quantùm ad Materiale, ut stat sub Formali, & sic unum non est altero verius. Unumquodq; enim natum est adæquare sibi intellectum suo modo: & unumquodq; Divino Intellectui pro sua entitate adæquatur: nec fieri potest, ut unum magis altero adæquetur.

Hac ratione quarta usq antea & Boëtius.

Cum illa 4ta Via coincidit & illa Ratio, quâ antea usus est Boëtius Severinus, Vir Clarissimus, Senator & Consularis, dum libro tertio de Consol: dicit. ſ Quin existat Deus, sitq; veluti quidam ,fons omnium bonorum, negari nequit. Omne enim, quod ,imperfectum esse dicitur, in diminutione perfecti imper- ,fectum esse perhibetur: quo fit, ut si in quolibet genere ,imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoq; ,aliquid esse necesse sit: etenim perfectione sublatâ, unde ,illud, quod imperfectum perhibetur, exstiterit, nec fingi ,quidem potest. J Hæc Boëtius.

Ha via probandi Existentiam Dei, sumitur ex Gubernatione rerum.

,ſ 5ta Via sumitur ex Gubernatione rerum. Videmus ,enim, quòd aliqua, quæ cognitione carent, scilicet cor- ,pora naturalia, operantur propter finem: quod apparet ex ,hoc, quòd semper aut frequentius, eodem modo operan- ,tur, ut consequantur id, quod est optimum. Unde patet, ,quòd non à casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. ,Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt in ,finem, nisi directa ab aliquo Cognoscente, & Intelligente: ,sicut sagitta à sagittante. Ergo est Aliquid Intelligens, à ,quo omnes res ordinantur ad finem, & hoc dicimus, ,Deum. J

Cum hac 5ta Via seu Ratione convenit ferè & illa Ratio, quam desumptam ex Sancto Damasceno & Averroe, Divus Thomas loco suprà citato contra Gentiles, proponit sic. ſ Impossibile est ali-

,qua contraria & diſſonantia, in unum ordinem concorda-
,re ſemper, vel pluries, niſi alicujus gubernatione, ex qua
,omnibus & ſingulis tribuitur, ut ad certum finem tendant.
,Sed in Mundo videmus res diverſarum naturarum, in u-
,num ordinem concordare, non ut raro, & à caſu, ſed ut
,ſemper, vel in majori parte. Oportet ergo eſſe aliquid, cu-
,jus Providentia gubernetur, & hoc dicimus, Deum.] *Huc-uſq; Sanctus Thomas.* Longè verò antè, Boëtius libro 3. de Conſolatione, Proſa 12, ratiocinabatur ſic. *Mundus ex tam diverſis contrariiſq; partibus, in unam formam minimè conveniſſet, niſi unus eſſet, qui tam diverſa conjungeret: conjuncta verò naturarum ipſa diverſitas invicem diſcors diſſociaret, atq; divelleret, niſi eſſet unus, qui quod nexuit, contineret. Non tam verò certus naturæ ordo procederet, nec tam diſpoſitos motus locis, temporibus, efficientia, ſpatiis, qualitatibus explicaret, niſi unus eſſet, qui has mutationum varietates, manens ipſe diſponeret.*

Quidnam de illis quinq; Rationibus ſeu viis, ſēſit Cardinalis de Lugo, & Valentia?

Nota hic 1mò. Cardinalis de Lugo lib: 1mo de Deo quæſtione 2da cap. 2do, dicit, quòd ex illis quinq; Rationibus, tres priores, videantur in eandem fermè Argumentationem coincidere, & quod omnes quinq; , ſi debitè applicentur, vim habeant. Idem plures alii aſſerunt. Pater Gregorius de Valentia, præſtantiſſimus ævi ſui Theologus, Diſputatione 1ma de Deo, quæſtione 2da. Puncto 3tio omnes adductas ſuprà quinq; Rationes, ſeu Vias Divi Thomæ, ad quas reducuntur & illæ Rationes quatuor, quæ in libro 1mo ſententiarum continentur, ſtrenuè conatur propugnare, & Objectiones in contra ſolvere.

Qualiter intelligē-dum eſt: Omne, quod movetur, ab alio movetur?

Nota 2dò. Difficultas non levis eſt inter Theologos, qualiter nam intelligi debeat Principium illud. *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Pater Valentia, loco ſuperiùs citato cum pluribus Philoſophis & Theologis, dicit, illius Principii non eſſe ſenſum hunc. Omne quod movetur, moveri ab alio immediatè. Nam aqua reducit ſe ipſam ad frigus nativum: viventia etiam, localiter ſe ipſa movent: itidem gravia & levia: ipſeq; Sanctus Thomas docet, aliqua à ſe ipſis moveri: nam 1ma 2dæ q. 51. Arti: 2do ad 2dum, dicit. *Nihil prohibet, idem à ſe ipſo moveri.* Et 1ma, 2dæ, quæſtione 9na artic: 3tio in Corpore,

re, ait. *Intellectus per hoc, quòd cognoscit principium, reducit se ipsum de potentia in actum, quantùm ad cognitionem conclusionum, & hoc modo movet se ipsum: & similiter voluntas per hoc, quòd vult finem, movet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Dicit proinde Pater Valentia cum pluribus, illius Principii esse sensum hunc. [Omne, quod ,movetur, moveri ab alio, sive immediatè, sive mediatè. ,Quatenus nimirum Mobile acceperit saltem ab alio illud ,Principium, quo se movet immediatè, atq; ita dicatur mo-,veri ab alio saltem mediatè. Et in hoc sensu est verum & ,evidens illud Principium: constat enim, omne Ens, quod ,scimus aliquo motu moveri, accepisse saltem perfectio-,nem suam, quâ movetur ab aliquo alio: sicut est evidens, ,omne tale Ens, esse productum ab alio.] In idem ferè recidit explicatio eorum, qui dicunt: ad verificationem Principii hujus. *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: non opus esse, ut nihil se ipsum moveat, sed solùm requiri, ut id, quod movetur, non moveat se ipsum primò, nec Primum Movens, Primum Principium ac Prima Causa efficiens sui motûs, sit. Hinc liquet Probationem Existentiæ Dei, infundatam in illo Principio bene intellecto. Omne, quod movetur, ab alio movetur: esse & solidam, & vel ultimatò coincidere cum Ratione 2da & 3tia Divi Thomæ, vel saltem ab iis non multùm esse diversam. Quod si optas, notabilius eam esse diversam, instituere eam posses sic. Certum est, à Corporibus cœlestibus moveri sublunaria: horum enim motus, puta, ortus, augmentatio, interitus, fiunt à temporum vicissitudine, hæc autem ipsa vicissitudo provenit à corporibus cœlestibus, præsertim à Sole, Luna, diversimode terram respiciente, & afficiente per suum motum, lucem, calorem, & alias probabiliùs influentias: moventur ergo sublunaria à corporibus cœlestibus: hæc autem ipsa corpora cœlestia, cùm videamus perpetuò constanter, & regulariter, & mirandè moveri: hiq; motus non proveniant à natura illorum: ut probatum suprà in libro 1mo in Tract: 2do Cap: 6to sub 3tia Proposit: sequitur, illa ab alio Ente, à se distincto moveri: cùm autem in serie moventium, necessariò deveniri debeat ad aliquod Movens

Probatio alia Existentiæ Dei, desumpta ex motu.

vens

vens immobile, hoc Principium immobile & immotum, dicimus esse Deum, qui sive per se solùm, sive, quod probabilius est, simul cum Intelligentiis, corpora cœlestia movet. Ergo datur Deus. Qui res nostras celeri citatas turbine versat, terrarum cœliq; Sator: qui tempus ab ævo ire jubet, stabilisq; manens, dat cuncta moveri.

Ex Via eminentiæ deprōpta ratio, ut efficax sit, qualiter intelligē-da?

Nota 3tiò, dum Sanctus Thomas, aliiq;, ex Via Eminentiæ, probant, Deum esse. Scilicet, quòd cùm detur majus & minus bonum, verum, & Nobile, debeat dari aliquid, quod sit Optimum, Verissimum, & Nobilissimum, & maximè Ens. Nota inquam, ex hac Via Eminentiæ præcisè, videri (& satis bene) multis Theologis, non sumi efficax Argumentum pro Existentia Dei. Ratio est. Quia Atheus dicere posset: melius & nobilius dari relativè ad Bonum & Nobile, quod est infra se, seu quod exceditur, non ad Optimum & Nobilissimum, quod est supra se. Sicut species numeri, determinatæ sunt, etiamsi nulla sit maxima vel minima, penes quam excessus terminetur. Ut ergo ex Via Eminentiæ sumatur Argumentum efficax pro Existentia Dei, conjungenda est simul Via Eminentiæ cum via efficientiæ, scilicet ita. Præter existentes rerum species, possibiles sunt species aliæ meliores, perfectiores, & nobiliores in infinitum. Ergo debet dari Ens Optimum, perfectissimum, & nobilissimum.

Explicatur Axioma illud: quod dicitur maximè tale in aliquo genere, est Causa omnium, quæ sunt illius generis.

Nota 4tò. Axioma illud. *Quod dicitur maximè tale in aliquo genere, est Causa omnium, quæ sunt illius generis:* intelligendum, esse causam saltem ut plurimum in cognoscendo: est enim ut plurimum mensura perfectionis aliorum, quæ in tantum, minùs & magis perfecta esse cognoscuntur, in quantum, minùs aut magis accedunt ad Primum. Non est autem Axioma intelligendum, quòd debeat semper etiam omnium esse causa in essendo, seu ut sint. Sol enim est primum in genere luminosi, neq; tamen est causa omnis luminis: & ignis est primus in genere calidi, tamen non est causa efficiens, seu in essendo omnis caloris. Albedo (juxta Aristotelem lib: 5to de Generat: Animal: cap: 6to.) est prima in genere colorum, & tamen non est causa in essendo omnium colorum, Nec homo est causa omnium Animantium, licèt sit perfectissimus Animalium. Porro, Deus est mensura omnis Entis in cognoscendo: perfectio enim major Creaturarum mensuratur ex eo, quòd magis Deo appropinquant: & ex hoc ipso rectè infer-

infertur, quòd Deus sit mensura omnium omnino creaturarum etiam in essendo: siquidem creaturæ non possunt pendere, nisi ab Ente à se, seu ab Ente in omni genere perfectissimo, continente eminenter omne esse.

CAPUT VII.

S. BONAVENTURA.

S. Bonaventura, Deũ multis modis ostendit.

S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanensis, Eximius Ecclesiæ Doctor, ex Ordine Minorum: Vir Sanctissimus & doctissimus, in libro imo Compendii Theologicæ Veritatis Cap: 1. Atheismum ita evertit.

,[Deum esse, multis modis ostenditur, hoc enim Fi-,des recta testatur, Sacra Scriptura loquitur: comparatio i-,tem rerum ad ipsum facta, indicat; tam verum enim esse, ,Deus habet, quòd nostrum esse, suo comparatum, nihil est. ,Item. Deum esse, creaturæ clamant; omnia namq; suo mo-,do dicunt: Quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos: quia ,ipse Deus, est Vox Naturæ: quia omnia pulchra, testantur ,ipsum pulcherrimum: dulcia, dulcissimum: sublimia, al-,tissimum: pura, Purissimum: fortia, Fortissimum; & sic ,de aliis: quia sicut in Patria, Deus est Speculum, in quo ,relucent Creaturæ: sic in via è converso, creaturæ sunt ,Speculum, quô Creator videtur. Deum esse, Ratio natu-,ralis dictat, quæ per effectum in cognitionem causæ per-,venit. Omne namq; creatum indiget alio, ut sit, & illud ,iterum alio, ut sit, & ita erit aut in infinitum procedere, ,vel erit ibi circulus, vel pervenietur ad aliquid, quod sit ,causa omnium: circulus autem non in rebus singulis: quo-,niam oporteret aliquid esse prius & posterius se ipso: nec ,erit processus in infinitum: quia universitas creaturarum ,tota causata est, sive sit finita, sive infinita. Ergo indiget ,alio, ut sit, quod erit extra universitatem causatorum: &

hoc

,hoc Deus eſt, à quo fluunt omnia.]

CAPUT VIII.

JOANNES DUNS SCOTUS.

NAtione Hybernus (quanquam de tanto Viro, plures Nationes certant) ortus in Urbe, Duns dicta: antea, Hybernia, vocabatur, Scotia: unde vel à Natione, vel etiam à Familia, dictus eſt Scotus. Oxonii, & Pariſiis, Theologiam cum ſumma laude docuit, & ab illis Academiis, Summoq; Pontifice, Doctoris Subtilis nomine, intitulatus. Eum memoriæ fuiſſe admirandæ, ac ingenii acutiſſimi, perſpicaciſſimiq; judicii, vel hinc collige: ducenta Argumenta contra Immaculatam Conceptionem Pretioſiſſimæ Dei Parentis, propoſita, ita exnunc omnia repetiit, quaſi Angelus ſuggereret: ita diſſolvit, quaſi Angelus reſponderet. In diſputatione quadam Pariſiis, Doctor quidam, cui ex fama tantùm notus erat, profunditatem doctrinæ ejus admiratus, obſtupeſcens coràm exclamavit: Unus es trium, Angelus de Cœlo: Diabolus ab inferno; vel Scotus de Duno, ut legitur in ejus Vita. In Philoſophia, in multis ſuperavit Ariſtotelem. In Theologia pænè æquavit Sanctum Thomam. Utrobiq; tam bene, ut Sacra Congregatio Cardinalium decreverit, ut quæcunq; Scoti eſſe conſtiterit, ſinè examine ulteriori à Magiſtro Sacri Palatii, typo mandari permittantur. Naturali ac communi morte ſublatus eſt die octava Novembris Anni 1308, Coloniæ Agrippinæ, ætatis ſuæ 34. ut demonſtrat Lucas Vadingus in Annal: Tomo 3tio aliiq; plurimi. Hujus ergo Subtilis Doctoris Argumenta pro Exiſtentia Dei, quæ continentur in Lib: 1mo Sentent: Diſtinct: 2. quæſtione 2da, in compendium à me redacta, propono nunc.

Scotus, quis, & quantus Vir?

Propoſitio 1ma.

Datur aliquod Ens effectivum Primum ſimpliciter.

PRobatur. Aliquod Ens eſt effectibile, aut igitur à ſe, aut à nullo, aut ab aliquo alio. Non à nullo. Quia nullius eſt cauſa illud, quod nihil eſt. Non à ſe. Quia nulla res eſt, quæ ſe ipſam faciat, vel gignat. Auguſt: 1mo de Trinit: Cap: 1mo. Ergo ab alio effectivo. Illud aliud

Probat ille dari aliquod Ens Primũ triplici Primitate: nempe. Primùm, ſecundùm efficientiam.

aliud sit A, si A est primum modo exposito, habeo propositum. Si non est primum. Ergo est effectivum posterius: quia effectibile ab alio, vel virtute alterius effectivum. Si enim negetur negatio, ponitur affirmatio. Detur illud alterum, & sit B, de quo arguitur, sicut de A, argutum est: & ita aut procederetur in infinitum, quorum quodlibet respectu prioris erit secundum: aut stabitur in aliquo, non habente prius. Infinitas autem in causis essentialiter ordinatis est impossibilis in ascendendo. Ergo Primitas necessaria.

Confirmatur Propositio. Effectivum nullam imperfectionem ponit necessariò. Ergo potest esse in aliquo sine imperfectione. Sed si est sine dependentia ad aliquid prius, est sine imperfectione. Ergo effectivitas independens potest inesse alicui Naturæ, & illa est simpliciter prima. Ergo effectivitas simpliciter prima, est possibilis. Si autem tale Efficiens primum est possibile, tunc est in re: quia tale Efficiens, utpote simpliciter primum, non potest esse ab alio, & tamen potest esse, utpote possibile. Ergo potest esse à se. Ulterius infertur. Ergo est à se: quia quod non est à se, non potest esse à se: quia tunc non ens perduceret aliquid ad esse, quod est impossibile, & adhuc idem causaret se, & ita non erit incausabile omninò. Accedit, Quia inconveniens est, Universo deesse supremum gradum possibilem in essendo, qualis gradus est, Esse à se.

Quòd Infinitas essentialiter ordinatorum sit impossibilis, probatur. Tum ex consensu Philosophorum. Tum quia Universitas causatorum essentialiter ordinatorum, est causata. Ergo ab aliqua causa, quæ non est aliquid illius Universitatis: quia tunc esset causa sui: tota enim Universitas dependentium, dependet, & à nullo illius Universitatis. Tum quia causæ infinitæ essent simul in actu: quod nullus Philosophus admittit. Tum quia prius est, quod est primo propinquius: ex 5to Metaph: Ergo ubi nullum primum, nihil essentialiter prius. Tum quia in per se ordinatis, superior causa est perfectior in causando. Ergo in infinitum superior, est in infinitum perfectior: & ita infinitæ perfectionis in causando, & per consequens, non causans in virtute alterius: sic enim esset imperfectè causans, quia dependens ab alia in causando.

Item, Infinitas in accidentaliter ordinatis est impossibilis, nisi pona-

ponatur status essentialiter ordinatorum. Quod ipsum Probatur. Quia nulla difformitas perpetuatur nisi in virtute alicujus permanentis, quod nihil est illius successionis. Omnia enim successiva taliter (puta Pater, Filius, Nepos &c. quæ sunt accidentaliter ordinata, posterius enim non dependet in causando à priori: nam Filius ita generat Patre mortuo, sicut ipso vivo) sunt ejusdem rationis; sed est aliquid prius essentialiter; quia quodlibet successionis dependet ab ipso, & hoc in alio ordine, quàm à causa proxima, quæ est aliquid illius successionis.

Propositio 2da.

Primum efficiens, est ultimus finis, & Primum Eminentiâ.

Item Primum, secùndùm rationem finis & secundùm Eminentiam.

PRima Pars Probatur. Quia omne per se efficiens, agit propter finem, & prius efficiens agit propter finem priorem. Ergo primum efficiens, agit propter ultimum finem: sed propter nihil aliud à se principaliter & ultimatè agit; quia nihil aliud à se potest esse finis ejus: aliàs enim illud aliud deberet esse perfectius Primò efficiente: naturâ enim finibile, excellitur à fine in bonitate, & per consequens, in perfectione. Ergo Primum efficiens agit propter se, sicut propter ultimum finem. Ergo Primum Effectivum, est ultimus finis, seu finitivum simpliciter primum: hoc est, non est ad aliud ordinabile.

2da etiam Pars Propositionis 2dæ probatur. Quia Primum efficiens non est univocum respectu illarum naturarum effectarum, sed æquivocum. Ergo eminentius & nobilius eis. Ergo Primum Efficiens, est Eminentissimum.

Propositio 3tia.

Illud Efficiens, quod est Primum triplici Primitate, (scilicet secundùm efficientiam, secundùm rationem Finis, & secundùm Eminentiam: illud, inquam, Efficiens) *est Ens essentialiter necessariò existens.*

Illudq; Ens esse necessariò essentialiter existens.

PRobatur. Quia est penitus Incausabile. Nam contradictionem includit, aliquid esse prius in genere Causæ Efficientis, vel Finis;

& per consequens in genere alterius cujuscunq; causæ (quia aliæ causæ, puta intrinsecæ, sunt causatæ ab extrinseca, vel secundùm esse earum, vel in quantum causant compositum, vel utroq; modo: proinde quod non habet causam extrinsecam, non habet intrinsecam) Ergo est omnino incausabile. Ulterius ex hoc ipso arguitur sic. Nihil potest non esse, nisi cui aliquid incompossibile positivè vel privativè potest inesse. Sed ei, quod est à se & penitus Incausabile, non potest aliquid inesse, quod sit ei incompossibile positivè, vel privativè. Ergo non potest non esse. Major patet. Quia nullum Ens potest destrui, nisi per incompossibile sibi positivè vel privativè. Minor probatur. Quia illud incompossibile, aut potest esse à se, aut ab alio. Si à se. Ergo est à se. Ergo duo incompossibilia sunt simul, vel neutrum erit: quia utrumq; destruit esse alterius. Si ab alio. Contra est: Nulla causa potest destruere aliud Ens propter repugnantiam sui effectûs ad illud, nisi suo effectui det perfectius, & intensius esse, quàm sit esse alterius destructibilis. Nullius autem Entis ab alio est nobilius esse à sua causa, quàm sit Entis à se: quia omne causatum habet esse dependens.

Propositio 4ta.

Illud Primum, est Infinitum.

Et infinitum. PRobatur. Tum quia Primum Efficiens simul quantum est ex se, habet eminenter omnem causalitatem, quæ simul posset infinita, si simul essent factibilia. Tum quia Primum Efficiens est finis ultimus; in Voluntate autem est inclinatio naturalis, quia ex se, & sine habitu, promptè & delectabiliter fertur ad amandum bonum infinitum, & in illo quietatur: proinde Finis ultimus est Bonum infinitum. *Proinde existere Deum.* Tum quia Eminentissimô, incompossibile est aliquid esse perfectius. Ergo est infinitum. Ex dictis habetur pro Existentia Dei probanda Argumentum tale.

Aliquod Ens Primum triplici primitate, scilicet secundùm Efficientiam, secundùm rationem Finis, & secundùm Eminentiam, essentialiter necessariò existit, & est infinitum: ut constat ex probata Propositione 1ma, 2da, 3tia, 4ta. Sed tale Ens est Deus: ut patet. Ergo Deus existit. Hucusq; Scotus.

CAPUT IX.

S. CHRYSOSTOMUS.

PRo Coronide ferè totius hujus Voluminis, ob rationem ad initium hujus Tractatus 3tii expositam, appono aurea planè verba, quæ Ore suo aureo, adversus Atheos protulit S. Joannes Antiochenus, ob aureum Eloquentiæ flumen, cognomento Chrysostomus, Magnus Ecclesiæ Doctor, Episcopus Constantinopolitanus: cui Divus Petrus & Joannes, Claves & librum ad Scripturas intelligendas dedisse: S. verò Paulus Apostolus, scribenti ac prædicanti, multa dictasse creditur. Hic ergo Sanctus Doctor, Homilia in Psal: 13. validissimè impetit Atheos, taliter. *S. Chrysostomi Excellentia.*

,[Non est Deus, & quomodo sunt? quæ sunt post De-,um? Non est Deus, & quomodo, quæ sunt per Deum? ,Non est Deus, & quomodo omnis lingva hominis, Deum ,nominat? Falluntur ergo omnes hominum myriades, quæ ,Deum esse dicunt, & solus insipiens se putat verum dice-,re, qui solus ita mentitur: & qui quinque quidem, vel se-,ptem testimonia vult in testamentis evertere, per consen-,sum reprobatur, ac rejicitur, quando judicat Veritas: pu-,blicam autem totius Orbis, & universam Mundi lingvam, ,solus vult insipiens evertere? & quomodo non est verè ,reprobus insipiens, & se ipso insipientior? insipiens in ne-,gando, in se impudenter gerendo insipientior. Quamvis ,enim Mundi homines, de Deo diversas Sententias germi-,naverint, Nominis tamen fundamentum, nemo labefacta-,vit. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Non est ,fundamentum, & quomodo stat ædificium? non est cari-,na, & quomodo consistit navigium? Non est Fabricator ,navìs, & quonam modô, navis comparata est? Non est ,ædificator, & quomodo domus facta est? Non est Archi- *Insipientiam Athei multifariè demonstrat S. Doctor.*

,tectus, & quis Urbem condidit? Non est Agricola, & quo-,modo agri tulêre manipulos? non est musicus, & quomo-,do in Mundi lyra apparet concentus? non est, qui provi-,deat, & quomodo per omnia pervadit Providentia? non ,est auriga, & quomodo quatuor Elementorum currus, a-,gitur? non est Statuarius, & quomodo homines, veluti ,quædam Statuæ in Mundo facti sunt? non est fornicis Con-,structor; & quis tibi Cœli fornicem construxit? non est ,Aurifex, & quis veluti discum Aureum tanquam in men-,sa, Solem in Cœlo posuit? non est, qui ferat lampadem, & ,quis tibi veluti lampadem argenteam, dedit Lunam in no-,ctem? non est qui illuminet, & quis tibi clara, & lucem ,præbentia dedit luminaria? non est, qui faciat solus ma-,gna lumina: & quis accensos Astrorũ lychnos, tibi in Cœlo ,posuit? Quemadmodum dicit Propheta, Psal: 135. Qui fa-,cit luminaria magna solus, solem, ut præsit diei, & lunam, ,ut præsit nocti? Non est Opifex, & quomodo pulchritudo ,Creaturarum testatur Creatorem? ex magnitudine enim ,& pulchritudine Creaturarum, convenienter earum Con-,ditor consideratur. Dixit insipiens, in corde suo: non est ,Deus. Quæcunq; in Mundo fiunt, aguntur, & exercentur, ,habent, qui eis præsit, eaq; perficiat, & solus Mundus non ,habet, qui eum administret? Si non est Deus, quid facis ,in iis, quæ Dei sunt? in domo Dei manes, & domum Dei ,inficiaris? vel da mercedem domûs, gratiarum actionem; ,vel domô egredere. Cur etiam fumô eructati maledicti, ,ac blasphemiæ, domum imples?] Hæc S. Chrysostomus. Vide & ejus verba aurea, suprà in lib: 1. Tract: 3. sub Argumento 23. Si quis fertur desideriô in plura ex Patribus Veteribus de Existentia Dei, legat is Tertullianum in Apologetico Cap: 17. & lib. de Testimonio Animæ Cap. 5. S. Ambrosium, super primum Caput 1. ad Romanos Episto-

pistolæ Divi Pauli. S. Hieronymum in Expositione ejusdem Epistolæ. S. Basilium operis Hexäemeri, Homil. 1. 2. 3. 6. 11. S. Gregorium Nyssenum, in Disputatione de Anima & Resurrectione: non procul ab initio. Ex horum Omnium Patrum citatis locis, jam scriptô consignaveram Textus oblongiores: verùm consulendo brevitati, destiti ab iis imprimendis.

EPILOGUS.

IN Prologo, seu (ut ibi præfixus sonat Titulus) in Præmunitione Operis totius, motiva exposui, quæ animum & calamum impulêre ad conscribendum hoc Volumen, & Posteritati relinquendum. Nec non piguit, Media ibidem insinuare, eò collimatura, ut non tantùm evolveret, sed fructuosè etiam attereret has paginas & ille, qui ausu plus quàm impio, in irrationabilissimum & malorum omnium pessimum barathrum (Atheismum usq; adeo formidando nomine, rectissimè tamen, compellat Divus Damascenus Lib: 1. de Fide Cap 3.) sese præcipitem dedit, vel jamjam daturus est. Nunc ultimam Volumini impono manum, ac totum Punctis Considerationum claudo sequentibus.

I.

Puncta tria multùm proficua ad cōsiderandū cuivis, præsertim Pseudopoliticis.

Ex una Parte certum est, Fundamenta impietatis Atheisticæ non posse subsistere, utpote multùm levia & debilia, vereq; straminea. Evidenter id ipsum deduxi in toto Tractatu 1mo, Libri 1mi, ea funditus subvertendo, quibus suffultus impiissimus error, stabilitatem quandam sibi polliceri poterat. Ex altera parte, non solùm probabile, vel probabilius, sed omnino certum ac evidens est, Deum existere, ut patenter constat Tum ex Rationibus Patrum & Philosophorum Veterum, adductis in Tractatu 2do & 3tio Libri 2di. Tum ex Argumentis suprà quadraginta Propositis in Tractatu 3tio Libri 1mi. Licèt enim quædam ex illis Rationibus & Argumentis, non videantur excedere gradum Summæ Probabilitatis, tamen longè plura sunt, quibus certò & evidenter, intellectui rectè disposito demonstratur Existentia

tia Dei. Nomine, Intellectûs rectè dispositi: intelligo hominem, Rationis usum habentem, non semistultum, aut nefandis sceleribus, præsertim luxuriæ cœno, totaliter immersum: libido enim effrenata, lumen rectæ Rationis, saltem magna ex parte extinguit, hominemque ita excæcat, ut ineptus reddatur ad contemplationem Divinorum: sicut enim ex igne, fumus egreditur oculos excæcans: ita ex libidine, exeunt fœditates, rationem excæcantes. Quare Doctor Angelicus 2. 2. q. 153. art. 5to. inter octo filias luxuriæ, ponit imo loco, Cæcitatem mentis: comprobante id jam antea S. Gregorio Magno. Et Aristoteles 7. Ethic: ait. *Venus furatur intellectum Sapientis.* Lib: item 2do Rhet: cap: 24. Venerem appellat, *Præfectam amentiæ.* Unde etiam Venus dicta est à *ve* quæ est particula privativa, significans, Absq;: & *νοῦς,* id est, *mens*: quasi absq; mente, seu, amens.

II.

Ast, demus per impossibile, quòd Sententia asserens, Deum dari, non sit certa & evidens metaphysicè, vel physicè, tamen non minus est id certum, quàm certum est, tibi, te ex legitimo natum esse toro: ac legitimum possessorem horum vel illorum bonorum: item quàm certum est, te, ab his vel illis Parentibus, in lucem editum esse: vel quàm certum est, exstitisse in rerum natura, Ciceronem, Alexandrum Magnum: existere Antipodas &c. ut clarè deduxi in Lib: 1mi. Tractatu 2do. Cap. 2. sub Proposit: 3tia, 4ta. Præsertim verò in Lib: 1mi Tractatu 3tio, sub Argumento 4to, 5to, 33tio, 34to. Cur ergo, si aliqua de his suboriatur dubitatio, eam protinus elidis, imò nec admittis: ast Supremi Numinis Existentiam: non tantùm in dubium vocare, sed etiam audes, quantum ex te est, tollere: & eo ipso (ut constat ex dictis suprà in Lib: 1mo. Tractatu 2do. Cap: 1mo.) in Classem impossibilium & chimerarum redigere? Penitius te ipsum oro, inspice, facilè reperies, ad tam nefandos ausus, te impelli à vehementia carnalium prohibitarum voluptatum, aliisque horrendis sceleribus, quibus involveris, nec non à metu vindictæ, ob tanta scelera, à Summo Judice infligendæ. Age vitam, rectæ rationi consonam, evolve hoc volumine contenta, & procul dubiò à tam impiis desistes ausibus.

III.

III.

Quod ſi adhuc fluctues, quid tibi hoc in paſſu agendum ſit, tunc in ulteriorem tecum procedo arenam. Demus per impoſſibile non eſſe etiam moraliter certum & evidens, ſed incertum, utrum exiſtat, vel non exiſtat Supremum Numen, Vindex ſçelerum, Remunerator bonorum: tamen recta ratio & prudentia dictat, ut credatur, exiſtere. Quod ipſum ut evincam, ſtatuo Principium hoc. Ex duobus incertis, v. g. A. & B. ſibi è diametro oppoſitis, in re graviſſimi momenti, ex cujus unius incerti, v. g. A, electione, nullum imminet, nec prudenter timeri poteſt periculum. Ex alterius verò incerti, v. g. B, electione, imminet ſummi mali periculum ac irreparabilis damni incurrendi: tunc prudentiſſimè, unum eligitur, nempe. A: & nonniſi ſtolidiſſimè, 2dum videlicet, B: Ut patet. Imprudentiam enim grandem ſapit, conjicere ſe ſponte in periculum ſummi damni irreparabilis incurrendi. Hujus Principii Veritas inſuper illuſtratur multifariè. Si enim intensè ſitienti Petro, ad eligendum offerantur liquore plena duo pocula, v. g. A, & B: ex cujus unius poculi hauſtu, v. g. A, Petrus ſciret nullum eſſe periculum vitæ amittendæ: dubitaret verò, an periculum mortis repentinæ non incurret ex hauſtu poculi B: nonne Summæ imprudentiæ rectè argueretur Petrus, ſi hauriret liquorem ex poculo B? Idem dic de hoſpitiis duobus, à ſe remotiùs diſſitis, in quorum uno, omnino tranſigenda eſt nox Viatori, dubiusq; eſſet, an periculum grave non incurreret, ſi in 2do hoſpitio daret ſe quieti, cùm illud peſtilenti lue infectus, incolat: in uno verò diverſorio, quòd nullum ſimile vitæ diſcrimen lateat, conſtaret. Quidni juxta prudentiæ leges eligendum ipſi foret hoſpitium, omni periculô vacuum? Item ſi duo eſſent pontes v. g. A, & B, conſtructi ſuper abyſſum horrendam, per quorum unum, iter omnino agendum eſſet Viatori: nonne à prudentiæ ſemita longè aberraret Viator, ſi relicto ſpretoq; ponte, per quem, tutiſſimum ſe iter offerebat, nullumq; occurrebat periculum in abyſſum decidendi illam: alii ponti, ſe committeret non admodum firmo, ex quo periculum eſſet labendi in tam horrendam abyſſum? Demum, prætermiſſis illuſtrationibus aliis; quis prudens, dubitans, an ſit via obſeſſa immaniſſimis latroni-

Argumētum validum ad eversionē Atheiſmi

tronibus, aliud iter non arripit, nullis periculis circumſeptum? Ex his illuſtrationibus, evidenter conſtat, eum eſſe imprudentiſſimum, emotæq; mentis hominem, qui in noſtro principali caſu, eligit incertum quid, obnoxium periculo vitæ æternæ amittendæ, incurrendique diriſſimos, & nunquam terminandos, quia æternos cruciatus.

Stabilitô hôc Principiô, jam Infero. Ergo etiam, dato non conceſſo, has duas Sententias, quarum una affirmat, Deum exiſtere: altera negat; eſſe incertas; tamen quia ſunt in re graviſſimi momenti, ex cujus unius electione, nempe hujus: *Deus exiſtit:* nullum incurritur periculum. Si enim id credidero, nullum mihi nocumentum afferet, imò emolumentum; ad vitam enim honeſtam & homine dignam, mihi viam aperiet. Ex alterius autem electione, videlicet hujus: *Deus non eſt:* periculum eſt ſummi mali & irreparabilis damni, incurrendi. Si enim exiſtit Deus (uti revera infallibiliter Eum exiſtere, Univerſus Orbis firmiſſimè ſentit & credit, graviſſimis ac evidentibus ad id inductus rationibus) & tu illum eſſe neges: ob hanc perfidiam ac blaſphemiam, æternùm miſerrimus futurus; cruciandus enim per immenſam æternitatem, quòd ſtultâ temeritate, quantum ex te, Deum annihilare volueris. Proinde nonniſi imprudentiſſimè negatur Exiſtentia Dei; prudentiſſimè verò illa firmiter tenetur Sententia, quæ affirmat Ejus Exiſtentiam.

Non abſimile huic Argumento eſt & illud Dilemma, quo feliciter, temporibus Cornelii à Lapide S. I. (ut ipſe teſtatur in Commentariis ſuis doctiſſimis in Cap: 5tum Amos, verſu 19.) quidam pſeudopoliticus, ſeu veriùs, Atheus, moriens convictus & converſus eſt. Vel eſt Numen & Vindex Deus poſt hanc vitam: vel non eſt. Si non eſt: attamen ſi id credidero, non mihi nocebit, imò proderit: inducet enim me ad vitam honeſtam, & homine dignam. Si eſt: & ego illud non credidero, imò negavero: quas Ejus iras, quæ tormenta, ab eo, ob hanc perfidiam & blaſphemiam expectare me oportet? Potiùs ergo illud credam, & confitebor: cùm illud nocere nequeat; non credere autem, graviſſimos cruciatus mihi accerſere poſſit. Rurſum, vel ſunt præmia bonorum, & ſupplicia malorum (ut ipſa ratio dictat) poſt hanc vitam: vel non ſunt. Si non ſunt: ea tamen credere, ſperare, & timere non oberit, imò proderit ad omnem virtutem. Si

ſunt:

ſunt: & ego ea non credens, turpiter & ſceleratè vixero: utique ſuppliciis illis æternis mancipabor? Longè ergo ſatiùs & prudentiùs eſt, ea credere, quàm non credere. In idem ferè recidit & illud Argumentum, quô uſus eſt non infeliciter, Gloriæ Divinæ amplificandæ Studioſiſſimus, & Theologus abſolutiſſimus, R. P. Franciſcus Zapolski Soc: JESU, cujus etiam mentionem feci ſuprà in libri Imi Tractatu Imo Cap: Imo in fundamento 8vo. Porro ejus Argumentum ut in literis ad me datis Anno 1698. ſcripſit, erat ejusmodi. *Ego* (inquit) *dum Atheum illum Dominum Caſimirum Lyſzczynski, incarceratum, inviſerem, propoſui illi hoc Argumentum. Senſum de Deo habere, quem Providentia Naturæ* (*ſupponendum, quòd ille omnia in Naturam derivabat*) *ſvadet habere, expedit Naturæ meæ. Sed habere ſenſum, ſeu judicium hoc, quòd Deus ſit, ſvadet Providentia Naturæ meæ. Ergo illum ſenſum habere, expedit Naturæ meæ. Minorem probavi. Quia Providentia Naturæ ſvadet, ut illud judicium de Exiſtentia Dei ſequar, quod mihi ſecurius eſt: ſecurius autem eſt mihi, ſentire, quòd Deus ſit, quàm, quòd non ſit. Quia ſi Deus eſt, & ego dicam, Deum non eſſe, itaque me geram, ac ſi Deus non eſſet, debeo timere Deum, ſui honoris juſtum Vindicem. Si Deus non eſt, ſive dicam, Deum eſſe, ſive non eſſe, nihil mihi timendum eſt. Ergo habere ſenſum, ſeu judicium hoc, quòd Deus ſit, ſvadet Providentia Naturæ meæ. Et revera* (ut addit prædictus Pater) *videbatur id multum apprehendiſſe ille Atheus*; qui Anno 1688, Menſe Martio, Varſaviæ, Capitis abſciſſione, ſupplicium tulit, ejuſque cadaver exuſtum: longè tamen ante ſupplicium, cum ingenti dolore ac ejulatu, ſuum adeò nefandum errorem fuerat deteſtatus.

Puncta hæc, aliaque in hoc contenta Volumine, attentè revolvant, seriò ac tempestivè apprehendant in Atheismum delapsi, vel jam jam lapsuri; cognitoque errore suo (ut facilè cognosci potest) redeant animô contritô ad Dominum DEum suum & Patrum suorum. Ad Cujus MAJOREM GLORIAM, animarumque salutem, pretioso Christi Sangvine redemptarum, scripta hæc cum singulis apicibus, cedant.





INDEX RERVM

NOTABILIUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A.

rati-

M

N

Spe-

FINIS.



ERRATA.

Litera, p. paginam: v. versum: f. versus, à fine paginæ, numerandos indicat.

P*Agina 15. versu 16. lege*: Hypotyposion. p. 16. v. 13. Lucretii. p. 21. f. v. 4. opulentiam. p. 24. v. 15. famem. p. 27. v. 5. occultandum. p. 32. f. v. 13. proveniat. *Ibidem*. f. v. 9. influente. p. 34. v. 4. de Trinit. lib. 5. cap. 1mo. p. 38. v. *ult*: invisibilia. p. 40. v. 15. Causæ increatæ. p. 48. v. 14. Impossibile. *Ibidem*. v. 15 possibile. p. 60. f. v. 3. perniciosos. p. 64. v. 1. aliquid. p. 67. v. 11. homines. p. 74. v. 3. perscrutando. p. 75. v. 18. alienigenas. p. 80. v. 2. sacræ. *Ibidem*. f. v. 10. plura. p. 81. f. v. 11. Simonem Stilitem, Franciscum Assisium. p. 97. v. 8. Item plura. p. 98. v. *ult*: Materiales. p. 105. f. v. 3. Allatæ Probationes. p. 107. v. 8. conserventur. p. 108. v. 20. *dele*: imo. p. 112. f. v. 14. sub Propositione. p. 115. f. v. 3. in infinitum. *Ibidem post versum ultimum, dele*: Stupo. p. 121. f. v. 13. non levi. p. 124. v. 20. ab aliquo Intellectu. p. 125. f. v. 10. reddi. p. 131. v. 17. *dele*: in. p. 136. f. v. 12. polus. p. 144. f. v. 5. fulmina. p. 145. f. v. 5. maximum. p. 152. f. v. 12. dentes & lingva. p. 154. v. 9. tigridum. p. 161. v. 7. numerositate. *Ibidem*. v. 14. efficiendas posuit. p. 164. v. 16. excipias. *Ibidem in margine*: manuum & digitorum. p. 165. f. v. 14. & si quæ adhuc. p. 171. v. 1. pereunte. p. 175. f. v. 6. auditione. *Ibidem* v. *ult*: unà cum responsoria. p. 177. v. 13. Christus: p. 180. f. v. 8. & ex eo Cornelius à Lapide. p. 186. f. v. 4. ante Christi adventum. p. 188. f. v. 8. & apud. p. 206. v. 22. historica cognitione. p. 208. v. 4. Juramentô. p. 210. v. 20. gubernationi. *Ibidem in margine*. Ex actuali. p. 217. f. v. 3. manuum. p. 220. v. 6. Cap. 1mo sub Propositione 5ta. p. 230. v. 17. Cæli enarrant. p. 234. v. 17. quot nervi) ab uno corde. p. 238. v. 11 vivendi. p. 241. f. v. 4. mirabilibus, quandoq; peccaminosis, productis. p. 242. v. 16. forent subjecti. p. 244. v. 4. assimilatus sum. p. 254. v. 3. manifestatum est crimen. p. 257. v. 2. perjuris: p. 266. v. 16. convertendos Atheos. p. 267. v. 7. duodecem Patrum. p. 269. v. 9. quô sustinetur. p. 273. f. v. 3. Tridentino. p. 274. v. 1. evincit & probat. p. 276. f. v. 14. Thomas. *Ibidem v. ultimo* Theologi. p. 279. f. v. 11. quòd non sint chimeræ. p. 287. v. 21. ad rationem chimericam volitivi. p. 289. v. 23. Ego conformiter. p. 308. v. 3. Titi. p. 311. v. 16. Demum. *Ibidem*. f. v. 6. Aristocles. p. 318. f. v. 6. à fando dicta. p. 325. v. 16 pendere. p. 329. v. 15. propellit. p. 331. v. 10. sinistris. p. 337. f. v. 8. indigum. p. 349. *desuper*. Patrum. p. 351. v. 3. non acceperunt. p. 352. v. 17. Auctoris. p. 362. *in margine*. Hac via.

ERRATA.

Litera, p. paginam: v. versum: f. versus à fine paginæ, in margine indicat.

P. 4. v. 1. *corrige* Hypoposition. p. 16. v. 13. *lege* tenetur. p. 23. f. v. 4. equivalenter. p. 24. v. 11. *lamen*. p. 27. v. 7. actualem. p. 31. f. v. 8. proveniat. *lambe*. f. v. 4. inferente. p. 34. v. 4. in sp. arit, libet capitulo. p. 38. v. 26. invisibilia. p. 40. v. 16. Contrariarum. p. 48. v. 19. impossibile. *dele* vox possibile. p. 60. f. v. 1. perinde, prolatos. p. 64. v. 1. aliquid. p. 67. v. 11. homines. p. 74. v. 1. perinde. p. 77. v. 26. nigrinas. p. 86. v. 2. facta. *lege* f. v. 10. p. 14. f. v. 11. Simonem. Sidonem, Franciscum Assisiensem. p. 97. v. 8. plura. p. 99. v. 28. Materiales. p. 105. f. v. 3. falsa in Brutalem. p. 107. v. 8. confortentur. p. 108. v. 20. *dele* imo. p. 112. f. v. 12. sub Propositione. p. 115. f. v. 4. in infinitum. *Adde post* vero, necessario. p. 121. f. v. 13. non est. p. 124. v. 10. ab alterno intellectu. p. 137. f. v. 10. rubes. p. 141. v. 7. *adde* in. p. 146. f. v. 11. poles. p. 146. f. v. 1. fallitur. p. 149. f. v. 7. maximum. p. 157. f. v. 12. dentes & lingua. p. 159. v. [illegible]. p. 161. v. 9. nimia [illegible]. v. 14. [illegible]. p. 162. v. 16. ex [illegible] ad [illegible] [illegible] & [illegible]. p. 167. f. v. 12. & si [illegible]. p. 171. v. 1. perennet. p. 172. f. v. [illegible]. p. 177. v. 3. Christus. p. 182. f. v. 8. & ex eo Conciliis reipsenioni. p. 186. f. v. 4. ante Christi adventum. p. 188. f. v. 8. & a lapide. p. 206. v. 12. historica cognitione. p. 208. v. 4. juramento. p. 210. v. 10. gubernationi. *Adde in margine*, Ex actuali. p. 217. f. v. 3. manum. p. 220. v. 6. Conj. imo sub Propositione sua. p. 230. v. 15. Canonum. p. 234. v. 17. quot etiyi) ab uno corde. p. 238. v. 11. vivendi. p. 241. f. v. 4. mirabilibus, quandoq; peccaminosis, producit. p. 242. v. 16. forent subjecti. p. 249. v. 4. simulatus sum. p. 250. v. 8. manifestissimum est crimen. p. 257. v. 2. perjuriis. p. 266. v. 16. convertendos Atheos. p. 267. v. 7. laudatum Patrum. p. 269. v. 9. quo fit ut. p. 271. f. v. 3. Tridentino. p. 274. v. 1. cibalii & probat. p. 276. f. v. 12. Thomas. *Rursus* Theologi. p. 279. f. v. 11. quod non sint chimera. p. 287. v. 3. ad rationem chimæricam volitivi. p. 289. v. 13. Proconnectantur. p. 298. v. 2. Tit. p. 311. v. 16. Demum. *Rursus*. f. v. 6. A libertate. p. 318. f. v. 6. a factio dicta. p. 327. v. 16 prodere. p. 329. v. 11. prope ib. p. 331. v. 10. fontibus. p. 332. f. v. 8. indigens. p. 349. *Adde* Patrum. p. 351. v. 8. non acceptione. p. 352. v. 17. Authoris. p. 361. in margine Lect. 12.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0023581

